C6
Digitized by Google

Digitized by Google

IOH. NICOLAI FVNCCII
Marburgenſis

DE

IMMINENTI LATINAE LINGVAE SENECTVTE

TRACTATVS,

Quo

Decreſcens Romani ſermonis robur et fata ab exceſſu Caeſaris Octauiani Auguſti ad principatum vſque Hadriani Imperatoris deſcribuntur, et notatu maxime digna hiſtoriae literariae monumenta illuſtrantur.

MARBVRGI CATTORVM
EX OFFICINA PHILIPPI CASIMIRI MVLLERI
ANNO CIↃIↃCCXXXVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

AVGVSTISSIMO

ET

POTENTISSIMO

PRINCIPI ET DOMINO

DOMINO

FRIDERICO

SVEDORVM GOTHORVM

ET

VANDALORVM REGI

ETC. ETC. ETC.

HASSIAE LANDGRAVIO

PRINCIPI HERSFELDIAE

COMITI CATTIMELIBOCI

DECIAE ZIEGENHAINAE

NIDDAE SCHAVMBVRGI

ETC. ETC.

Digitized by Google

PIO FELICI INCLVTO

PATRIAE PATRI

ET

MVNIFICENTISSIMO

LITERARVM STATORI

R E G I

ET

DOMINO SVO

LONGE CLEMENTISSIMO

DE LATINA LINGVA DECRESCENTE

LIBELLVM

D.

IOH. NICOLAVS FVNCCIVS

ELOQ. HISTORIARVM ET POLIT. PROFESSOR

ET RINTELIENSI ACADEMIAE A BIBLIOTHECA.

Digitized by Google

SI quae vota huc vſque ſolemnibus feſtisque diebus, publico Tuae Academiae nomine, toties atque toties ſuſcipere debui et ſoluere pro Tua, PATRIAE PATER INDVLGENTISSIME, perenni felicitate, rata ſemper fuerunt atque accepta, vt ea, quam ſimul omnes Tibi deuoti et ſubiectiſſimi ciues elatis manibus, anniuerſaria pietate, precantur et optant, deſideratisſima incolumitate tot regere populos, res agere fortiter, Tuamque, pridem victricibus armis pacisque artibus partam, Virtutis Gloriam aliis atque aliis operibus augere pergas: mea mihi et priuata et maxima deuotio ſuadet: vt votiuam hanc eadem mente nunc qualemcunque tabellam, lucubrationum mearum de Latina lingua ſeneſcentepartem ad Tuum, REX AVGVSTISSIME, puluinar deponam. Tantoque minus deprecandam mihi vel temeritatis, vel arrogantiae ſuſpicionem puto: quod Regia i. e. incomparabili clementia et liberalitate ſuſcipere dignatus es quoque deſcriptam a me Rintelienſis academiae bibliothecam, quam ante triennium

 Re-

Regiae Tuae Maieſtati ſacram eſſe volui. Quamuis enim Te Tua Virtus atque Maieſtas in ſummum collocauit rerum humanarum vaſtigium: ita tamen ſemper et manſuetiores conſueuiſti reſpicere Muſas: vt ipſe inter diadematis decora praecipuum ornamentum ac meritorum immortalitatem habeas ab optimarum artium doctrina: et illae certius nullum ſibi praeſidium atque refugium promittere queant. Paternum illis vbique per tot Tibi ſubiectiſſimas gentes animum paternamque curam oſtendis: vt ſi quid immineat mali, aut rerum aduerſarum, quae praeter ſpem quotidie non priuatis ſolum, ſed totis etiam populis obuenire videntur; eorum Tu Te omnium profligatorem profitearis; ſin aliquid ſapientiſſimo Tuo, aut Senatus Tui conſilio inuenias boni, quam lubentiſſime illius diſpenſator munificentiſſimus eſſe cupias, ratus, vere hoc Regium eſſe. Neque adeo mirandum, ſi cateruatim multi, qui literarum amantiſſimi ſunt, Tantum ſibi gratulantur Regem, ſuisque crebro quae prodeunt doctrinae monumentis ſingularem animi laetitiam prae ſe ferunt. Nec Te tacent boni, nec in omne aeuum tacebunt, curae Ti-

bi

Digitized by Google

bi ſemper bonas literas fuiſſe, eas egregie et memoranda animi magnitudine adiuuiſſe et ſalutis publicae bello et pace rebus egregie geſtis Te ſtatorem praebuiſſe. Teſtantur id inprimis Academiae Tuae et in illis omnium diſciplinarum doctores, eruditione ac virtute praeſtantes, quos in patria plurimos Regia Clementia propemodum et inuidenda liberalitate complecteris, rebusque omnibus quam gratioſiſſime ornas. Qua quidem re nihil facere potes Te dignius, nihil ad immortalitatem nominis conſequendam accommodatius, nihil publicae Tibi ſubiectiſſimorum ciuium ſaluti vtilius, aut quod communi omnium bono magis prodeſſe poſſit. Sic nulla temporis longinquitas, nulla vnquam fortunae iniuria obliterare poterit pulcherrimum eumque omnibus triumphis ac laureis potiorem Patriae Patris atque ciuium ſeruatoris titulum: quem fruſtra quidem ſibi tanto ſtudio parare voluerunt imperatores tyranni truces et ſanguinolenti: quibus nihil magis placebat, quam ſeruatores audiri; cum ſeruaſſent nullos, niſi quibus eorum ſaeua cupiditas ac parricidalis manus pepercit. En ergo Tibi, REX AVGVSTISSIME, pietatis et animi deuotiſſimi,

mi, quod inter tot fauſtas omnium voces et vota ſtatuo, publicum monumentum. Tuorum enim immortalium beneficiorum, quibus ſimul omnes Tibi ſubiectiſſimi ciues tantum debent, quantum nemo, ne cogitatione quidem, aſſequi poteſt, me dies noctesque ſollicitat conſcientia, et tanquam acerrima flagitatrix aſſiduo me conuicio vrget, vt quaedam gratae voluntatis ſaltem ſignificatio elucere videatur. Sis felix, ſis potens, PATRIAE PATER INDVLGENTISSIME, atque cum PIA et AVGVSTA PATRIAE MATRE rerum quam diutiſſime potiaris inclutus, incolumis atque laetus. Sic Tua Suedica et Haſſiaca Domus Sereniſſima ſeculis vireat floreatque innumerabilibus. Nouis magnisque auctibus creſcat in dies Regnum Tuum. Vincas denique ſemper atque triumphes: vt noua quotidie pro ſalute REGIS FRIDERICI et OPTIMI PRINCIPIS, quae pridem ſuſcepimus, vota nuncupare poſſimus. Rintelii III. Non. Martii, qui dies in faſtis FRIDERICO REGI ſacer, cIↄIↄcc xxxvi.

Digitized by Google

DE
IMMINENTE SENECTVTE LATINAE LINGVAE
TRACTATVS

CAPVT I.
De Latinae Linguae corruptione et eius cauſſis.

§. I.

Summa L. L. gloria decreſcit ac ſeneſcere incipit. 2. *Intra quod temporis ſpatium.* 3. *Fata linguae cum aetatibus hominum componuntur: vtrinque vires annis labentibus deficiunt.* 4. *Decreſcens deſcribitur aetas linguae illius non quidem contemnendae; ſed quae non parum tamen amiſit priſtinae elegantiae.* 5. *Haec cum ſuperiori aetate componitur: vt deteriorem eſſe factam appareat.* 6. *In cauſſas inquiritur, et deſcribitur primo loco luxus temporum.* 7. *Secundo remunerationis defectus.* 8. *Porro fatum, quod ſuis omnia viciſſitudinibus ſubeſſe docet.* 9. *Incuria parentum deſcribitur.* 10. *Accuratiſſimorum eloquentiae magiſtrorum defectus.* 11. *Declamationum abuſus.* 12. *Oratores inde prouenerunt inepti.* 13. *Recitationum vanitas erat maxima.* 14. *In dies foedior apparuit principum tyrannis.* 15. *Hinc virilis fracta dicendi libertas: cui adulatio et venalis lingua ſucceſſit.* 16. *Eademque principum ſaeuitia optimas literas exulare iuſſit.*

iuſſit. 17. *Marti manſuctiores conceſſerunt Muſae.* 18. *Vndecunque populi in vrbe confluxerunt, quae non potuit non ſua mole fieri grauis.* 19. *Non exigua tamen linguae dignitas ſuperfuit.* 20. *Et ingenia ſcriptorum ſe prodiderunt elegantiſſima.* 21. *Scholas habuere priuatas et publicas.* 22. *Atque vt mentis medicinam haberent a principibus bibliothecae fuerunt inſtitutae:* 23. *Vt collegia quaeque ſuas propemodum ſeruarent gazas.* 24. *De ornandis bibliothecis hoc tempore publicis certarunt.* 25. *Et docti ſuas habuere priuatas.*

§. I.

De Latinitate pura et perfecta, ceu virgine quadam caſta, ſatis quidem prolixe hactenus egimus in aetate virili, quae ad ſummam gloriam prouecta eſt: cum non modo non vulgaribus virorum doctiſſimorum quorumque curis, ſed Principum etiam, inprimis Iulii et Augusti Caeſarum victricibus armis, liberalitate ac indulgentia, Latinae linguae et humanitatis ſtudia vbique gentium celebrata vſque adeo amplificarentur: vt non amplius viderentur eſſe incluſa iſtis ſat quidem auguſtis Italiae terminis; verum perruptis omnibus trans mare quoque ad longe diſſitas, quotquot fuerunt ſubactae, barbarorum prouincias ac prope terrarum orbem, fato iucundiſſimo perferrentur, perlata propagarentur, propagata magis atque magis ad vſum et conſuetudinem omnibus acceptam ſarta tectaque haberentur *a*). Nunc vero

a) Nam, vt recte SVLPITIA ſatyra de corrupto reip. ſtatu temporibus Domitiani, cecinit:
— *Duo ſunt quibus extulit ingens*
Roma caput, virtus belli, et ſapientia pacis:
quam extremis temporibus exulare iuſſerunt.

Digitized by Google

vero ab ea ſtabili vel adulta Latinitatis aetate auocamur fato, neſcio quo, certe iniquiori, ad aetatem illius decreſcentem, cui ſenectus imminet, quamque vulgo, qui comparationem Latinae linguae cum metallis inſtituunt, relicta auri denominatione, argenteam vocare malunt. Praecedentis ſeculi tum quidem Romani variarunt atque deprauarunt optimum, vt fuerat, linguae Latinae genium: ſed tamen Latine loqui nondum deſierunt: vt omni plane ſua laude priuari nequeant, qui ſcriptis hoc ſeculo aliquid memoriae prodiderunt.

§. II.

Aetas haec Latinae linguae decreſcens, quam pro inſtituti ratione nunc perluſtrabimus, ex ſententia criticorum quorumque optimorum communi ac dimenſione fatorum accuratiſſima, ab exceſſu Caeſaris Octauiani Auguſti, vel anno Soſpitatoris noſtri XIV. ad obitum Traiani, i. e. ad annum Chriſti CXVII. extenditur. *b*) Adeoque per centum atque tres annos, temporis ſpatium paulo longius illa decreſcens aetas, quam felix iſtud Latinae linguae aeuum ſuperius permanſit. Noui, ſed nihil moueor, ſcriptores fuiſſe, qui Ciceronis, ac eum proxime ſequentium caſtioris linguae patriae cuſtodum querelis de imminente ſermonis ſui corruptione permoti, aetatem Latinae linguae adultam limitibus arctioribus cir-

b) Confer. BORRICHIVS de variis Latinae linguae aetatibus pag. 14. 15. MORHOFIVS polyh. lit. l. 4. c. 12. hanc, quam argenteam vocat, aetatem ab imperii Tiberiani temporibus ad Veſpaſianorum vſque tempora ſupputari maluit. CELLARIVS de fatis LL. et curar. poſt. proleg. & dignus tanti Viri diſcipulus D. WALCHIVS hiſt. crit. L. L. cap. 1. §. 8. ab Aug. exceſſu ad tempora Antonini Pii extendunt. Alii aliter, quos non attendimus.

cumſcribere non verentur. Ita IOHAN. RHODIVS: *c*) *quid*, inquit, *quod ſeculum Latini ſermonis caſtigatiſſimum vix ad Auguſti tempora pertigerit: quem quotidiana ſermonis conſuetudine ſaepius delectatum tradit poſt Suetonium Chariſius. Eloquentiam poſt Ciceronem ſe quoque retro dediſſe conqueritur Seneca controu. lib.* 1. *nec vllus paulo cultior, qui eius generis plura in Phaedro Auguſti liberto non animaduerterit.* Quae quidem non omnia negamus pro ingeniorum diuerſitate iam tum accidere potuiſſe: cum Latinae linguae gloria ad ſummum faſtigium eueheretur. Ecquis ire inficias facile poterit, ipſo Ciceronis aeuo, quod feliciſſimum ac in minutiſſimis ſaepe ad inuidiam vſque de honore ſuo ſolicitum erat: bonarum artium fuiſſe contemtores, qui et puritatem atque elegantiam flocci facere non dubitarunt. *d*) Sed irrito conatu: vt omnium contemtui ac ludibrio ſemetipſos exponerent. Plerique vero non ſatis laudando principum virorum communi conſenſu Latinam linguam, ceu virginem adultam, caſte cuſtodiuerunt. Fuerunt Liuii, Virgilii, Catulli, Tibulli, Propertii, Horatii, Ouidii, ſcriptores elegantiſſimi, qui veterum monumenta et omnis generis artes liberaliores quam nitidiſſime literis mandarunt. Mandatum HORATII *e*) fuit ſaluberrimum:

Saepe ſtilum vertas, iterum, quae digna legi ſint,
Scripturus —

Et OVIDIVS *f*) de ſemetipſo teſtatur:

Quicquid in his igitur vitii rude carmen habebit,
Emendaturus, ſi licuiſſet, eram.

Augu-

c) In notis ad Scribonium Largum.

d) Vid. CICERO Tuſcul. quaeſt. l. 2. c. 2. de claris orat. cap. 74. 96. & alibi. Diſſert. noſtra de virili L. L. aetate part. 1. c. 1. §. 16. 37. paſſim.

e) Serm. l. 1. ſat. vlt. *f*) Triſt. l. 1. eleg. 6.

Digitized by Google

Auguſtum vero ipſum, totius imperii caput, quod attinet: vel ex SVETONIO conſtat, genus eloquendi ſecutum eſſe elegans et temperatum, legiſſe et ſcripſiſſe quotidie, non niſi meditata et compoſita oratione eſſe locutum; cacozelos ac diuerſo genere vitioſos ſpreuiſſe. *g*) Vnde ad eius obitum, non potuit Latinae linguae vſus non fuiſſe caſtus atque elegans, vt prolixius eum nuper deſcribere allaborauimus. De Seneca et Phaedro Auguſti liberto ſuis locis videbimus. Neque cauſſa fuit Reuerendiſſimo Domino MOSHEMIO, *h*) qui ſummis ingeniis propter variam et profundam eruditionem adſcribi meretur, vt re non ſatis cognita iudicaret, in his commentationibus noſtris, quod carperet, facile non neminem potuiſſe inuenire, propter ea, quae paulo ſuperius de differentia ſcriptorum in determinandis L. L. aetatibus monuerat. Non nego in libellis noſtris eſſe multa, quae poſſent ab tanto Viro emendari atque caſtigari: quaeque medicam elegantioris critici manum valde deſiderant. Sed in limitibus harum aetatum deſcribendis, vtut diſcordes ſint alii, nihil peccamus. Subiungit Reuerendiſſimus Dominus Abbas: *vtram harum diſtinctionum Linguae Latinae aetatum ſequamur, haud tamen vniuerſam eius hiſtoriam comprehendemus. Excluditur enim ab his partitionibus reſtitutae Latinitatis hiſtoria, quae decimo quinto poſt natum Seruatorem ſeculo coepit.* Hoc vero, ſi Deo viſum fuerit, ea ipſa diſtinctione noſtra, ſubciſiuis horis atque variis in eadem ſerie

A 3 tracta-

g) Vid. diſſert. noſtra de virili L. L. aetate part. I. c. 2. §. 16. Pl. confer. OLAVS BORRICHIVS in cogitationibus de variis L. L. aetatibus pag. 6. 7. 9. et 10.

h) In notis ad Morhof. de pura dictione Latina c. 2, pag. 11. ſeq.

tractationibus, pro ingenii modulo, praeſtare conabimur. *i*) Exitus acta probat.

§. III.

Omnino cum linguarum fatis, praeſertim illa, quam aetatibus ſuis perluſtrare coepimus, Latinitate comparatum eſt, atque cum homine. Hic vbi per aliquod, ac breue id quidem, temporis ſpatium, ſtata perfectione ſua et virili robore gauiſus eſt: ſenſim ſine ſenſu decreſcit; ſenectus viribus eum deficientibus obruit; iam non noua corpus incrementa ſumit, verum ſponte ſua ad interitum, vt dies ipſi fatalis imminet, properare videtur. Iam non luxuriat animus: non ſuo flore laetantur anni, quorum grauitas aduerſa trahit: variis laboratur morbis: debilitantur membra: ſuam corporis lumina ecclipſin patiuntur, vel ipſis tenebris obſcuriora fiunt. Verbo vt abſoluam, citato gradu venit Senectus, quae ipſa eſt morbus. Sic quoque Latina lingua conſtans eſſe, et in nitore ſuo perſeuerare nunquam potuit: quin fixo perfectionis termino, poſtquam virile robur atque decus maximum ſuperauerat, ſenectuti quaſi proxima rurſum defecerit, atque in dies magis magisque ad interitum ſuum declinauerit. Adeoque non vana MARCI TVLLII, ſummi oratoris atque ciuis Romani longe proſpicientis, *k*) coniectura fuit: *l*) eloquentiam ad ſummum perfectionis culmen elatam, mox ſeneſcentem quaſi rurſus interituram eſſe. *Oratorum*, inquit, *laus ita ducta ab humili venit ad ſummum, vt iam, quod natura fert in omnibus fere*

i) Vid. programma de variis L. L. aetatibus atque fatis §. 13. fin.

k) Cuius prudentiam ciuilem atque diuinationis modum NICOLAVS HARSCHERVS V. C. et Praeceptor meus, in dietriba de diuinatione Ciceronis, omnium elegantiſſime expoſuit.

l) Tuſcul. quaeſt. l. 2. c. 2.

Digitized by Google

fere rebus, conſeneſcat, breuique tempore ad nihilum ventura videatur.

§. IV.

Non incomta quidem vſque ad Hadriani imperium Latinitas fuit: attamen ſi cum ea proxime antecedentis aeui Auguſtei elegantia et nitore conferatur: haud difficulter quiuis intelligere poterit, quantum ab ſuo ſplendore ac veteri gloria, quodam iniquiori fato receſſit. Ab Auguſto proximus in imperio Romano Tiberius erat. Enim vero iam tum ſcriptitantium ſub eo Latinitas toto coelo diuerſa fuit ab iſto ſeculi praecedentis auro, et in comparatione illius argenti pretium vix obtinere potuit. Adeo vt ipſe MARCVS SENECA, cuius adoleſcentia in Auguſti aetatem incidit, etiam de ſuis temporibus atque communi omnibus corruptione conqueſtus ſit. *m*) *Vt poſſitis*, inquit, *aeſtimare, quantum quotidie ingenia decreſcant; et neſcio qua iniquitate et ad malum pronitate naturae, eloquentia ſe retro tulerit. Quicquid Romana facundia habet, quod inſolenti Graeciae aut opponat, aut praeferat, circa Ciceronem effloruit. Omnia ingenia quae lucem noſtris ſtudiis attulerunt, tunc nata ſunt. In deterius deinde quotidie data res eſt.* Poſtquam CICERO *n*) monuerat L. Craſſum *o*) ſibi quatuor et triginta annis praeſtitiſſe, ac triennio minorem fuiſſe, quam M. Antonium, qui eloquentiſſimi homines fuerant aetatis ſuae: tandem ſubiungit, ſe hoc idcirco poſuiſſe, vt dicendi Latine prima maturitas, in qua aetate exſtitiſſet, poſſet notari. Haec prima Latinae linguae maturitas perfecta eſt ipſius feliciſſimo tempore, et confecta ad obitum Auguſti: quod

m) Controuerſ. praefat. lib. I.

n) De claris oratoribus cap. 43.

o) De quo in adoleſcentia L. L. cap. 5. §. 18.

quod iam aliquoties notauimus. Sub Tiberio ſtatim, varias ob cauſſas maturitate iam neglecta, magis et magis corrumpi coepit: vt iam tum FABIVS *p*) de Latina lingua ſui temporis conqueſtus ſit: *ſi antiquum ſermonem noſtro comparemus, paene iam quicquid loquimur, figura eſt: vtinamque non peiora vincant. q*)

§. V.

Cum priſtinae eloquentiae robur et ſummam Latinae linguae gloriam recenſere inſtitueremus: *r*) non ſine animi oblectatione docere potuimus, Romani iuuentuti, beneficiis et liberalitate principum excitatae ſtimulum fuiſſe maximum ad gloriam et nominis celebritatem; omnes fuiſſe ad literarum ſtudia pertractos; ſumta virili toga adoleſcentes eloquentia bene inſtructos veniſſe in conſpectum ſenatus: atque nihil omiſiſſe, quibus liberalia ſua ſtudia, vt potuerunt, ad perfectionem quandam traducerent. Haec aetas Latinae linguae virilis. Haec literarum gloria. Hoc ſeculum ſtabile et vere aureum fuit. E contrario, cum illa linguae caſtitas, illa principum munificentia, illa bonarum artium ſuauitas languere inciperet: audiamus ſeculi deterioris ingenium et ſtudia ex ore ipſius M. ANNAEI SENECAE *s*) qui vtriuſque comparationem inſtituere facile potuit. *Torpent ecce ingenia deſidioſae iuuentutis, nec in vllius honeſtae rei labore vigilatur. Somnus languorque, ac ſomno et languore turpior, malarum rerum induſtria inuaſit animos. Cantandi, ſaltandique nunc obſcoena ſtudia effeminatos tenent: et capillum frangere, et ad*

p) Inſtitut. orat. l. 9. c. 3.

q) Confer. A. GELLIVS noct. Attic. l. 13. c. 18. De cauſſis corruptae eloquentiae dialogus apud TACITVM c. 24. 28. 32.

r) De virili aetate Lat. ling. part. I. cap. I.

s) Controuerſ. praefat. lib. I.

et ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum feminis, et immundiſſimis ſe excolere munditiis, noſtrorum adoleſcentium ſpecimen eſt. Quis aequalium veſtrorum, quid dicam ſatis ingenioſus, ſatis ſtudioſus, imo quis ſatis vir eſt? Emolliti, eneruesque, quod nati ſunt, inuiti manent? expugnatores alienae pudicitiae, negligentes ſuae. In hos nec Dii tantum mali permittant, vt cadat eloquentia. et quae ſequuntur. Neque mirum, adoleſcentes, in id maxime incumbere, quod viris in rep. principibus admodum placet: nec immerito praemia, honores, vitae quaelibet commoda inde ſperant. De quibus paulo inferius plura monebimus.

§. VI.

Cauſſae mutationis huius, vt bonae literae, atque inprimis Latinae linguae gloria, cum eſſent ad ſummum perductae, ſenſim ſine ſenſu ad infimum, lubentius quidem, quam ſurrexerant, relaberentur, ſunt variae et multae, quae tunc temporis ad vnum artium elegantiorum exitium conſpirare videbantur *t*). Teſte SENECA Rhetore: *v*) erat *luxus temporum:* cum nihil ſit tam mortiferum ingeniis, quam luxuria. Hinc MARCVS TVLLIVS *x*) homo plane ad eloquentiam et eruditionem factus, cum paulo diligentius cauſſam perquireret, cur in tantis eloquentiae praemiis tantaque gloria, pauci tamen inueniantur, qui in eius laude proficerent: oportune docuit, hanc eſſe praecipuam, quod ea ſtudiorum genera omnem ſibi animum omnemque ſolicitudinem vindi-

t) De cauſſis corruptae eloquentiae vid. Dialogus de oratoribus apud TACITVM. CELLARIVS diſſert. acad. pag. 479. ſeq. WALCHIVS hiſt. crit. L. L. cap. 1. §. 8. fin.

v) Controu. praefat. lib. 1. *x*) Orat. pro Coelio c. 19.

vindicarent: vſque adeo vt omittendae ſint omnes voluptates, relinquenda ſtudia delectationis ludus, iocus, conuiuium, ſermo etiam pene omnium familiarium deſerendus. A tempore Tiberii, vt Regis ad exemplum totus componitur orbis, luxus Romae fuit longe maximus. Ipſe Tiberius propter vini auiditatem *Biberius*, pro Claudio *Caldius*, et pro Nerone *Mero* vocabatur: *y*) et cum faſces iam teneret imperii, in publicorum morum correctione cum ſui furfuris hominibus noctem continuumque biduum epulando potandoque conſumſit. A voluptatibus nouum officium inſtituit, praepoſito equite Rom. T. Caeſonio Priſco. Inſana eius libido fuit, quam ne referre quidem audemus. *z*) Quid Caligula ſtupris et caedibus quam diſciplina nobilior? Claudius eruditus quidem, ſed inſanae mentis et ductu alieno crudelis erat. Nero, vtut literatus a primis annis videri voluiſſet, ipſe ſceleribus ſuis, luxu et laſciuia quaſi ſuffocatus fuit: quicquid illi temporis reliqui, hiſtrionibus et aurigis dabat. Licet enim TRANQVILLVS *a*) nobis perſuadere vellet, ad poeticam pronum carmina libenter ac ſine labore compoſuiſſe, nec aliena pro ſuis edidiſſe: quod ipſe viderit eius verſus, propria manu ſcriptos, in quibus multa et deleta, et inducta, et ſuperſcripta ineſſent. Aliud tamen fide maiori TACITVS *b*) tradidit: *ne ludicrae tantum imperatoris artes noteſcerent, carminum quoque ſtudium affectauit, contractis quibus aliqua pangendi facultas. Nec dum inſignis aetatis nati, conſidere ſimul, et allatos, vel ibidem repertos verſus connectere, atque ipſius verba quoquomodo prolata ſupplere. Quod ſpecies ipſa carminum docet, non*

y) SVETONIVS Tiber. c. 42.

z) Ibid. cap. 43. ſeqq.

a) Neron. cap. 52. *b*) Annal. l. 14. c. 16.

non impetu et inſtinctu, nec ore vno fluens. Ex conditione atque tumultu iſtorum ac proxime ſequentium temporum nihil ſalutis poterat literis accedere: cum interea libido et luxuria, coercente nullo, inualeſceret. *c*) Et hoc vetus Solonis eſt dictum: τὸν λόγον εἴδωλον εἶναι τῶν ἔργων, *ſermonem imaginem eſſe factorum.* Et hoc Platonis: οἷος ὁ λόγος, τοιοῦτος ὁ τρόπος, *qualis oratio, talis vita.* Nihil vero clarius eſſe poteſt SENECAE Philoſophi *d*) ſententia. *Quare quibuſdam,* inquit, *temporibus prouenerit corrupti generis oratio, quaeris: et quomodo in quaedam vitia inclinatio ingeniorum facta ſit, vt aliquando inflata explicatio vigeret, aliquando infracta, et in morem cantici ducta. Quare alias ſenſus audaces, et fidem egreſſi placuerint, alias abruptae ſententiae et ſuſpicioſae, in quibus plus intelligendum eſt, quam audiendum: quare aliqua aetas fuerit, quae translationis iure vteretur inuerecunde. Hoc quod audire vulgo ſoles, quod apud Graecos in prouerbium ceſſit, talis hominibus fuit oratio, qualis vita. Quemadmodum autem vniuſcuiuſque actio dicenti ſimilis eſt, ſic genus dicendi aliquando imitatur publicos mores. Si diſciplina ciuitatis laborauit, et ſe in delicias dedit, argumentum eſt luxuriae publicae, orationis laſciuia: ſi modo non in vno aut altero fuit, ſed approbata eſt, et recepta. etc.*

§. VII.

Secundo loco inter cauſſas corruptae eloquentiae SENECA Rhetor *e*) *remunerationis defectum* recenſet, cum praemium pulcherrimae rei cecidiſſet: vt omne certamen ad turpia, multo honore quaeſtuque vigentia

 trans-

c) SVETON. Veſpaſ. c. 11. *d*) Epiſt. 114. init.
e) Controuerſ. praefat. lib. 1.

transferretur. Honos alit artes: neque ſtudia excitantur facile, niſi principum liberalitate comitantur: quam literati hoc tempore ſibi ab tyrannis, Tiberio, Caligula, Nerone, promittere non potuerunt. Maecenates, quorum ſub feliciſſimo Caeſaris Octauiani Auguſti erant plurimi, iam reperiebantur minime gentium, vt literarum cultoribus patrocinentur. Quod, nec immerito, ad Flaccum MARTIALIS *f*) ſcribit:

Sint Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones.

Maecenas qui fuerit, etiam qui hoſpes eſt in omnibus literis, ignorare non poteſt. Hic artes bonas ipſe ſuſpicere ſolebat, et remunerari, et Caeſari Octauiano Auguſto de nota meliori commendare: qui liberalitate incomparabili doctiſſimos quoſque ornare non verebatur vſque adeo, vt vix quiſquam ſine doctrina elegantiorum literarum et inſigni eruditione ad honores, magiſtratus, diuitias aliaque ciuilis vitae commoda peruenire potuerit. Sed non ſine malo etiam omine tantus imperator, cum permotus tractusque coniugis precibus vel ambitione, Tiberium privignum adoptaret, quaſi diuinatus eſt, tali ſucceſſore deſiderabiliorem ipſum quandoque futurum. *g*) Sub Auguſto ſuus ſtabat bonis artibus honos. Literis contemtis, ab Tiberio tantum gulae, luxus et voluptatis ſtudioſi vel exercitatiſſimi quique remunerari ſolebant. Pomponio Flacco et L. Piſoni fauebat quam maxime, alteri Syriam prouinciam, alteri praefecturam vrbis deferens; atque codicillis iucundiſſimos et omnium horarum amicos vocitare ſolebat iſtos: quod dies noctesque ſecum epulando potandoque conſumſerant. Seſtio Gallo libidinoſo ac prodigo ſeni, olim ab Auguſto ignominia

f) Lib. 8. epigr. 56.

g) SVETONIVS Tiber. c. 21.

minia notato, coenam ea lege condixit, ne quid ex conſuetudine immutaret aut demeret: atque nudis puellis miniſtrantibus coenaretur. Ignotiſſimum Quaeſturae candidatum ideo nobiliſſimis antepoſuit, quod vini amphoram, ſe propinante, in conuiuio epotauerat. Aſellio Sabino donauit HS. ducenta pro dialogo, in quo boleti, et ficedulae, et oſtreae, et tardi certamen induxerat. *h*) Cetero pecuniae parcus ac tenax fuit: *i*) nec quicquam facile doctis, vt liberalium artium ſtudia promoueantur, erogauerit. Ipſe potius, vt ad rapinas animum conuertit, ab aliis nonnunquam opima ſpolia retulit, quibus fere ornatum eſſe diuitiis ſub tanto imperatore nefas eſſe videbatur. *k*) Neque melior eruditorum conditio ſub Caligula, monſtro naturae, qui literas odio proſequebatur, *l*) literatores ludibrio habebat, *m*) ac parum abfuit, quin ferula, ſit venia verbo, iſtorum nates obiurgarit. Studia eius deſcribuntur apud SVETONIVM. *n*) Cantoribus, ſaltatoribus, voluptatum ac vitiorum patronis, ad inſaniam fauit. Mneſterem pantomimum etiam TRANQVILLO *o*) teſte, inter ſpectacula oſculabatur. In quos liberalis fuerit Nero, fex humani generis et monſtrum, idem *p*) docet: cum ipſe quicquid laude dignum, odio proſequeretur maximo. Veſpaſianus quidem atque Titus, amor et deliciae generis humani, fauebant literis. Sed breuis felicitas fuit, quam hoc peiora exceperunt tempora, quo diſſimilior Tito frater et ſucceſſor Domitianus,

h) SVETON. Tiber. c. 42. *i*) Ibid. cap. 46.
k) SVETON. Tib. c. 49.
l) SVETON. Calig. cap. 34. *m*) Ibid. cap. 20.
n) Calig. cap. 54.
o) l. c cap. 55.
p) Neron. cap. 30.

Digitized by Google

tianus, ſaeuus, ſuperbus, Chriſtianorum hoſtis infenſiſſimus, vno edicto philoſophos vrbe et Italia expellens. *q*) Triſtiſſima poetis, de quibus ſuo loco agemus, fuerunt tempora: *r*)

—— cum deſertis Aganippes
Vallibus eſuriens migraret in atria Clio.

Nam, vt idem poeta *s*) cecinit,

—— ſi Pieria quadrans tibi nullus in arca
Oſtendatur, ames nomen victumque Macherae,
Et vendas potius, commiſſa quod auctio vendit
Stantibus, oenophorum, tripodes, armaria criſtas.

Feliciſſima tandem fuere Traiani tempora, qui bonas literas quouis modo ad priſtinam gloriam reuocare ſtuduit. Nec tamen facile quiſquam, ad tanti Caeſaris exemplum, rependere voluit niſi coactus mercedem liberalioribus Muſis, quae coeperant iam tum eſſe mulae; et cum fama inſigni fames coniuncta erat. Sufficit vnius PLINII *t*) teſtimonium, qui cum Martialem ſecedentem viatico dixerit proſecutum fuiſſe, *dederam*, inquit, *hoc amicitiae, dederam etiam verſiculis, quos de me compoſuit. Fuit moris antiqui, eos qui vel ſingulorum laudes, vel vrbium ſcripſerant, aut honoribus, v) aut pecunia ornare: noſtris vero temporibus, vt alia ſpecioſa et egregia, ita hoc inprimis exoleuit. Nam deſiimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus.*

§. VIII.

q) SVETON. Domit. c. 10. GELLIVS noct. Attic. l. 15. c. 11.
r) IVVENALIS ſatyr. 7. v. 6.
s) L. c. v. 8. ſeqq.
t) Lib. 3. epiſt. vlt.
v) Cuiuſmodi fuit Ennii ſtatua in Scipionum ſepulchro. vid. CICERO orat. pro Archia cap. 9.

§. VIII.

Tertio loco SENECA *x*) poſuit *fatum*, cuius maligna perpetuaque in omnibus rebus lex eſt, vt ad ſummum perducta, rurſus ad infimum, velocius quidem, quam aſcenderant, relabantur. Quibus fortaſſis VIRGILII *y*) reſpexit effatum:

—— Sic omnia fatis
In peius ruere, ac retro ſublapſa referri.

Ea mortalium conditio eſt; ea rerum humanarum viciſſitudo, vt minima creſcant, et inde maxima quaequae viribus ſuaque gloria priſtina excidere aut ſeneſcere videantur. Tolluntur in altum, vt lapſu grauiore ruant. Rebus cunctis ineſt quidam quaſi orbis: finis appetitur ſtatim, vbi incrementa conſumta ſunt.

—— Sic omnia verti
Cernimus, atque alias aſſumere pondera gentes,
Concidere has. ——

Et nullius plane fortuna eodem ſemper loco ſtare poteſt. Neque gentium modo, vrbium et imperiorum ſtatus cernimus, nunc florere, nunc decreſcere vel ad exitium in dies magis magisque properare, nunc praeter opinionem interire: verum et quotidie intelligimus, hominum mores, linguas atque literas limitibus definiri ſuis, temporibus, eorundemque iniuriis cedere, ſua experiri fata, nec ipſam mortalitatem effugere, omni conſiliorum molimine in contrarium fruſtra nitente.

§. IX.

Accedit incuria parentum, qui doctoribus eloquentiae percharam iuuentutem ſuam committere verebantur;

x) Controu. praefat. lib. I.
y) Georg. l. I.

tur: ne quid detrimenti illorum deliciae caperent ſaeueriori diſciplina: vel quod ſibimet ipſis ſapere viderentur. Vnde PERSIVS: z)

Hos pueris monitus patres infundere lippo
Cum videas, quaeris ne, vnde haec ſartago loquendi
Venerit in linguas? —

Sed paullo clarius et apertius ARBITER: a) *quid ergo eſt? parentes obiurgatione digni ſunt, qui nolunt liberos ſuos ſeuera lege proficere. Primum enim ſicut omnia ſpes quoque ſuas ambitione donant: deinde cum ad vota properant, cruda adhuc ſtudia in forum propellunt, et eloquentiam, qua nihil maius confitentur, pueris induunt adhuc naſcentibus.* Percharam denique ſi cui doctorum relinquebant ſuae domus iuuentutem: Quintiliano, vel ſummo cuiuis rhethori et praeceptori ſuo H. S. duo vel quinque librae ad ſummum annui ſalarii loco ſufficere putabant; neque vilius quicquam Euclionibus iſtis, quam ſui liberi, in quos erudiendos, quicquid impenſum, perire putabant: cum tot alios ſumtus prodigaliter in res nihili profunderent, ac ſuae indulgerent gulae. Id quod IVVENALIS b) ridet:

Quanticunque domus, veniet qui fercula docte
Componat, veniet qui palmentaria condit.
Hos inter ſumtas ſeſtertia Quintiliano,
Vt multum, duo ſufficient: res nulla minoris
Conſtabit patri, quam filius.

Quintiliani IVVENALIS c) hic meminit, eumque Rhetorum omnium nomine producit, qui parum pretii ab diuitibus auaris, pro liberorum informatione reportarint. Sed tamen ipſe dives erat, multosque habebat ſaltus: quod

z) Satyr. 1. verſ. 79.
a) Satyr. fragm.
b) Satyr. 7. v. 184. c) Satyr. 7. v. 186.

quod poeta non praemiis parentum pro inſtitutione filiorum, ſed fortunae tribuit.

Si, inquit, *fortuna volet, fies de rhetore conſul;*
Si volet haec eadem, fies de conſule rhetor.
Seruis regna dabunt, captiuis fata triumphos.
Felix ille tamen; ceruo quoque rarior albo.
Poenituit multos vanae ſterilisque cathedrae.

§. X.

Accuratiſſimi eloquentiae magiſtri erant mortui: quibus quotquot ſuccedebant, vero linguae caſtioris genio deſtituti, ſibi licere arbitrabantur, pro ingenio quiſque ſuo, ὀνοματοποιεῖν, atque nouas fingere, praeter illam veterum auctoritatem, cum verba, tum locutiones: quibus vt plurimum analogia, ad quiduis non Latine fingendi pruritum videbantur abuti. QVINTILIANVS *d*) aetate ſua nihil puri, nihil integri in Latina lingua, ſed vbique fucum eſſe conqueritur. *Verborum*, inquit, *figurae et mutatae ſunt ſemper, et vtcunque voluit conſuetudo, mutantur. Itaque ſi antiquum ſermonem noſtro comparemus, pene iam, quicquid loquimur, figura eſt: vt* huic rei inuidere, *non, vt omnes et Cicero praecipue,* hanc rem: *et* incumbere illi, *non* in illum, *et* plenum vino, *et non* vini, *et* huic, *non* hunc adulari, *iam dicitur, et mille alia: vtinamque non peiora vincant.* Quid multa? totus prope mutatus eſt ſermo. Sic quoque SENECA philoſophus: *e*) *commentarios, quos deſideras, diligenter ornatos et in anguſtum coactos, ego vero componam: ſed vide ne plus profutura ſit oratio ordinaria, quam haec, quae nunc vulgo* breuiarium *dicitur: olim cum Latine loqueremur,* ſum-

d) Inſtit. orator. l. 9. c. 3. ab init. *e*) Epiſt. 39.

Digitized by Google

ſummarium *vocabatur.* Vel etiam ex A. GELLIO *f*) patet, pleraque verborum Latinorum ex ea ſignificatione, in qua nata ſunt, deceſſiſſe, vel in aliam longe, vel in proximam, eamque deceſſionem factam eſſe conſuetudine et inſcitia temere dicentium, quae cuius modi ſint, non didicerint. Ipſe maximus hac aetate Seneca, quem modo laudauimus, neſcio an ex inuidia et animi impotentia, an ex veritatis amore, ſeculi felicioris, quod anteceſſit, optimos ſcriptores inceſſere non deſtitit: cum ſibi conſcius generis diuerſi, diffideret, ſe poſſe in dicendo illis placere, quibus iſti longe caſtiores placerent magiſtri: *g*) Atque hoc egit, vt eius ſcripta fere ſola in adoleſcentum manibus eſſent: *h*) qui ſuo praeceptore, cui neque pares, neque proximi fieri poterant, tanto peiores, quod illum propter ſola vitia diligebant, ac ſe dirigebant ad ea effingenda, quae poterant. Attamen eadem ſe iactabant dicere modo, vt Seneca, quem non imitabantur, ſed amabant: tantumque ab illo defluebant, quantum ille ab antiquis deſcenderat. *i*) Obuenit huic malo Quintilianus tandem, qui primus Romae ſcholam rhetoricam auctoritate publica et ſalario excitatus aperuit: vt corruptum et omnibus vitiis fractum dicendi genus ad ſeueriora iudicia reuocare contendat. Omnibus fere adoleſcentibus Senecam tantum manu verſantibus, non quidem

f) Noct. Attic. l. 13. c. 18. paſſim.

g) QVINTILIANVS inſtit. orat. l. 10. c. 1. Idemque SVETONIVS confirmat Nerone Claudio cap. 52. *A philoſophia*, inquit, *eum Neronem mater auertit: —— a cognitione veterum oratorum Seneca praeceptor, quo diutius in admiratione ſui detineret.*

h) Confer. SVETONIVS Caligula cap. 53.

i) Vid. QVINTILIANVS inſtit. orator. l. 10. c. 1. circa fin.

dem omnino conabatur excutere, ſed potioribus praeferri non ſinebat: cum Seneca illos non deſtiterat inceſſere, et ſtudioſam iuuentutem, erroris incautam, ſemet ipſe deteriorem reddere auſus fuerat.

§. XI.

Declamationum feliciſſima Latinae linguae aetate vſum fuiſſe inſignem ſuo loco notauimus. *k*) In deterius hoc ſeculo ruere omnia videmus. Et ipſi declamatores veram declamandi rationem relinquentes iuuentutem ſuam peſſima conſuetudine magis abalienarunt a maſcula dicendi virtute, quam quo tendere eiuſmodi exercitationes videntur, ad ſacrum eloquentiae palatium deducere inſtituerunt. Quos adeoque haud inconſulto ridet PETRONIVS: *l*) *cum alio genere furiarum declamatores inquietantur* etc. *nec ipſa tolerabilia eſſent, ſi ad eloquentiam ituris viam facerent, nunc et rerum humore, ſententiarum vaniſſimo ſtrepitu hoc tantum proficiunt, vt cum in forum venerint, putent ſe in alium terrarum orbem delatos. Et ideo ego adoleſcentulos exiſtimo in ſcholis ſtultiſſimos fieri, quia nihil ex iis, quae in vſu habemus, aut audiunt, aut vident, ſed piratas cum catenis in littore ſtantes, et tyrannos edicta ſcribentes, quibus imperent filiis, vt patrum ſuorum capita praecidant* etc. *qui inter haec nutriuntur, non magis ſapere poſſunt, quam bene olere, qui in culina habitant. Pace veſtra liceat dixiſſe, primitus omnium eloquentiam perdidiſtis: leuibus enim atque inanibus ſonis ludibria quaedam excitando, effeciſtis, vt corpus orationis eneruaretur et caderet. Nondum iuuenes declamationibus continebantur, cum Sophocles aut Euripides inuenerunt verba quibus deberent loqui. Nondum vmbraticus doctor ingenia deleuerat, cum*

k) De virili aetate L. L. part. 1. c. 1. §. 21.

l) Satyr. init. confer. IVVENALIS Satyr. 7. v. 150. ſeqq.

cum Pindarus nouemque lirici Homericis verſibus canere timuerunt. — ideo grandis et velut, vt ita dicam pudica oratio non eſt maculoſa nec turgida: ſed naturali pulchritudine exurgit. Sequentia. Ex quibus colligere poſſumus, doctores male ſanos non vt antiquiores illi ſtudioſam iuuentutem ad exercitia fori progymnaſmatibus ſuis praeparare ſatis valuiſſe; neque oratores tot actionibus vt olim et argumentis, quae eſſent exquiſita, in iudiciis et vbique inclaruiſſe. Hinc etiam PLINIVS: *m) ad hoc*, inquit, *perpauci, cum quibus iuuet dicere: ceteri audaces atque etiam magna ex parte adoleſcentuli obſcuri a declamando huc tranſeunt. Tam irreuerenter et temere, vt mihi Attilius noſter expreſſe dixiſſe videatur, ſic in foro pueros a centumuiralibus cauſſis auſpicari, vt ab Homero in ſcholis.* Hoc ergo exercitamenti genus, cum vtiliter ſit repertum ad abſoluendam eloquentiam, tamen neſcio quo pacto factum, vt multum corruptelae inuexerit. Cum enim illic inprimis auditorum applauſus captaretur, ea quiſque ſtudebat afferre, non quae eſſent optima, ſed quae maxime placerent. Nec illic temere applaudebatur ab otioſis et faſtidioſis hominibus, niſi ſententiis argute dictis, ſchematibus, epiphonematibus, et ſiquid eſſet aut nouum, aut immodicum. Communia, quanquam optima, faſtidiebantur: nec raro quae peſſime fuerant dicta, iis maxime applaudebatur. Atque ita diſceſſum eſt ab illo ſimplici et naturali dicendi genere, quod vel hoc nomine omnibus antefertur, quod fide commendatur. Ecquid ſine ea oratio culta, niſi probe modulata cantio? Ideoque Fabius noſter queritur, quoſdam vitia ſua, quibus in declamando aſſueuerant, in forum, vel

m) Lib. 2. epiſt. 14.

vel ad ſerias actiones detuliſſe, reorum graui periculo, dum patronus mauult cauſſam perdere, quam iocum et ſchema ſuum, nonnunquam cum riſu iudicum atque coronae. Perſtringit hoc genus vitii quoque D. HIERONYMVS: *n) ne a me quaeras pueriles declamationes, ſententiarum floſculos, verborum lenocinia, et per fines capitulorum ſingulorum acuta quaedam breuiterque concluſa, quae clamores et plauſus excitant audientium.*

§. XII.

Hinc oratores non potuerunt non eſſe inſani, qui tenerum dicendi genus, ne in ſcholis quidem ac diſcentium vmbra ferendum, transferebant in forum, ac veras cauſſas ſic agebant, tanquam declamationes fictas: vt de fortuna, fama vitaque hominum pugnaturi, non veris armis, ſed ludicris ac fere ad oſtentationem comparatis quibuſdam quaſi ornamentis inſtructi, in arenam deſcenderent. Quod PERSIVS *o)* innuit:

Nilne pudet, capiti non poſſe pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire: decenter!

Quoad hoc vitio Romani laborauerint ſua iam declinanti aetate paſſim QVINTILIANVS teſtatur. Ita, *ne*, inquit, *p) ſententia quidem velut fatigatum intentione ſtomachum iudicis reficere diſſuaſerim.* Paullo poſt: *quod cum ſit factum iis quoque temporibus, quibus omnis ad vtilitatem potius, quam ad oſtentationem, componebatur oratio, et adhuc erant ſeueriora iudicia: quanto nunc faciendum magis, cum in ipſa capitis aut fortunarum pericula irrupit voluptas?* Rurſum: *q) pleriſque moris eſt, probato rerum ordine protinus vti, ue in aliquem laetum ac plauſibilem locum, quam maxi-*

 me

n) Epiſt. ad Nepotianum cap. 9. de clericorum vita.
o) Satyr. 1. v. 83. *p)* Inſtit. orat. lib. 4. c. 2. *q)* l. c. cap. 3.

me poſſint fauorabiliter excurrere. Quod quidem natum ab oſtentatione declamatoria, iam in forum venit, poſtquam agere cauſſas, non ad vtilitatem litigatorum, ſed ad patronorum iactationem repertum eſt. Ideoque Pedius Blaeſus, Nerone imperante, ſi TACITO r) credimus, repetundarum poſtulatus atque damnatus eſt a Cyrenenſibus.

§. XIII.

Recitationum prima inſtitutio pulcherrima fuit, atque formandis ingeniis vtiliſſima. Nam eruditiſſimos et accuratiſſimi iudicii amicos, nec multos eligebant, quibus ſcripta ſua communicare ſolebant ideo, vt ex cenſura illorum emendarentur. s) Praeclarum hoc inſtitutum mox in vaniſſimam oſtentationem conuertere non ſunt veriti: neque ſua corrigi, ſed laudari, et grande ſophos efferri poſtularunt recitatores. Eoque ventum eſt hac Latinae linguae aetate, vt ſine iudicio, ſine modeſtia, impudenter prorſus ac inuerecunde, qui recitationibus intererant, confuſam attollerent vocem, et laudarent omnia, maxime illa quae caſtigatione ac ſibilis digniſſima erant: tum enim clamores et plauſus excitabantur, cum aliquid tenerum et molle ad aures venerat. Tum audiebantur σοφῶς, Θείως,

r) Annal. l. 14. c. 18. init. Senatui autem reſtituitur, eodem teſte hiſtor. l. 1. c. 77.

s) PLINIVS lib. 5. epiſt. 3. *Has recitandi cauſſas ſequor: primum, quod ipſe qui recitat, aliquanto acrius ſcriptis ſuis, auditorum reuerentia, intendit: deinde, quod de quibus dubitat, quaſi ex conſilii ſententia ſtatuit. Multa etiam a multis admonetur: et ſi non admoneatur, quid quiſque ſentiat, perſpicit ex vultu, oculis, nutu, manuum motu, murmure, ſilentio; quae ſatis apertis notis iudicium ab humanitate diſcernunt.* Ipſe etiam, vt ſuo loco videbimus, recitauit multa, et alios placide recitantes audiuit.

Θείως, *Euge*, *belle*, *bene*, *decenter*, et ſimiles plauſus. *t*) Stantes quidem dicebant, ſed recitabant ſedentes. Vnde PLINIVS: *v*) *dicenti mihi ſolicite aſſiſtit*, *aſſidet recitanti.* Alibi *x*) recitantes ait ſedentes agere, non vt oratores cum geſtu, inceſſu, diſcurſu etiam. Sedebant autem recitantes ſede celſa ſiue ſublimiori cathedra, quam etiam puluinum appellant. Maximam vero adhibebant curam, vt vox auditoribus placeret, quam herbis aliisue remediis conſeruare ſtudebant. Fuerant quibus pone adſtabat ſeruus a pedibus, tenens ampullam: vt ſe conuerterent ad iſtum inter recitandum, atque voculam rauceſſere incipientem ſorbitiuncula reficerent. Sic alio alioque modo fingebant, imo corrumpebant vocem: et QVINTILIANVS *y*) auctor eſt, a pluribus aetatis ſuae vocem fuiſſe in canticum diſſolutam et effeminatam. Vnde PERSIVS: *z*)

Sede leges celſa, liquido cum plaſmate guttur
Mobile collueris, patranti fractus ocello.

Mollitiem recitantium porro actiones reliquae demonſtrant: ceruicem enim ſuo quodam et peculiari modo inflectebant: qui mos et geſtus delicatorum fuerat. Ita SENECA *a*) de Maecenate, qui etiam in oratione diffluebat: *incipitque reſpirans, vt ceruice laxa feratur.* PERSIVS: *b*)

Quidnam igitur tenerum, et laxa ceruice legendum?

Omni ſtudebant elegantiae, loti prodibant, coma barbaque pexa, et candidati: nihil denique omittebant, quod ipſis

t) Vid. PERSIVS Satyr. I. verſ. 48. Confer. PLVTARCHVS de officio audiendi.

v) Lib. 6. epiſt. 6. *x*) Lib. 2. epiſt. ad Cerealem.

y) Inſtit. orator. l. I. c. 10. *z*) Satyr. I. verſ. 17.

a) Epiſt. 114.

b) Satyr. I. v. 98. Confer. CASAVBONVS ad h. l. pag. 140.

me poſſint fauorabiliter excurrere. Quod quidem natum ab oſtentatione declamatoria, iam in forum venit, poſtquam agere cauſſas, non ad vtilitatem litigatorum, ſed ad patronorum iactationem repertum eſt. Ideoque Pedius Blaeſus, Nerone imperante, ſi TACITO *r*) credimus, repetundarum poſtulatus atque damnatus eſt a Cyrenenſibus.

§. XIII.

Recitationum prima inſtitutio pulcherrima fuit, atque formandis ingeniis vtiliſſima. Nam eruditiſſimos et accuratiſſimi iudicii amicos, nec multos eligebant, quibus ſcripta ſua communicare ſolebant ideo, vt ex cenſura illorum emendarentur. *s*) Praeclarum hoc inſtitutum mox in vaniſſimam oſtentationem conuertere non ſunt veriti: neque ſua corrigi, ſed laudari, et grande ſophos efferri poſtularunt recitatores. Eoque ventum eſt hac Latinae linguae aetate, vt ſine iudicio, ſine modeſtia, impudenter prorſus ac inuerecunde, qui recitationibus intererant, confuſam attollerent vocem, et laudarent omnia, maxime illa quae caſtigatione ac ſibilis digniſſima erant: tum enim clamores et plauſus excitabantur, cum aliquid tenerum et molle ad aures venerat. Tum audiebantur σοφῶς, Θείως,

r) Annal. l. 14. c. 18. init. Senatui autem reſtituitur, eodem teſte hiſtor. l. 1. c. 77.

s) PLINIVS lib. 5. epiſt. 3. *Has recitandi cauſſas ſequor: primum, quod ipſe qui recitat, aliquanto acrius ſcriptis ſuis, auditorum reuerentia, intendit: deinde, quod de quibus dubitat, quaſi ex conſilii ſententia ſtatuit. Multa etiam a multis admonetur: et ſi non admoneatur, quid quiſque ſentiat, perſpicit ex vultu, oculis, nutu, manuum motu, murmure, ſilentio; quae ſatis apertis notis iudicium ab humanitate diſcernunt.* Ipſe etiam, vt ſuo loco videbimus, recitauit multa, et alios placide recitantes audiuit.

Digitized by Google

Θέως, *Euge*, *belle*, *bene*, *decenter*, et ſimiles plauſus. *t*) Stantes quidem dicebant, ſed recitabant ſedentes. Vnde PLINIVS: *v*) *dicenti mihi ſolicite aſſiſtit*, *aſſidet recitanti.* Alibi *x*) recitantes ait ſedentes agere, non vt oratores cum geſtu, inceſſu, diſcurſu etiam. Sedebant autem recitantes ſede celſa ſiue ſublimiori cathedra, quam etiam puluinum appellant. Maximam vero adhibebant curam, vt vox auditoribus placeret, quam herbis aliisue remediis conſeruare ſtudebant. Fuerant quibus pone adſtabat ſeruus a pedibus, tenens ampullam: vt ſe conuerterent ad iſtum inter recitandum, atque voculam rauceſſere incipientem ſorbitiuncula reficerent. Sic alio alioque modo fingebant, imo corrumpebant vocem: et QVINTILIANVS *y*) auctor eſt, a pluribus aetatis ſuae vocem fuiſſe in canticum diſſolutam et effeminatam. Vnde PERSIVS: *z*)

Sede leges celſa, *liquido cum plaſmate guttur*
Mobile collueris, *patranti fractus ocello.*

Mollitiem recitantium porro actiones reliquae demonſtrant: ceruicem enim ſuo quodam et peculiari modo inflectebant: qui mos et geſtus delicatorum fuerat. Ita SENECA *a*) de Maecenate, qui etiam in oratione diffluebat: *incipitque reſpirans*, *vt ceruice laxa feratur*. PERSIVS: *b*)

Quidnam igitur tenerum, *et laxa ceruice legendum?*

Omni ſtudebant elegantiae, loti prodibant, coma barbaque pexa, et candidati: nihil denique omittebant, quod ipſis

t) Vid. PERSIVS Satyr. I. verſ. 48. Confer. PLVTARCHVS de officio audiendi.

v) Lib. 6. epiſt. 6. *x*) Lib. 2. epiſt. ad Cerealem.

y) Inſtit. orator. l. I. c. 10. *z*) Satyr. I. verſ. 17.

a) Epiſt. 114.

b) Satyr. I. v. 98. Confer. CASAVBONVS ad h. l. pag. 140.

Digitized by Google

ipſis gratiam et commendationem aliquam conciliare poſſet. *c*) Cum antea recitauerint domi ad emendationem amicis conuocatis: publice nunc in auditoriis vel alibi, in quanta maxima fieri poterat corona, quae ſcripſerant, ad oſtentationem praelegebant. Recitaturi multum laborabant, vt maximus eſſet auditorum concurſus: aduocabant amicos et notos ſibi omnes, quos variis modis inuitare ſolebant. Auctor dialogi de cauſſis corruptae eloquentiae: *d*) *Baſſus*, ille celebris poeta, *cum toto anno vnum librum excudit et elucubrauit, rogare vltro et ambire cogitur, vt ſint qui dignentur audire: et nec id quidem gratis: nam et domum mutuatur, et ſubſellia conducit, et libellos ſpargit.* Corrogabant auditores, ac impenſis caenarum ſuffragia illorum redimebant: quod et in cauſſidicis IVVENALIS *e*) notat. PETRONIVS: *f*) *multo me turpior es tu, Hercule, qui vt foris caenares, poetam laudaſti.* Poſtquam aliquid recitarunt, auditores quid ſibi viſum fuerit rogant, his propemodum vocibus conceptis: VERVM AMO, VERVM MIHI DICITE DE ME. *g*) Quaſi proficere, non laudari cuperent. Suo tempore iunior PLINIVS, *h*) *nunquam porro*, inquit, *aut valde raro, vacat Romae, aut commodum eſt, audire recitantem.* Etiamſi conuenerint, vt recitantem audirent, idem teſtatur, ad fucum tamen faciendum, praeterita fuiſſe multa, et omnes huius alias non contemnendi exercitii fructus euanuiſſe. *Recitaui*, inquit *i*) *biduo: hoc aſſenſus audientium exegit: et tamen vt alii tranſeunt quaedam, imputantque* i. e. beneficii loco habent, *quod tranſeant; ſic ego nihil praetereo,* *atque*

c) PERSIVS Satyr. 1. v. 15. ſeqq. Et ad eum CASAVBONVS.
d) Cap. 9. *e*) Satyr. 13. *f*) Satyr. fragm.
g) PERSIVS Satyr. 1. v. 55. CASAVBONVS ad eum comment. pag. 99.
h) Lib. 3. epiſt. 18. *i*) Lib. 8. epiſt. 21. n. 4.

Digitized by Google

atque etiam non praeterire me, teſtor. — Quid praeſtant ſodales, ſi conueniunt voluptatis ſuae cauſſa? Alibi: *k) magnum*, inquit, *prouentum poetarum annus hic attulit. Toto menſe Aprili nullus fere dies, quo non recitaret aliquis. Iuuat me quod vigent ſtudia, proferunt ſe ingenia hominum et oſtendant: tametſi ad audiendum pigre coitur. Plerique in ſtationibus ſedent, tempusque audiendi fabulis conterunt, ac ſubinde ſibi nuntiari iubent, an iam recitator intrauerit, an dixerit praefationem, an ex magna parte euoluerit librum: tum demum, ac tunc quoque lente cunctanterque veniunt: nec tamen permanent, ſed ante finem recedunt, alii diſſimulanter et furtim, alii ſimpliciter et libere.*

§. XIV.

Vt in peius rueret literatura et eloquentia Romana: Caeſarum inprimis etiam factum eſt tyrannide. Quam vt ſibi acquirerent, iiſdem artibus opus fuerat: adeo quidem, vt liberaliores diſciplinae hanc adeo infauſtam progenuiſſe filiam; filiaque matrem obruiſſe videatur. Docuimus alibi, *l*) bellicoſiſſimam nationem, vt imperatores ſalui eſſent, ab armis ad artes reuocandam et beneficiis cumulandam fuiſſe. Poſtquam enim, C. Caſſio et M. Bruto ad Philippos Macedoniae, M. Antonio Actiaca pugna victis caeſisque, res Romanorum in vnius Caeſaris Octauiani Auguſti poteſtatem venerunt: vt rigidos populi Romani atque tot heroum animos frangeret ſenſim ſine ſenſu et domaret: paulatim iſtos a militaribus ſtudiis, cum ad ludos et voluptates, tum ad magis proficuam ſibi et molliorem literaturam abduxit. Nam quod alius, *m*) interdicto armorum vſu, in

k) Lib. I. epiſt. 13. *l*) De virili aetate Latinae linguae part. I. c. I. §. 8.
m) Vid. PLVTARCHVS de Xerxe in apoph.

Digitized by Google

in ordinem redactos fidibus ac fiſtulis canere; alius *n*) cauponas et ludicras artes exercere iuſſit: alius vltro deditis, aut vi ſubactis dextrum eruit oculum, vt quoniam ſcutum ſiniſtro proſpectum negat, omnes bello inutiles fierent: *o*) laudatus imperator crudele ac generoſo pectore indignum, vel etiam, vt fortuna ferat, proximum ad ipſam rebellionem incitamentum eſſe duxit. Euirandis autem animis ac dominationi ſtabiliendae magis iucunda et longe callidiora Caeſaris Octauiani conſilia fuere: vt populus Romanus ſe ter quaterque beatum, inprimis felicem atque venuſtum exiſtimaret: illos ipſos ſpiritus, quibus olim Tarquinios, Decemuiros atque Senonas eiecit, quam lubentiſſime deponeret: ac libertatem cum fortitudine auitam, cuius adhuc religioſiſſimus fuit cuſtos, praeter ſenſum et opinionem perexiguo proditionis pretio in abiectiſſimam ſeruitutem mutaret. Quoquo ſe res habeat modo, quamplurimis nobilibus certe hoc otium literarium quoddam velut munimentum aduerſus principum impotentiam erat: et quo quis ſemet occultabat magis, eo prudentior habebatur. *p*)

§. XV.

n) Apud IVSTINVM l. I. c. 7. §. 12. *o*) Apud IOSEPHVM 6. antiq. 5.

p) Eadem fere centum poſt annis Cn. Agricolae ſententia fuit, qui vt bellicoſiſſimae *Britannorum* nationes *quieti et otio per voluptates aſſueſcerent, hortari priuatim, adiuuare publice, vt templa, fora, domos exſtruerent, laudando promtos, et caſtigando ſegnes. Ita honoris aemulatio pro neceſſitate erat. Iam vero principum filios liberalibus artibus erudire, et ingenia Britannorum ſtudiis Gallorum anteferre, vt qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiſcerent. Inde etiam habitus noſtri honor et frequens toga. Paulatimque diſceſſum ad delinimenta vitiorum; porticus et balnea, et conuiuiorum elegantiam. Idque apud imperitos humanitas vocabatur, cum pars ſeruitutis eſſet.* Apud TACITVM Agricolae vita cap. 21.

§. XV.

Vti vero, etiam notante SALLVSTIO q) in libertate magis nos extollimus, magisque ingenium in promtu habemus: ita ſub immani ſeruitutis iugo viuidas ac ingenuas mentes contundi, vel deprimi, et ipſam virilem eloquentiam frangi, tandemque in ſeruile obſequium ſubmitti, ſentimus. Virtus et rerum gerendarum dexteritas, reip. amor, veritas, dicendi libertas, cetera, quibus antiqua Romanorum fides ac nobilitas exſplenduit, iam tum imperante Tiberio, publicis criminibus accenſebantur. Sic plures in poenula, quam in praetexta occurſuri, beneuolentiam captabant plerique, ac nefaria aſſentatione artem ſuam venalem exponebant. Oratores et poetae, voce et ſtilo, non priſtinam eloquentiae vtriuſque gloriam atque nitorem, ſed principis gratiam ſaepius et mercedem quaerebant. Deteriores hiſtorici, vel adulatores potius, qui principum res geſtas laudare magis, quam deſcribere inſtituerunt, miſeraque illa et ex periculis facta prudentia, oculos, animos, et aures a rep. et maiorum virtutibus auerterunt. Exempli gratia ipſe Valerii Maximi exemplorum memorabilium prologus eſſe poteſt, quem ad Tiberium Caeſarem Auguſtum ſcripſit. Quotus vero quiſque eſt, qui vel obiter imperatorem iſtum nouit, eiusque elogia aequo animo ferre poteſt. *Te*, inquit, — *penes quem hominum deorumque conſenſus maris ac terrae regimen eſſe voluit, certiſſima ſalus patriae, Caeſar inuoco: cuius coeleſti prouidentia virtutes, de quibus dicturus ſum, benigniſſime fouentur: vitia ſeueriſſime vindicantur. Nam ſi priſci oratores ab Ioue Opt. Max. bene orſi ſunt, ſi excellentiſſimi vates a numine aliquo principia traxerunt: mea paruitas eo iuſtius*

 ad

q) Catil. cap. 7.

ad fauorem tuum decurrit, quod cetera diuinitas opinione colligitur, tua praeſenti fide paterno auitoque ſideri par videtur: quorum eximio fulgore multum ceremoniis noſtris inclutae claritatis acceſſit. Magis ſcite poetico ſpiritu nemo mentiri potuiſſet. Illene certiſſima ſalus patriae, qui ad exitium et maximam generis humani calamitatem natus; ſuaque ſcelera ad prouectiorem vſque aetatem perduxit? Quaenam eius adeo commendatae virtutes? Quae diuinitas in homine, qui totus quantus vitiis flagitiisque obrutus periit? Aulae mancipium hoc fortaſſe tolerandum, ſi de principiis imperii loqueretur, quibus Caeſar nondum vi dominationis conuulſus benigniori fama erat. Scripſit autem, vt ex eius vndecimo libri noni capite conſtat, cum Seianus iam interfectus eſſet; atque Tiberius dudum in ſua ſcelera ſimul ac dedecora proruperit. *r*)

§. XVI.

Imperatorum ſaeua immanitas ex eruditiſſimis quamplurimos afflixit ac bonas literas exulare iuſſit. Vel ex SVETONIO *s*) conſtat, Tiberium quamplurimos ſecum habuiſſe adulatores paraſitantes, quos *Graeculos* vocare ſolebant. *t*) Neque in iſtos conuictores ſuos lenior fuerat. Zenonem quendam exquiſitius ſermocinantem relegauit Cynariam. Seleucum Grammaticum primum a contubernio remouit, deinde etiam ad mortem compulit. *v*) Ipſius Seiani non pepercit. *x*) Obiectum eſt poetae, quod in tragoedia Agamemnonem probris laceſſiſſet: obiectum eſt

r) Confer. TACITVS annal. l. 6.

s) Tib. cap. 46.

t) Confer. IVVENALIS:
Graeculus eſuriens in coelum, iuſſerit, ibit.

v) SVETONIVS Tib. cap. 56. *x*) Idem cap. 61.

eſt hiſtorico, *y*) quod Brutum Caſſiumque vltimos Romanorum dixiſſet: ſtatim in auctores animaduerſum eſt, ſcriptaque abolita, quamuis probaretur, aliquot ante annos, fuiſſe recitata, ipſo etiam audiente Auguſto. Cuſtodiae traditis, non modo ſtudendi ſolatium, ſed etiam ſermonis et colloquii vſus ademtus fuit. *z*) Caius Caligula monſtrum verius quam homo dicendus, tantum non, ſi potuiſſet, totum eruditionis theſaurum cum veterum monumentis aboleuiſſet. Atellanae poetam, ob ambigui ioci verſiculum, media amphitheatri harena igni cremauit. *a*) Inter varios iocos, cum aſſiſtens ſimulacro Iouis conſuluiſſet Apellem tragoedum, vter illi maior videretur, cunctantem flagellis diſcidit: deprecantis ſubinde collaudans vocem, quod etiam in gemitu praedulcis eſſet. *b*) Nero Claudius praeter Lucanum ipſum praeceptorem Senecam ad necem compulit, quamuis ſaepe commeatum petenti, bonisque cedenti, ſancte iuraſſet, ſe fruſtra ſuſpectum, ac periturum potius, quam ei nociturum. *c*) Domitianus Hermogenem Tarſenſem, propter quaſdam in hiſtoria figuras, occidit: librariis etiam, qui eam deſcripſerant, crucifixis. *d*) Idem, cunctis Capitolino certamine ingenti conſenſu precantibus, vt Palfurium Suram, olim ſenatu pulſum, atque nunc de oratoribus coronatum, reſtitueret: nullo reſponſo dignatus, tacere tantummodo iuſſit voce praeconis. *e*) Haec triſtia fuerunt *f*)

 Tem-

y) Is fuit A. Cremutius Cordus. vid. SVETON. Aug. c. 35. Calig. cap. 16. TACITVS annal. l. 4. c. 34. SENECA in conſol. ad Marciam cap. 22. *z*) SVETON. Tib. c. 61.

a) SVETON. Caligul. cap. 27. *b*) Ibid. cap. 33.

c) SVETON Neron. cap. 35. *d*) Idem Domit. cap. 10.

e) Ibid. c. 13. *f*) Apud IVVENALEM Satyr. 4. v. 151.

Tempora ſaeuitiae, claras quibus abſtulit vrbi
Illuſtreſque animas impune, et vindice nullo.

Ecquis dubitabit, atrociſſimis ab Nerone, Domitiano et Traiano excitatis Chriſtianorum perſecutionibus, praeclara multa ingenia, atque viros doctos interiiſſe? Neronis obliuiſci non poſſum, et eorum, quae in viros eruditione et virtute inclutos patrauit. Sub iſtius ſemiſſis hominis nefario regimine, omnis periit literatorum aurea libertas; tantoque maior omnibus cum ſeruitute, et in optimis artibus proficiendi formido incutiebatur atque timor: vt PLINIO *g*) teſte, *omne ſtudiorum genus paullo liberius et erectius, periculoſum ſeruitus fecerit.* Impleuit annales tragicis exemplis, Rubellii Plauti, Cornelii Sullae, Caſſii Longini, celebris iure conſulti, Annaei Melae, fratris Senecae, quem itidem trucidauit, C. Piſonis, Antonii Natalis, Plautii Laterani, deſignati Conſulis, Claudii Senecionis, Annaei Lucani, aliorum, quos TACITVS *h*) quaſi officio exequiali proſequitur. Domitianus non ſolum clariſſima ingeniorum monumenta, tot libros inſignes, in foro et comitio comburenda curauit; verum etiam vno edicto philoſophos vrbe et Italia expulit, *i*) aut interemit. *k*) Vnde SVLPITIA: *l*)

— Quidnam pater ille Deorum
Cogitat? an terras, et patria ſecula mutat?

Quaſ-

g) Lib. 3. epiſt. 5. n. 5. *h*) Annal. l. 15.

i) SVETONIVS Domit. c. 10. A. GELLIVS noct. Attic. l. 15. cap. 11. EVSEBIVS ad ann. 2104. et 2111.

k) XIPHILINVS 67. p. 765. ἄλλοι τε ἐκ τῆς αὐτῆς ταύτης τῆς κατὰ τὴν φιλοσοφίαν αἰτίας συχνοὶ διώλοντο. ***Compluresque alii ex eadem cauſſa, quod ſtudio philoſophiae operam darent, occiſi fuerunt.***

l) Satyra de corrupto ſtatu reip. temporibus Domitiani, praeſertim cum edicto philoſophos vrbe exegiſſet. In poetis ſatyricis minoribus BOXHORNII pag. 12.

Digitized by Google

Quaſque dedit quondam, morientibus eripit artes?
Noſque iubet tacitos, et iam rationis egenos,
Non aliter, primo quam quum ſurreximus aeuo,
Glandibus et purae rurſus procumbere lymphae?

§. XVII.

Saeua geſta fuerunt bella: vt cederent Marti manſuetiores Muſae, atque literarum ſtudia frequenti armatorum impetu prohiberentur. Inimica inprimis ſunt bella elegantiorum ſermoni et ornatui. Vnde iam tum ſuo tempore CICERO *m*) linguae Latinae ac eloquentiae male ominatur: *Sic*, inquit, *Q. Hortenſii vox extincta fato ſuo eſt, noſtra publico. — ſaepe inter nos impendentes caſus defleuimus, cum belli ciuilis cauſſas in priuatorum cupiditatibus incluſas, pacis ſpem a publico conſilio eſſe excluſam videremus. Sed illum videtur felicitas ipſius, qua ſemper eſt vſus, ab eis miſeriis, quae conſecutae ſunt, morte vindicaſſe. Nos autem, Brute, quoniam poſt Hortenſii, clariſſimi oratoris, mortem orbae eloquentiae quaſi tutores relicti ſumus, domi teneamus eam ſeptam liberali cuſtodia, et hos ignotos atque imprudentes procos repudiemus, tueamurque vt adultam virginem caſte, et ab armatorum impetu, quantum poſſumus, prohibeamus.*

§. XVIII.

Variorum confluxus erat populorum ex prouinciis atque vrbibus remotis, qui ſub Tiberio Imperatore et poſt ea tempora ciuitate Romana donati ſermonem veterum Romanorum dictionibus ſuis vti moribus etiam magis atque magis corrumpere videbantur. Licet enim homines ipſi fuerint in ciuitatem recepti: peregrina tamen eorum vocabula idem ius obtinere nullo modo potuerunt,

m) De claris oratoribus cap. 96.

Digitized by Google

tuerunt, ſalua Latinitatis caſtitate ac veteri orationis gloria, quae in puritate et elegantia adhuc perſiſtebat. Nihil magis, quam inquinata peregrinorum oratio, patrium cuiuſcunque ſermonem inficere, barbariem inuehere foetidam, ac pura turbare ſolet. Quod iam tum aeuo ſuo, cum nitor linguae Romanae eſſet maximus, eloquentiae pater, MARCVS TVLLIVS, *n*) fato Latinae linguae aduerſo, mox euenturum, ſignis non fallacibus praeuidere poterat: et ſaepius audiebatur conqueri, quod receptis in ciuitatem tot exteris, corrumpi coepiſſet natiuus ille color ſermonis Romani. *Omnes fere*, inquit, *qui nec extra vrbem hanc vixerant, nec eos aliqua barbaries domeſtica infuſcauerat, recte loquebantur. Sed hanc certe rem deteriorem vetuſtas fecit, et Romae, et in Graecia. Confluxerunt enim et Athenas, et in hanc vrbem multi inquinate loquentes ex diuerſis locis: quo magis expurgandus eſt ſermo, et adhibenda quam obtruſa ratio, quae mutari non poteſt, nec vtendum prauiſſima conſuetudinis regula.* Alibi: *o*) *Ego autem mirifice capior facetiis, maxime noſtratibus: praeſertim cum eas videam primum oblitas Latio tum, cum in vrbem noſtram eſt infuſa peregrinitas: nunc vero etiam braccatis, et transalpinis nationibus, vt nullum veteris leporis veſtigium appareat.* Nam poſt Marſicum bellum *p*) ciuitas Romana omnibus Latinis atque Italis municipiis data fuit. *q*) Iulius Caeſar peregrinos ciuitate donauit multos: ciuitate donatos et quoſdam e ſemibarbaris Gal-

n) De claris oratoribus cap. 74.

o) Ad famil. l. 9. epiſt. 15.

p) De quo VELLEIVS PATERC. l. 2. c. 15. Confer. tr. de virili aetate L. L. part. 1. c. 1. §. 3. ſeq.

q) DIO CASSIVS l. 43. TACITVS annal. l. 11. c. 23.

Digitized by Google

Gallorum in curiam recepit. *r*) Gaditanis omnibus, atque etiam Gallis tranſpadanis ciuitatem dedit. *s*) In donanda ciuitate parcior fuit Auguſtus, ſed tamen et aliquando eam totis ciuitatibus tribuit. *t*) Tiberius et Caeſares eum ſequentes fuerunt tam liberales in profundenda veteri vrbis gloria: vt Vmbritius ſuo tempore non immerito conqueſtus ſit: *v*)

— non poſſum ferre, Quirites,
Graecam vrbem, quamuis quota portio faecis Achaeae?
Iam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
Et linguam et mores, et cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana ſecum
Vexit, et ad circum iuſſas proſtare puellas.

His temporibus non modo omnes Italiae populi Romana gaudebant ciuitate; verum et aliae extra Italiam regiones eandem receperunt. Gallos Galba imperator Romana ciuitate donauit atque tributi leuamento: ita quidem vt proximae Germanis ciuitates eodem honore non haberentur. *x*) Idem ius vniuerſae Hiſpaniae Imperator Veſpaſianus impertiuit: *y*) quod tandem VLPIANO teſte *z*) omnes

r) SVETONIVS Caeſar. c. 76. et 86. Vbi quidem hiſtoricus Narbonenſes ſiue Braccatos intelligit, qui politiores induxerant mores. Gallos vero omnes Romani, quaedam veluti Graeca ſuperbia elati *barbaros* vocarunt. Vnde *barbarici ſoni* ſunt Gallica *verba*, quae ab Latina grauitate abhorrent. Pluribus exemplis hoc probat BARTHIVS aduerſar. L. 10. c. 17.

s) DIO CASSIVS l. 41. *t*) SVETONIVS Auguſt. c. 47.

v) Apud IVVENALEM ſatyr. 3. v. 60. ſeqq.

x) Vid. TACITVS hiſt. l. 1. c. 8.

y) PLINIVS hiſt. nat. l 3. c. 3. circa fin.

z) L. 17. D. de ſtatu hominum: *In orbe Romano qui ſunt, ex conſtitutione imperatoris Antonini ciues Romani effecti ſunt.*

omnes prouinciae Romanis ſubiectae ab Antonino Pio impetrarunt. Nec fortaſſe quiſquam fuerat, qui ſe Latinae linguae cognitione prorſus deſtitutum crederet decenter ea libertate perfrui poſſe. Frequentes coloniae in prouincias imperio Romanorum ſubiectas deducebantur, partim vt rebelliones praecauerentur; partim vt hoſtium inuaſionibus reſiſteretur; partim vt praemiis afficerentur milites; partim vt ciuitates nimis repletae exonerarentur, atque pauperibus ſubuenire liceret. Frequentes erant legationes. Supplicationes & appellationes tam exterorum, quam prouincialium non niſi Latina lingua. Romae in ſenatu peragebantur. Leges, quibus obſequendum in prouinciis, erant Latinae. Praetores vbique ſua decreta vulgo dabant Latine. *a*) Qui potuit euenire aliter, quam vt cum Romanorum imperio ſimul etiam lingua eorum Latina propagaretur? Neque ſolum D. AVGVSTINVS *b*) aſſerit, inprimis Romanos dediſſe operam, vt lingua eorum cum dominio propagaretur: verum ipſe etiam VALERIVS MAXIMVS *c*) notanter ſcribit, eos, vt maieſtatem retinerent ſuam, ne Graecis quidem, niſi Latine, reſponſa dediſſe; ſi vel maxime per interpretem loqui cogerentur. Ita vocis Latinae honorem per omnes gentes voluerunt eſſe diffuſum: vt nefas propemodum haberetur etiam in prouinciis Latinam non intelligere linguam. Hinc certe legimus *d*) Graeciae principem virum, quod Latinae linguae ignarus eſſet, a Claudio Impe-

a) L. 48. D. de re iudicata *Decreta a praetoribus Latine interponi debent.*

b) De ciuitate Dei l. 19. c. 7.

c) Lib. 2. cap. 2. §. 2.

d) Apud DIONEM CASSIVM l 57. et SVETONIVM vita Claudii c. 16. Confer. pl. tr. de virili aetate L. L. part. 1. c. 1. §. 4.

Imperatore iudicum albo eraſum, et non ſine dedecore in peregrinitatem redactum fuiſſe. Neque adeo mirum, ab eo tempore in pluribus prouinciarum quoque ſcholis ſolam Romanorum linguam in vſu et maximo pretio habuiſſe. Ecquid vero inde aliud euenire potuit, quam vt amplitudo ipſi linguae fieret grauis; eiusque ad ſummum prouecta gloria ſenſim rueret ſua mole. Peregrinitas vbique ingraueſcens atque barbaries non eadem cura et caſtitate linguam Latinam ſuſcipere, amplecti et fouere ſecum ſemper potuit, quin varie infecta et maculata redierit ad ſuos, tantumque ex frequenti cum gentibus aliis commercio amiſerit ſui nitoris: quantum iſtis gratiae ſuae viſa eſt impertiri. Nec ab re MORHOFIVS *e*) *maxima*, inquit, *Latinae linguae peregrinitas vt nunc a populis, qui illam adoptarunt: ita olim a prouinciis illata eſt. Nam deductione coloniarum et donatione ciuitatis peregrinitas ſucceſſit: cum et qui emigrarunt, illam alibi hauſerint, et qui conuenerunt in vrbem, illam ſecum aduexerint.*

§. XIX.

Ita vero priſtina Latinae linguae dignitas et gloria ſenſim ſine ſenſu defecit: vt magna ſuperfuerit tamen ingeniorum ſeges; et feliciora illis, quae mox ſequebantur, liberalioribus Muſis coeperint arridere ſecula: quae ſi cum metallis componere velimus, non quidem adhuc iudicabantur eſſe aurea, ſed tamen illi proxima et argentea vocabantur; neque vt aes atque ferrum, aut vilius aliquod metallum, a nitore et pretio ſuperioris ſeculi longius receſſiſſe, dici poterant. Certe auctores fuerunt plurimi eloquentiae Romanae et caſtitatis in ſermone cuſtodes accuratiſſimi, qui ſtudio et induſtria ſe ſuaque

e) De patauinitate Liuiana cap. 9. init.

Digitized by Google

monumenta poſteritati commendarunt. Et ipſe inter illos iunior PLINIVS *f*) *ſum*, inquit, *ex iis, qui mirer antiquos: non tamen, vt quidam, temporum noſtrorum ingenia deſpicio. Neque enim quaſi laſſa et effoeta natura, vt nihil iam laudabile pariat.* Fruſtra accuſatur natura, vbi homines ignauia ſua deficiunt. Sed Epicuraeos atque Stoicos notare videtur, qui vt initium ac finem mundi, ita ſenium quoque ſtatuebant: VT LVCRETIVS, *g*)

Iamque, inquit, *adeo fracta eſt aetas, effoetaque tellus*
Vix animalia parua creat.

§. XX.

Nec defuerunt ingenia, quae veterum conſuetudinem ſeruarunt: ac omnem curam induſtriamque optimis literis conſecrarunt. Quod in ſequentibus huius aeui luminibus ſatis clare patebit. In deterius ex. gr. abiit recitationum conſuetudo: quam alii dici non poteſt quam ſancte inter ſe cuſtodiuere, et vix librum compoſitum edere conati ſunt, antequam conuocatis amicis, vel publice promiſcuis auditoribus fuerit praelectus: vt cenſuram eorum ex ſignis vultuque ad vſum et emendationem obſeruarent. *h*) Vel etiam ex amicis, quos doctiſſimos habebant, alicui, velut Ariſtarcho, mittebant ſuos libellos et eorum emendationem petebant. Ita Proculus Plinium ſuum rogauit, vt ſuos in ſeceſſu libellos legeret et examinaret, an editione ſint digni. *i*) Et Plinius Taciti librum legit et quam diligentiſſime annotauit; ſuum viciſſim illi examinandum tradidit librum: cum vterque verum dicere conſueuerit, vterque etiam libenter audire. *k*)

§. XXI.

f) Lib. 6. epiſt. 21. *g*) Lib. 2. v. 1150.
h) Vid. PLINIVS lib. 5. epiſt. 3. paſſim.
i) Apud PLINIVM l. 3. epiſt. 15. *k*) Idem l. 7. epiſt. 20.

Digitized by Google

§. XXI.

Vti vero, nec habita prauationis multorum ratione, humanitatis ac literarum liberaliorum ſtudia amplius vigerent: in cauſſa procul dubio fuerunt ſcholae, quas adhuc frequentes Romae habebant, priuatae ac publicae. Teſtis eſt SVETONIVS, *l*) magis ac magis gratiam atque curam artis increuiſſe: vt ne clariſſimi quidem viri abſtinuerint, quo minus et ipſi aliquid de ea ſcriberent: vtque temporibus quibusdam ſuper viginti celebres ſcholae fuiſſe in vrbe tradantur. Tandem hoc ſeculo publica magiſtratus auctoritate ſcholas publicas fuiſſe inſtitutas legimus. Si fides EVSEBIO, *m*) Quintilianus eiusmodi ſcholam primus accepit: qui, quod ipſe teſtatur, *n*) per viginti annos ſtudioſam iuuentutem ſingulari cura et induſtria nobiliſſimam artem rhetoricam docuit. SVETONIVS *o*) vero etiam de Tito Flauio Veſpaſiano praedicat, quod primus e fiſco Latinis Graecisque rhetoribus annua centena conſtituerit, praeſtantes poetas, nec non et artifices coemerit. Maximus enim literarum patronus fuit: et ipſe Baſſus tanti Principis liberalitatem et munificentiam percepit ita, vt ab eo quingenta ſeſtertia dono acceperit. *p*) Poſtea Antoninus Pius rhetoribus et philoſophis per omnes prouincias et honores et ſalaria detulit. *q*) Ac ipſe EVMENIVS rhetor *r*) de ſe teſtatur: *Salarium me liberaliſſimi principes ex huius rei publicae viribus in ſexcenis millibus*

l) De illuſtr. Gramm. cap. 3. *m*) In Chron.
n) Prooem. l. 1. inſtit. orator.
o) In Veſpaſ. cap. 18.
p) Auct. de cauſſ. corruptae eloquentiae apud Tacit. cap. 60.
q) Vid. IVLIVS CAPITOLINVS in eius vita cap. 11.
r) Orat. pro reſtaurat. ſchol. c. 11. Conferr. Celeberr. WALCHIVS parerg. acad. pag. 64. ſeqq.

libus nummum accipere iuſſerunt: non quoniam non amplius tribuere commodis meis vellent, in quem multo maiora et prius et poſtea praemia contulerunt; ſed vt tercena illa ſeſtertia, quae ſacrae memoriae magiſter acceperam, in honore priuati huius magiſterii addita pari ſorte geminarent. Iam tum vero vt vocationem ciuilium munerum, iſta et ne hoſpitem reciperent, a principibus, immunitatem fuiſſe indultam Grammaticis, et oratoribus, et Medicis, et Philoſophis, iam Veſpaſianus et Hadrianus, teſte ARCADIO CHARISIO, *s*) reſcripſerunt. Sic viri principes adhuc publicae vtilitati proſpiciebant, atque Scholarum quoque maximam habebant curam; nec priuati verebantur illas ſuis ſumtibus ſuſtinere. Ita PLINIVS *t*) municipes ſuos hortabatur, vt ſcholam inſtituant, tertiam ſumtus partem pollicitus. Et de literis bene meritos et optimae ſpei adoleſcentes egregiis ornabant beneficiis; illorum ne teſtamentis quidem immemores. *v*)

§. XXII.

Licet etiam Principes voluptatibus eſſent dediti, crudeles ac multis nominibus inuiſi: vt eruditionis ac literarum theſauri manerent: inſignem tamen nonnunquam bibliothecarum curam habebant. Tiberius Graecos poetas, et in his Euphorionem, Rhianum et Parthenium ad imitationem dilexit adeo, vt ſcripta eorum, et imagines, inter veteres et praecipuos auctores dedicaret publicis bibliothecis. Quamobrem plerique eruditorum certatim ad eum multa de his ediderunt. *x*) Etiam Syracuſis Romam

s) L. 18. extr. D. de muneribus et honoribus.

t) Lib. 4. epiſt. 13.

v) PLINIVS l. 7. epiſt. 20. extr.

x) Teſte SVETONIO Tib. cap. 70.

Digitized by Google

Romam tranſtulit Apollinem Temenitem, et amplitudinis et artis eximiae: vt in bibliotheca noui templi poneretur. *y*) Ille enim ſibi auguſtam exſtruxerat domum, *z*) quam ad publicum vſum magnifica inſtructam fuiſſe bibliotheca, ex quam plurimis illius aeui monumentis diſcimus. Sic libris ex domo Tiberiana FLAVIVS VOPISCVS *a*) ad conſcribendam hiſtoriam vſus eſt. Et A. GELLIVS: *b*) *cum*, inquit, *in domus Tiberianae bibliotheca ſederemus, ego et Apollinaris Sulpicius, et quidam alii, mihi aut illi familiares: prolatus forte liber eſt*, et quae ſequuntur. Idem GELLIVS *c*) mentionem facit *Pacis Bibliothecae*, quam ſine dubio Veſpaſianus templo Pacis a ſe exſtructo addidit. *d*) Quamuis etiam Domitianus Imperator liberalia ſtudia neglexerit, philoſophos eiecerit, nec opus aliud laude valde dignum patrare inſtituerit: bibliothecas tamen, incendio abſumtas, impenſiſſime reparare curauit: exemplaribus vndique petitis, miſſisque Alexandriam, qui libros deſcriberent aut emendarent. *e*) Vlpiam bibliothecam templi Traiani, ab optimo imperatore inſtitutam commemorant GELLIVS, *f*) atque VOPISCVS, *g*) qui liteis *h*) ſe ex eadem

y) Ibid. cap. 74.

z) Cuius praeter alios etiam meminit CAPITOLINVS Antonino Pio cap. 10. Antonin. Philoſ. c. 6. et Vero Imper. c. 2.

a) Prob. Imper. cap. 2.

b) Noct. Attic. l. 13. c. 18. *c*) Lib. 16. cap. 8.

d) IOSEPHVS antiq. iud. l. 7. c. 25. B. G. STRVVIVS introd. in notitiam rei literariae c. 2. §. 13.

e) SVETONIVS Domit. c. 20 Eam fuiſſe *bibliothecam Capitolinam* ſub Commodo conflagratam, opinatur LIPSIVS de bibliothecis. c. 7.

f) Noct. Attic l. 11. c 17. *g*) Aureliano cap. 1. et Probo cap. 2.

h) In hac ſua bibliotheca Plinii iunioris ſuaſu inſtructa, imperator libris *linteis* geſta principum, et *elephantis* SCta conſcribi curauit. vid. MONTFAVCON. in praef. palaeographiae Graecae p. 18.

Digitized by Google

eadem libris aliquoties vſum fuiſſe profitetur. Et patet ſimul inde bibliothecam Vlpiam in thermas Diocletianas translatam fuiſſe, cum aetate ſua in iis exſtitiſſe dicat.

§. XXIII.

Aliae bibliothecae Romanorum prope non fuerunt numerandae, quibus acta, leges, Senatus conſulta, Plebiſcita, et alia ad remp. ſpectantia aſſeruare ſolebant. Et erant *ſacrae bibliothecae* in aedibus et templis Deorum cum variis donariis conſecratae. *i*) Collegia pontificum, augurum, vatum et aliorum, bibliothecas quoque ſuas peculiares habebant.

§. XXIV.

Recte monet CELLARIVS *k*) bibliothecas, publici iuris vt eſſent, ſero nec ante tempora Auguſti, apud Romanos inſtitutas fuiſſe; priuatas autem paene multas et illuſtres, inſtar publicarum, ſine inuidia vſui eruditorum patuiſſe. Et haec commoda, qui literarum amantiſſimi erant, commilitonibus ſuis impertiri ſolebant, vtut paulo triſtiori Latinae linguae ſeneſcentis aeuo. *Perſius* ſatyricus poeta florentiſſimus Cornuto, praeceptori ſuo bibliothecam legauit. *l*) Sub Traiano, qui literarum reſtaurator eſſe videbatur *Plinius* Iunior Nouocomi in municipio ſuo bibliothecam dedicauit, et annuos ſumtus in alimenta ingenuorum conſtituit. *m*) Et celebratiſſimae fuerunt bibliothecae *Epaphroditi* Chaeronenſis Grammatici,

i) TERTVLLIANVS de idolol. cap. 10. *idolorum tabularia* vocat.

k) Diſſert. de ſtudiis Romanorum literariis §. 16. Confer. diſſert. noſtra de virili aetate L. L. part. 1. c. 1. §. 38. Et COLERVS anal. ad Struuii introd. ad notitiam rei literariae c. 2. §. 13.

l) Vid. PROBVS vel quisquis ſit auctor antiquus in Perſii vita: quam et nos paulo inferius recenſebimus.

m) PLINIVS lib. 1. epiſt. 8.

matici, qui ſub Nerone, ad Neruam uſque floruit, *Iulii Martialis*, *Herennii Seueri*, *Herodis Attici*, viri conſularis et Sophiſtae. etc. *n*)

§. XXV.

Vt taceam alias eruditorum bibliothecas, quae intra priuatos parietes erant: praeter vrbanas et generoſiſſimi Romanorum quique in villis ſuis bibliothecas ſolebant exſtruere ſelectiſſimas: vt quoties illic fecerint ſeceſſum, liberius ab omni vrbis ſtrepitu et interpellationibus vacui, optimis literis operam dare poſſent. *o*) Silius Italicus, cum plures in Campania villas poſſideret, teſte PLINIO *p*) multum habebat ubique librorum, multum ſtatuarum, multum imaginum, quas in bibliothecis non modo ſeruare, verum etiam venerari ſolebat. A. MARTIALIS *q*) ſcripto ad Iulium Martialem epigrammate commendatur

Ruris bibliotheca delicati,
Vicinam videt vnde lector vrbem.

CAPVT II.
De Principum in rem literariam meritis

§. I.

Caeſaris Octauiani Auguſti ſucceſſor Tiberius Nero Latinae linguae admodum ſtudioſus fuit. 2. *Eius merita recenſentur.* 3. *Caeſaris Caligulae ſuſpicioſiſſima tempora.* 4. *Tib. Claudii ſtudia et* 5. *ſcripta recenſentur.* 6. *Patriae linguae amantiſſimus tribus eam literis auxit.* 7. *Neronis ingenium deſcribitur, et* 8. *in literas merita.* 9. *Turbulenta Galbae,*

n) Apud COLERVM l. c. p. 35.
o) Vid. CREENIVS de ruſticatione veterum.
p) Lib. 3. epiſt. 7. *q*) Lib. 7. epigr. 16.

Galbae, Othonis et Vitellii tempora 10. *excipit literarum fautor Veſpaſianus, nec virtutis laude minor* 11. *Titus.* 12. *Fratri optimo diſſimilis ſucceſſor Domitianus.* 13. *Meliora linguae fata promittit Neruae principatus.* 14. *Omnium feliciſſima literis obuenerunt tempora ſub Traiano, cuius vita deſcribitur.* 15. *Eius in optimas artes laudantur merita.* 16. *Ex felici inſtitutione doctus eruditionis multa ſpecimina dedit.*

§. I.

Anno poſt Chriſtum natum XIV. Caeſari Octauiano Auguſto, cuius feliciſſimum imperium fuerat, ac bonis literis iucundiſſimum, ſucceſſit tandem adoptatus TIBERIVS NERO, ad imperii et literarum commune exitium: quod in cauſſis corruptae Latinae linguae prolixius demonſtratum iuimus. *a*) Adeo tamen ſui ipſius immemor non fuit, et omni ſenſu humanitatis priuatus: vt ſui ſeculi viros doctos atque liberalium diſciplinarum tutores non pateretur ſuo indulgere ingenio. Ipſe bonis artibus ſedulam ab ineunte aetate nauauit operam. Cum Rhodi ageret propter literas, modice vixit, ac genus conuerſationis admodum ciuile inſtituit; ſine lictore aut viatore gymnaſia obambulauit, atque mutua vſurpauit cum Graeculis officia. *Cum circa ſcholas et auditoria aſſiduus eſſet, modo inter antiſophiſtas grauiore iurgio, non defuit, qui eum interuenientem et quaſi ſtudioſiorem partis alterius conuicio inceſſeret. Senſim itaque regreſſus domum, repente cum apparitoribus prodiit: citatumque pro tribunali voce praeconis conuiciatorem rapi iuſſit in carcerem.* *b*) Poſtea imperio admotus ſummas virtutes praeſe tulit, ac reipublicae potuiſ-

a) Huius tract. cap. 1. §. 6. ſeqq.
b) SVETONIVS in eius vita cap. 11.

potuiſſet facile ſpem excitare, ſub tanto protectore ac domino modeſto et obſequenti fore vt priſtinam libertatem recuperaret. *c*) Aduerſus ipſa conuicia maloſque rumores, et famoſa de ſe ſuisque carmina firmus ac patiens, ſubinde iactabat, in ciuitate libera linguam mentemque liberas eſſe debere. *d*) Ecquis dubitaret etiamtum linguam fuiſſe liberam, artes liberas, doctores liberos, liberalia munera? Cum edicto prohiberet *ſtrenarum* commercium, ne vltra Kalendas ianuarias exerceretur: voce non Latina fuerat vſus. *e*) Tum aduocata concione illorum, qui proprietatem linguae obſeruarent, Atteius Capito dixit, tametſi nemo ante eum iſto vocabulo vſus fuiſſet, hoc nihilominus in Tiberii gratiam inter antiqua eſſe referendum. Marcellus vero, non habita illius ratione, ſubieciſſe dicitur: *hominibus, Caeſar, ciuitatem dare potes,* *f* Neque Tiberius id aegre tulit, qui licet alias ſermone Graeco promtus et facilis eſſet, ea tamen non vſque quoque vſus eſt, maxime autem in ſenatu abſtinuit, adeo quidem, vt *monopolium* nominaturus, veniam prius poſtularit, quod ſibi verbo peregrino vtendum eſſet. Rurſus in quodam decreto patrum, cum ἔμβλημα recitaretur, vocem commutandam cenſuit, ac Latinam pro peregrina requirendam: aut ſi non reperiretur, vel pluribus et per ambitum verborum rem enuntiandam. Militem quoque Graece teſtimonium interrogatum, niſi Latine reſpondere, vetuit. *g*) Tandem vero neque literarum, neque

 hone-

c) Idem Tiber. cap. 26. ſeqq.

d) Ibid. cap. 28. *e*) Ibid. cap. 34.

f) Apud DIONEM l. 60. et SVETONIVM de illuſtr. grammat. cap. 22. Confer. Diſſert. noſtra de virili aetate L. L. part. 1. c. 1. §. 34. pag. 64. ſeq.

g) TRANQVILLVS Tiber. cap. 71.

Digitized by Google

honeſtatis, neque imperii habita ratione, cuncta ſimul vitia, male diu diſſimulata, profudit. *h*) Tota vita inſatiabilis libido fuit, eaque turpitudo, quam caſtis auribus vel ex modica relatione audiuiſſe diſplicebit. *i*) Cetero fuit homo ſubdolus et crudelis, ſimulans ea ſe velle, quae nollet; eaque nolle quae volebat. *k*) Tandem obiit Capreis in ſeceſſu LXXVIII. annos natus, regiminis XXIII. Eius morte ſic laetatus eſt populus, vt pileos libertatis in ſigne induerent, pars Tiberium in Tiberim clamitarent, pars vncum et gemonias, ſive locum in quem abiiciebantur damnatorum corpora, minarentur. *l*)

§. II.

Iuuenis, quod ſupra monui, artes liberales ſtudioſiſſime coluit. Mathematicae addictus a Thraſillo totus pependit. *m*) Nihilominus Mathematicos expulit, nec vlli, niſi deprecanti, eamque artem ſe deſiturum promittenti, veniam dedit. *n*) Amantiſſimus fuit hiſtoriae fabularis, quae poeticis narrationibus referta eſt. Non nihil etiam videbatur Grammaticis fauere: quos ridiculis fere quaeſtionibus experiri ſolebat: quae mater Hecubae? Quod Achilli nomen inter virgines fuiſſet? Quid Sirenes cantare ſint ſolitae? Nec alienus fuit plane ab arte poetica: ipſe enim et Graeca et Latina poemata fecit: inprimis SVETONIVS *o*) laudat carmen lyricum, quod inſcriptum fuit

h) SVETONIVS Tiber. c. 42. *i*) Ibid. cap. 43. ſeqq.

k) Confer. epitome VICTORIS cap. 7. DIO CASSIVS lib. 57. princip. TACITVS annal. lib. 4. cap. 71. Sed eum fruſtra RVPERTVS in Beſold. ſynopſ. hiſt. p. 281. ſeq. defendit, atque Tacitum ait imaginem principis occulti aut ſuſpicacis potius, quam veram Tiberii hiſtoriam ſcripſiſſe.

l) SVETON. Tib. c. 53. 61. Vitell. c. 17. TACITVS hiſt. l. 3. c. 74.

m) SVETONIVS Tib. cap. 69. et 14. TACITVS annal. l. 6. c. 20. 21.

n) SVETON. cap 36. *o*) Tib. cap. 70.

Digitized by Google

fuit *conqueſtio de L. Caeſaris morte.* In Graecis imitatus eſt Euphorionem, obſcurum poetam, Rhianum, et Parthenium: in oratione Latina Meſſalam Coruinum, quem ſenem adoleſcens obſeruauerat. *Sed*, verba ſunt SVETONII *p*) *affectione et moroſitate nimia obſcurabat ſtilum: vt aliquanto ex tempore, quam a cura praeſtantior haberetur.* Idem TRANQVILLVS *q*) mentionem facit commentariorum actorumque Tiberii Caeſaris: praeter quae Domitianus nihil lectitare conſueuerit.

§. III.

Anno Chriſti XXXVII. ſucceſſit Tiberio haud quaquam melior C. Caeſar CALIGVLA, Caeſaris Germanici herois notiſſimi filius degener, qui caedibus, ſtupris, ac rapinis omnia miſcuit: adeo vt vnam ceruicem habere populum R. optauerit, atque tragicum illud crebro iactarit: *oderint, dum metuant.* Omnia ſibi in omnes licere putabat. *r*) Homo inter milites barbaros educatus ingenium prorſus ab literis alienum in omnibus actionibus ſuis prae ſe ferebat. Literatores ipſi non niſi ludibrio erant ac ignominiae. Tantus quidem eius liuor, tanta malignitas et ſuperbia: vt optimorum quorumque virtuti atque famae eſſet inimicus, eo magis, quod ipſe ante videbat, niſi poſt funera ſuperſtes eſſet flagitiorum ac tyrannidis memoria, ſui obliuionem imminere. *ſ*) Adeoque ſtatuas illuſtrium virorum disjecit, atque vetuit poſthaec viuentium cuiquam poni ſtatuam aut imaginem, niſi conſulto ſe et auctore. Homeri carmina abolere voluit. Et paullum abfuit, quin ipſius Virgilii atque

 Liuii

p) l. c. Confer. TACITVS annal. l. 1. c. 11. et l. 13. c. 3.

q) Domit. c. 20.

r) Vid. SVETONIVS Calig. c. 29. et 30.

ſ) SVETONIVS Calig. c. 31.

Digitized by Google

Liuii ſcripta et imagines ex omnibus bibliothecis amouerit: quorum alterum, vt nullius ingenii, nullius doctrinae, alterum, vt verboſum et in hiſtoria negligentem carpebat. De iuris quoque conſultis, quaſi omnem eorum ſcientiae vſum eſſet aboliturus, ſaepe iactauit, ſe effecturum, ne quid reſpondere poſſent praeter eum. *t*) Hoc tamen egit, vt, quamuis minimum eruditioni attenderet, operam daret maximam eloquentiae. Ipſe facundus et promtus fuit. *Si perorandum in aliquem eſſet*, verba ſunt SVETONII, *v*) *irato et verba et ſententiae ſuppetebant: pronunciatio quoque et vox, vt neque eodem loci prae ardore conſiſteret, et exaudiretur a procul ſtantibus. Peroraturus ſtricturum ſe lucubrationis ſuae telum minabatur: lenius comtiusque ſcribendi genus adeo contemnens, vt Senecam tum maxime placentem, commiſſiones meras componere, et harenam eſſe ſine calce diceret. Solebat etiam proſperis oratorum actionibus reſcribere, et magnorum in Senatu reorum accuſationes defenſionesque meditari: ac, prout ſtilus ceſſerat, vel onerare ſententia ſua quemque, vel ſubleuare: equeſtri quoque ordine ad audiendum inuitato per edicta.* Saepius inſtituit, eodem TRANQVILLO teſte, *x*) certamina Graecae et Latinae facundiae, quibus victi victoribus conferre praemia, eorundemque laudes componere cogebantur. Illi vero, qui maxime diſplicuerant, ſcripta ſua iubebantur ſpongia linguaue delere: niſi ferulis obiurgari, aut flumine proximo ſubmergi maluiſſent. Ita parum laeti, etiam qui videbantur eius fauo-

t) SVETON. Calig. cap. 34.

v) In eius vita cap. 53. Vnde TACITVS annal. l. 13. c. 3. *C. Caeſaris turbata mens vim dicendi non corrupit.* Eodem teſte, annal. l. 5. c. 1. proauiam Liuiam pro roſtris laudauit.

x) In eius vita cap. 20.

fauore complecti, lupum auribus tenebant. Nec mirum: cum ſuas delicias haec quoque fata manerent. Quoties enim vxoris aut amiculae collum exoſcularetur addebat: *tam bona ceruix, ſimul ac iuſſero, demetur.* y) XXXIX. annos natus, cum non integro quadriennio imperaſſet, ab coniuratis in palatio interfectus eſt. z) Recte SENECA: a) excerpendum hunc e Caeſarum numero, vt qui in exitium opprobriumque humani generis editus ſit.

§. IV.

Anno poſt Chriſtum natum XLI. Caligulae tyranno ſucceſſit Tiberius CLAVDIVS, Druſi filius, Caeſar cui non iudicium, non odium erat, niſi indita et iuſſa: b) vt ambiguum poſteritati maneat, crudelitate ne, an ſtultitia magis dedecoratus fuerit. Ab ineunte aetate non mediocrem liberalibus diſciplinis operam dedit, ac ſaepe experimenta cuiusque etiam publicauit. c) Neque inter imperii curas literarum ſtudia ſepoſuit. Quum in palatio aliquando ſpatiaretur, et clamorem audiſſet, eius cauſſam requiſiuit: quumque dictum eſſet, recitare Nonianum, ſubito ad eum audiendum ipſe venit. d) Ipſi erat a ſtudiis Polybius quidam libertus, qui ſaepe inter duos Coſs. ambulabat. Ab epiſtolis habebat Narciſſum, a rationibus Pallantem: quos decreto Senatus non ſolum ingentibus praemiis, ſed et quaeſtoriis praetoriisque ornamentis ornari voluit. e) Libertorum mancipium viuis exceſſit III Idus

y) Apud SVETON. Calig. cap. 33.

z) Plurib. confer. TRANQVILLVS in eius vita. DIO CASSIVS l. 59. IOSEPHVS antiq. l. 19. c. 1.

a) Conſolat. ad Polyb. c. 36.

b) TACITVS annal. l. 12. c. 3. fin.

c) SVETONIVS Claud. c. 3.

d) PLINIVS lib. 1. epiſt. 13. e) SVETON. in eius vita cap. 28.

Idus Octobris, Aſinio Marcello et Acilio Auiola Coſs. LXIV. aetatis, imperii XV. anno. *f*) Die funeris, Nero ſucceſſor eius laudationem exorſus eſt. Dum antiquitatem generis, conſulatus ac triumphos maiorum enumerabat: omnes orationem probarunt: neque diſplicuit artium liberalium commemoratio, et nihil regente eo reip. triſte ab externis accidiſſe. Poſtquam vero ad prouidentiam ſapientiamque flexit, nemo riſui temperare potuit, quanquam oratio, a Seneca compoſita, multum cultus prae ſe ferret. *g*)

§. V.

Vt princeps erat neque infacundus, neque indoctus, imo etiam pertinaciter liberalibus ſtudiis deditus: *h*) iam in adoleſcentia, hortante T. Liuio, adiuuante vero Sulpicio Flauo, hiſtoriam ſcribere aggreſſus eſt. In principatu quoque et ſcripſit plurimum, et aſſidue per lectorem recitauit. Initium autem ſumſit hiſtoriae poſt caedem Caeſaris Dictatoris. Tranſiit quoque ad inferiora tempora, et coepit a pace ciuili. Prioris materiae volumina duo, poſterioris vnum et quadraginta reliquit. Suſcepit etiam Ciceronis defenſionem aduerſus Aſinii Galli libros, ſatis eruditam. *i*) Scripſit et Graecas hiſtorias τυῤῥηνικῶν XX. καρχηδονιακῶν VIII. *Quarum cauſſa*, verba ſunt SVETONII, *k*) *veteri Alexandriae Muſeo alterum additum ex ipſius nomine: inſtitutumque, vt quotannis in altero*

f) Plura vide apud SVETONIVM. TACITVM annal. l. 11. et 12. DIONEM CASSIVM lib. 60.

g) TACITVS annal. l. 13. c. 3.

h) SVETON. Claud. cap. 40. fin.

i) SVETON. in eius vita cap. 41. Hiſtoriarum Claudii Caeſaris meminit etiam PLINIVS hiſtor. natur. lib. 12. c. 17.

k) Claud. cap. 42.

altero τυῤῥηνικῶν libri, altero καρχηδονιακῶν, diebus ſtatutis, velut in auditorio, recitarentur toti a ſingulis per vices. Cum et aleam luderet ſtudioſiſſime, de illius arte librum emiſit. *l*) Ne ſtultitiam quidem ſuam reticuit, publicatis quibusdam oratiunculis. Et liber editus eſt, cui index erat Μωρῶν ἀνάϛασις, argumentum autem, *ſtultitiam neminem fingere.* *m*) Sic et de vita ſua octo volumina compoſuit, magis inepte, quam ineleganter. *n*) Nec mirum, quando hominis ſummam conſideramus et obliuionem, et inconſiderantiam, quam ſermonibus aeque ac rebus oſtendit: vt nec quis, nec inter quos, quoue tempore ac loco verba faceret, ſcire ac cogitare exiſtimaretur. *o*) Hinc riſus populi, cum Nero in funebri oratione prouidentiam eius ſapientiamque publice laudaret. *p*) Sed quoties meditata diſſerebat, teſte Cornel. TACITO *q*) nemo elegantiam in eo requirebat.

§. VI.

Linguae patriae inprimis fuiſſe ſtudioſum et amantiſſimum, vel inde patet, quod ſplendidum virum, Graeciaeque prouinciae principem, verum Latini ſermonis ignarum, non modo iudicum eraſit albo, verum etiam in peregrinitatem redegit. Nec quemquam niſi ſua voce, vtcunque quis poſſet, ac ſine patrono, rationem vitae paſſus eſt reddere, *r*) Omittimus, quae forum noſtrum non

l) SVETON. in eius vita cap. 33. in fin.

m) Ibid. c. 38. Contra BARTHIVS aduerſar. l. 7. c. 1. et l. 54. c 13. Claudium Caeſarem principibus ſapientibus annumerat. Confer. RVPERTVS obſeru. in ſynopſin Beſoldi pag. 285.

n) SVETON. Claud. cap. 41.

o) Exempla vide apud TRANQVILLVM in eius vita cap. 39. 40. paſſim.

p) TACITVS annal. l. 13. c. 3. *q*) L. c.

r) SVETONIVS Claud. c. 16.

non ad modum ſpectant. Sed hoc ſingulare fatum, inuentione ſua Claudium Caeſarem voluiſſe iuuare Latinam linguam. Perplacet ipſius SVETONII *s*) verba transſcribere integra: *nouas commentus eſt literas tres, ac numero veterum, quaſi maxime neceſſarias, addidit. De quarum ratione cum priuatus adhuc volumen edidiſſet, mox princeps non difficulter obtinuit, vt in vſu quoque promiſcuo eſſent. Exſtat talis ſcriptura in plerisque libris ac diurnis titulisque operum.* De eodem inſtituto TACITVS: *t*) *nouas literarum formas addidit vulgauitque; comperto Graecam quoque literaturam non ſimul coeptam abſolutamque. Primi per figuras animalium Aegyptii ſenſus mentis effingebant; et antiquiſſima monumenta memoriae humanae impreſſa ſaxis cernuntur, et literarum ſemet inuentores perhibent. — At in Italia Etruſci ab Corinthio Damarato, Aborigenes Arcade ab Euandro didicerunt. Et forma literis Latinis, quae veterrimis Graecorum. Sed nobis quoque paucae primum fuere: deinde additae ſunt. Quo exemplo Claudius tres literas adiecit, quae vſui, imperitante eo, poſt obliteratae, aſpiciuntur etiam nunc in aere publicandis plebiſcitis per fora ac templa fixo.* Quaenam iſtae fuerint literae, diſpiciendum eſt. Prima F. digamma eſſe videtur: quod PRISCIANO teſte, apud antiquiſſimos Latinorum eandem vim atque apud Aeoles habuit. Iſtud F. deinde Claudius Caeſar pro V. conſonante recipiendum conſtituit: vt *Fulgus* pro *vulgus*, *ſerfus* pro *ſeruus* ſcriberetur: in quibus FABIVS *v*) Aeolicum digamma deſiderauit: atque mox *x*) verbis diſertis teſtatur: *nec inutiliter Claudius Aeoli-*

s) In eius vita cap. 41.

t) Annal. lib. 11. c. 13. 14. Confer. diſſert. noſtra de pueritia L. L. §. 18. pag. 27. ſeq.

v) Inſtit. orator. l. 1. c. 4. *x*) Lib. 1. cap. 7.

Aeolicam illam ad hos vſus F. literam adiecerat. Vbi TORRENTIVS *y*) monet, legendum eſſe Ⅎ. digammon pro V. Sic OctaⅎIia etc. Atque etiam PRISCIANVS, *apud Aeoles*, inquit, *olim F. digamma i. e. Vau ab ipſius voce profectum; teſte. Varrone et Didymo, qui id ei nomen eſſe oſtendunt; pro quo Caeſar hanc figuram Ⅎ. ſcribere voluit.* Vnde in lapidibus vet. DIⅎAI. AMPLIAⅎIT. TERMINAⅎITQVE. *z*) ANGELVS ROCCHA. *a*) et HERMANNVS HVGO *b*) exiſtimant, tunc demum apud Latinos F. poni coeptum pro PH. vt *fama* pro *phama*. Cum adeoque Suetonius de Claudio teſtetur, nouas tres commentum eſſe literas: ita intelligendum, vt velit literam F. tantum ad nouum pronunciationis modum ab eo fuiſſe inuentam. Sed falluntur. F. enim a Latinis eadem poteſtate, vt nunc eſt, iam circa belli Punici primi tempora in vſu fuiſſe patet ex tabula roſtrata C. Duilio, et alia ſubſequenti anno Scipioni Bar-

 bato

y) In notis ad Sueton. Claud. cap. 41.

z) Ita legitur Romae ad S. Luciae cloacam

TI. CLAVDIVS
DRVSI F. CAISAR
AVG. GERMANICVS
PONT. MAX. TRIB. POT.
VIIII. IMP. COS. IIII.
CENSOR. P. P.
AVCTIS POPVLI ROMANI
FINIBVS. POMERIVM
AMPLIAⅎIT. TERMINAⅎITQ.

Plura vide apud ROCCHAM bibl. Vatic. p. 141. ſeq. RADVLPHVM FORNERIVM rerum quotidian. l. 2. c. 6. et LIPSIVM in Tacit. annal. l. 11. pag. 272.

a) Biblioth. Vaticana. p. 140. ſeq.

b) De prima ſcribendi origine cap. 4. pag. 58.

bato poſita. *c*) Atque etiam Latini ea litera conſtanter ad noſtra vsque tempora vſurparunt: cum in ſententiam contrariam TACITVS *d*) ſit auctor, omnes tres literas, breui poſt Claudii obitum, obliteratas et quaſi ſepultas fuiſſe. Altera a Claudio Caeſare inuenta litera, PRISCIANO *e*) et MARCIANO CAPELLA *f*) teſtibus, fuit ↃC ἀντίσιγμα, pro litera ψ. Tertiam adhuc cum CAMERARIO *g*) quaerimus. VERTRANIVS MAVRVS *h*) ſe legiſſe ait Romae apud Velium Longum in libro de orthographia MSC. apud Stroſſium literam nouam a Claudio excogitatam, ſimilem ei notae, quam pro aſpiratione Graeci ponunt. ⊢. *i*) Alii volunt tertiam Claudii literam fuiſſe X. pro C. S. vel GS. et SS. *k*) In contrariam vero partem ISIDORVS: *l*) *X litera*, inquit, *vsque ad Auguſti tempora nondum apud Latinos erat, ſed pro ea C. et S. ſcribebant, vnde et duplex vocatur, quia pro C. et S. ponitur.* Obſtant praeterea, quas ſupra dedi, rationes. Neque res tanti videtur eſſe, vt curioſius inter ea, quae futilia et dudum obliterata fuerunt, in caſſum quaeratur. *m*) ANGELO ROCCHA teſte, *n*) in bibliotheca Vaticana quintae columnae paraſtaticae tertia facies Claudium

c) Vid. diſſert. noſtra de pueritia L. L.

d) Annal. l. 11. c. 14.

e) Lib. 1. c. de literarum numero et affinitate: *Huic S. praeponitur P. et loco* ψ *Graecae fungitur, pro qua Claudius Caeſar antiſigma* ↃC *hac figura ſcribi voluit, ſed nulli auſi ſunt antiquam ſcripturam mutare.*

f) Lib. 3. cap. de ſemivocalibus.

g) Annot. ad Quintil. inſtit. orat. l. 1. c. 7.

h) Comment. in Tacit. annal. l. 11.

i) Confer. QVINTILIANVS inſtit. orat. l. 1. c. 4.

k) Vid. MARTIANVS CAPELLA l. c. *l*) Orig. l. 1. c. 4.

m) Vid. IVSTVS LIPSIVS in Tacit. annal. lib. 11. et VOSSIVS de arte Grammat. l. 1. c. 24. *n*) Biblioth. Vatic. pag. 140. ſeqq.

dium noſtrum Imperatorem, imperatorio habitu, laurea ornatum, et librum manu geſtantem repraeſentat: ſupra cuius caput tantum vna litera F. ad pedes vero haec inſcriptio cernitur: *Claudius Imp. tres nouas litteras adinuenit.*

§. VII.

Anno LIV. Claudio ſucceſſit in imperio NERO Claudius Caeſar, monſtro quam homini ſimilior, et fex familiae Caeſareae. Iſte ex ſceleribus ſuis et paricidio eſt notior, quam vt memorari debeat. Tener adhuc, nec dum matura pueritia circenſibus ludis Troiam conſtantiſſime et fauorabiliter luſit. Vndecimo aetatis anno adoptatus eſt a Claudio Caeſare, atque Annaeo Senecae, iam tunc Senatori in diſciplinam traditus. Deductus in forum tyro, populo congiarium, militi donatiuum propoſuit. ac decurſione indicta praetorianis, ſcutum ſua manu praetulit: exinde patri gratias in ſenatu egit. Apud eundem Conſulem pro Bononienſibus Latine. et pro Rhodiis atque Ilienſibus Graece verba fecit. *o*) Claudium apparatiſſimo funere elatum laudauit conſecrauitque. *p*) Et primo imperii quinquennio principis non mali ſpeciem praebuit. *q*) Poſtea tanto magis ſaeuitia et libidine aeſtuans, humanitatem omnem exuit: adeo vt fratre, coniuge matre, praeceptore interfectis, ipſam quoque Romam ad voluptuoſum ardentis Troiae ſpectaculum incenderet. *r*) Quae

 ipſe

o) SVETONIVS Neron. c. 7. *p*) Idem cap. 9.

q) Vnde Traianus dicere ſolitus eſt; *procul differre cunctos principes Neronis quinquennio.* AVREL. VICTOR in Nerone.

r) Hinc Sabrius Flauius Tribunus apud TACITVM annal. l. 15. c. 67. *Odiſſe coepi poſtquam parricida matris et vxoris, auriga, et hiſtrio, et incendiarius extitiſſi.* Confer, SVETONIVS in eius vita cap. 38. EVTROPIVS. 7. 9.

ipſe fecerat, incendia obiiciebat Chriſtianis: *s*) vt inſontes ſuppliciis afficeret, vbique ſaeuiens in iſtos ferro, flamma, ferarum laniatu. Et haec atrocium Eccleſiae perſecutionum fuit prima. Sic petulantiam, libidinem, luxuriam, auaritiam, crudelitatem, ſenſim quidem primo et occulte, velut iuuenili errore exercuit: ſed vt tunc quoque dubium nemini foret, naturae illa vitia, non aetatis eſſe. *t*) Cum adeo diu multumque graſſauerit, prouinciae poſt alias aliae deſciuerunt: vt deſertus tandem ab omnibus fere exercitibus, Seruio Galba, Hiſpaniae Tarraconenſis praefecto, imperium inuadente, ſaeuas ſibimet ipſi manus inferret. Quod cum aliquoties fruſtra tentauerit, ex militibus non nemo, *vsque adeone mori miſerum eſt?* proclamauit. Obiit ſecundo et trigeſimo aetatis, decimo tertio imperii anno. *v*) Multis rebus ac locis detracta vetere appellatione, nouam ex ſuo nomine induxit. Menſem Aprilem, *Neroneum*, Romam *Neropolim* nuncupare voluit. *x*) Tanta illi fuerat aeternitatis et famae perpetuae cupido. Eamque ex flagitiis, ſed peſſimam obtinuit.

§. VIII.

Nonnihil etiam gloriolae ſibi literis comparare videri voluit. Liberales diſciplinas fere omnes puer attigit. A philoſophia eum mater auertit, quod imperaturo ſit contraria. Ipſe praeceptor Seneca veterum oratorum, cognitionem dedit nullam, quo diutius in admiratione detineretur.

s) TACITVS annal. l. 15. c. 44. SVLP. SEVERVS l. 2. c. 29. SVETONIVS Neron. cap. 16.

t) SVETON. cap. 26.

v) Pl. vide apud SVETONIVM in eius vita. TACITVM annal. l. 13. 14. 15. 16. DIONEM CASSIVM l. 61.

x) SVETON. Ner. c. 55.

retur. In primis ad poeticam pronus, TRANQVILLO teſte, *y*) carmina libenter ac ſine labore compoſuit plurima: quae non ſolum domi, ſed in theatro, recitauit, tanta omnium laetitia, quod idem teſtatur, *z*) vt ſupplicatio ob recitationem decreta ſit, eaque pars carminum aureis literis Ioui Capitolino dicata. Quaedam vulgauit ſatyrica: *a*) neque mirum inde videtur, nihil eum patientius, quam maledicta et conuicia hominum tuliſſe: neque in vllos fuiſſe leniorem, quam qui ſe dictis aut carminibus laceſſiſſent. *b*) Declamauit ſaepius etiam publice, *c*) et orationes conſcripſit. SVETONIVS ex omnibus meminit orationem, qua in Vindicem perorauit, recitatam in ſenatu: *d*) et eam qua pro roſtris maxima miſeratione veniam praeteritorum precari, ac ni flexiſſet animos, vel Aegypti praefecturam concedi ſibi orare volebat. *e*) Quanto vero impetu vtriusque facundiae laureolam affectauerit: vel inde patet, quod orationis carminisque Latini coronam, de qua honeſtiſſimus quisque contenderat, ipſorum conſenſu conceſſam ſibi recepit. *f*) Nec defuerunt, qui ſua poemata

y) In eius vita cap. 52. Contrarium ſuadet TACITVS annal. l. 14. c. 16. Conferatur tamen et eius annal. l. 13. cap. 3. fin. De Nerua MARTIALIS l. 8. epigr. 70.

Sed tamen hunc noſtri ſcit temporis eſſe Tibullum,
Carmina qui docti nota Neronis habet.

z) Cap. 10. Et l. 9. epigr. 27.

Ipſe tuas etiam veritus Nero dicitur aures,
Laſciuum iuuenis cum tibi laſit opus.

a) Vid. SVETON. Neron. c. 24. Domit. c. 1. recenſet poema Neronis, quod inſcribitur Luſcio.

b) Idem cap. 39.

c) Idem Neron. cap. 10. Confer. TACITVS annal. l. 13. c. 3.

d) Eius vita cap. 46. *e*) Ibid. cap. 47.

f) SVETONIVS Neron. c. 12.

mata laudari a Nerone et imperii proceribus, tanti faciebant: vt PERSIVS *g*) non potuerit non ſatyricum exercere cachinnum:

— Ecce inter pocula quaerunt
Romulidae ſaturi, quid dia poemata narrent.

Innuit ergo, non inter res ſerias, ſed inter oblectamenta, literas ab Nerone et eius aulicis haberi; ac poetas quidem ab iſtis laudari et maximis ornari encomiis: ſed inter pocula et in vino, cui vel maxime deditum fuiſſe Neronem, SVETONIVS *h*) memoriae prodidit. Et TACITVS *i*) auctor eſt, quod ſapientiae doctoribus poſt epulas tempus impertiuerit, vt contraria aſſeuerantium diſcordiae eruerentur. *Nec deerant, qui voce vultuque triſti inter oblectamenta regia ſpectari cuperent.* O tempora! O mores!

§. IX.

Secuta eſt hinc in Imperatoribus conſtituendis militum licentia. Vnde facilis coniectura, miſeram fuiſſe Muſarum conditionem: cum ipſe Mars rerum ſumma poteſtate potiretur. Vno anno, poſt Chriſtum natum LXVIII. Seruius Sulpitius GALBA, natus tres et ſeptuaginta annos, per ſeptem menſes; *k*) M. Saluius OTHO, triginta et octo annos natus, per xcv. dies; et A. VITELLIVS, natus annos quinquaginta ſeptem, per VIII. menſes, temporarii principes, a militibus in ſcenam producti, incolumes ipſi diu ſubſiſtere non potuerunt.

§. X.

Tandem rerum potiebatur gens Flauia: vnde literis non nihil ſalutis atque ſolatii, poſt clades ac miſera tot ſcele-

g) Satyr. I. verſ. 30. *h*) Neron. cap. 27.

i) Annal. l. 14. cap. 16.

k) Notandum, quod inter liberales diſciplinas etiam iuri attenderit. SVETONIVS eius vita cap. 5.

ſcelerum tempora, veniebat. Anno LXIX. T. Flauius VESPASIANVS Vitellium vita pariter et imperio exuit. Poſt Auguſtum princeps omnium optimus vitiis vbique adhuc graſſantibus, quoquomodo potuit, obicem ponere allaborauit: ac ne quam occaſionem corrigendi diſciplinam praetermitteret: adoleſcentem vnguento fragrantem, cum ſibi pro impetrata praefectura gratias ageret, nutu aſpernatus, etiam grauiſſima voce increpuit, *maluiſſem, allium oboluiſſes:* literasque reuocauit. *l*) Huc vſque litium ſeries mirum in modum excreuerant, manentibus antiquis, intercapedine iurisdictionis, accedentibus nouis, ex conditione atque tumultu iſtorum temporum. Igitur elegit ſorte, per quos rapta bello reſtituerentur: quique iudicia centumuiralia, quibus peragendis litigatorum aetas vix ſuffectura videbatur, extra ordinem diiudicarent, redigerentque ad breuiſſimum numerum. *m*) Amicorum libertatem, cauſſidicorum figuras, *n*) ac philoſophorum contumaciam leniſſime tulit. *o*) Ingenia et artes maxime fouit: earundemque promouendarum gratia, primus e fiſco Latinis Graecisque rhetoribus annua centena *p*) conſtituit. *q*) Inter iſtos procul dubio ipſe fuit Fabius Quintilianus, de quo diſerte in Chronico Euſebiano legitur: *primus Quintilianus publicam ſcho-*

l) SVETONIVS Veſp. c. 8. *m*) SVETON. Veſp. c. 10.

n) *Morſus figuratos* appellat MACROBIVS ſaturn. l. 7. c. 3. *Controverſias figuratas* FABIVS inſtit. orat. l. 9. c. 2. *Dicta figurata* SPARTIANVS in Seuero. *o*) SVETON. Veſp. c. 13.

p) Secundum PERIZONIVM annot. in Suet. Veſp. pag. 459. *ſeptem millia et quingentos florenos.* Secundum LIPSIVM de magnitudine Romana lib. 4. c. 10. annua iſta centena reddunt *bis mille quingentos Philippaeos.*

q) SVETONIVS Veſp. c. 18.

ſcholam Romae, et ſalarium e fiſco accepit. Ante quidem multi, et ipſam rhetoricam, publice docuerunt: *r*) ſed mercedem non aliam, quam diſcipulorum incertam remunerationem accipiebant. Hac vero aetate, Imperatoris Veſpaſiani indulgentia et beneficio, coeperunt publice ali, e fiſco ſuſtineri, ac emolumentis gaudere minime vulgaribus. Poetas quoque praeſtantes et artifices magna mercede collegit. *s*) Ludos ac vetera acroamata reuocavit. Apollinari tragoedo quadringenta, Terpno et Diodoro citharoedis ducena, nonnullis centena, quibus minimum, quadragena ſeſtertia ſuper plurimas coronas aureas dedit. *t*) Saleius Baſſus, egregius poeta, qui principis huius indulgentiam ſuo meritus eſt ingenio, quingenta ſeſtertia dono accepit. *v*) Super coenam et ſemper alias comis erat ac multa tranſigebat ioco. Cum Menſtrius Florus, vir conſularis, *plauſtra* potius quam *ploſtra* monuiſſet eſſe dicenda, eum poſtero die *Flaurum* ſalutauit. Et tempeſtiue ſaepius Graecis vtebatur verſibus. *x*) Denique, quod imperatorem ſtantem mori oporteat, inter manus ſubleuantium exſtinctus eſt, annum agens imperii decimum, aetatis ſexageſimum ac nonum. *y*)

§. XI.

Anno LXXIX. ſucceſſorem reliquit TITVM Flauium Veſpaſianum, illas humani generis delicias, *z*) qui a puero for-

r) Videantur opuſcula noſtra de pueritia, adoleſcentia et virili aetate Latinae linguae.

s) SVETON. Veſp. c. 18. *t*) Ibid. c. 19.

v) Auctor de cauſſ. corruptae eloquentiae cap. 9. Confer. VOSSIVS de poetis Latinis cap. 3. de hiſt. Lat. l, 1. c. 22. WALCHIVS parerg. acad. p. 63. ſeq. et 120.

x) SVETON. Veſp. c. 22. 23. *y*) Idem cap. 24.

z) SVETON. eius vita c, 8. EVTROP. 7. 14.

Google

forma egregia non minus auctoritatis quam gratiae prae ſe tulit. Graecae ac Latinae linguae, vel in orando, vel in fingendis carminibus erat promtus, ac vſque ad extemporalitatem facilis. Ipſe poſt ſtipendia operam dedit foro, honeſtam magis quam aſſiduam: *a*) dictauit epiſtolas, conſcripſit edicta, ſuasque in ſenatu orationes recitauit. *b*) Beneficia quotquot fuerunt a principibus ſuperioribus conceſſa, primus vno edicto confirmauit, natura beneuolentiſſimus, adeo vt diem absque beneficiis perdi putaret, nec vllam ac ſermone principis triſtem diſcedere atque dimitti oportere. *c*) Exceſſit poſt biennium et aliquot menſes, quam patri ſucceſſerat, altero et quadrageſimo aetatis anno.

§. XII.

Anno LXXXI. fratri optimo ſucceſſit T. Flauius DOMITIANVS, ſaeuus et ſuperbus. Sub initium quasdam prae ſe tulit virtutes, ſed quas mox factis immanibus rurſum abſcondidit. Mire ſimulauit modeſtiam, et in primis poeticae ſtudium, tam inſuetum ante ſibi, quam poſtea ſpretum et abiectum: etiam publice recitauit. *d*) Inſtituit quinquennale certamen Capitolino Ioui triplex, muſicum, equeſtre gymnicum: certabant tunc quoque proſa oratione Graecae et Latine. *e*) Celebrabat in Albano quotannis quinquatria Mineruae, cui collegium inſtituerat, ex quo ſorte ducti magiſterio

 fun-

a) SVETON. Tito c. 3. et 4. *b*) Ibid. c. 6.

c) SVETON. Tit. c. 8.

d) SVETON. in eius vita c. 2. et c. 20. *nunquam*, inquit, *aut hiſtoriae carminibusue cognoſcendis operam vllam, aut ſtilo, vel neceſſario dedit. Praeter commentarios et acta Tiberii Caeſaris nihil lectitabat: epiſtolas, orationesque, et edicta, alieno formabat ingenio. Sermonis tamen nec inelegantis* etc. Conferatur TACITVS hiſt. l. 4. c. 86. *e*) SVETON. l. c. c. 4.

fungerentur atque iudicarent de oratorum et poetarum certaminibus. *f*) Ius diligenter et induſtrie dixit. Plerumque et in foro pro tribunali extra ordinem ambitioſas centumuirorum ſententias reſcidit. Scripta famoſa, et vulgo edita, quibus primores viri ac feminae notabantur, non ſine auctorum ignominia, aboleuit. Legem Iuliam de adulteriis reſtituit, et alia id genus multa praeclare fecit. *g*) Sed vi dominationis conuulſus et mutatus, *h*) in monſtrum degenerauit. Dominum Deumque ſe appellari voluit. *i*) Multos nobiliſſimos viros ex leuiſſima cauſſa vel occidit, vel in exilium miſit; vſus delatoribus *k*) Aquilio Regulo, Metio, Caro, Bebio Maſſa, et omnium peſſimo, Catullo Meſſalino. *l*) Philoſophos, ſed quanta inſania, ſenatus conſulto, vrbe et Italia eiecit. *m*) Acerrimus fuit Chriſtianorum hoſtis, quos vbique ſuppliciis cumulatim affecit. Eo ſpectant, ſi quid video, IVVENALIS: *n*)

Sed periit, poſtquam cerdonibus eſſe timendus
Coeperat, hoc nocuit, Lamiarum caede madenti.

Per *cerdones* intelligit Chriſtianos: quorum plerique tunc erant opifices, ac ſellularias artes exercebant. Per Lamias notat nobiles: quoniam Domitianus Aelium Lamiam inter-

f) Ibid. *g*) SVETON. cap. 8.

h) TACITVS annal l. 6. c. 48.

i) SVETON. Domit. c. 13. EVTROP. l. 7. ſub fin. MARTIALIS l. 5. epigr. 8.

k) Quos ante videbatur ferre minime gentium potuiſſe: cum fiſcales calumnias poena reprimeret, diceretque: *princeps qui delatores non caſtigat, irritat.* SVETON. eius vita c. 9.

l) Vid. TACITVS in Agric. c. 45. PLINIVS lib. 1. epiſt. 5. et l. 7. ep. 19. IVVENALIS ſatyr. 4.

m) SVETON. c. 10. A. GELLIVS noct. Attic. l. 15. c. 11.

n) Satyr. 4. fin.

Digitized by Google

interfecit. *o*) Sic et alibi *p*) illuſtrem feminam deſcribens, *quaedam*, inquit, *de numero Lamiarum ac nominis alti.* De Dacis et Germanis falſum egit triumphum, et verae gloriae Britanniam ſubiugantis, Iulii Agricolae inuidit. *q*) Poſt duos triumphos, Germanici cognomine aſſumto, Septembrem menſem et Octobrem, ex appellationibus ſuis, *Germanicum Domitianumque* tranſnominauit: quod altero ſuſcepiſſet imperium, altero natus eſſet. *r*) Occiſus eſt XIV. Kal. Octobr. anno aetatis XLV. imperii XV. *s*) Funus cum ingenti dedecore per veſpillones exportatum. *t*) De literis optime meritus eſt bibliothecarum inſtauratione: licet enim ipſe liberalia ſtudia neglexerit, optimorum tamen auctorum theſauros maximis ſumtibus reparare inſtituit: *v*) etiam miſſis Alexandriam librariis, qui vtriusque linguae codices conquirerent ac emendarent. Nam inprimis hac aetate Romanis tam familiaris fuit literarum Graecarum vſus, vt bibliothecae non minus Graecis quam Latinis libris refertiſſimae eſſent. *x*) Memini capite ſuperiori monuiſſe, ab Domitiano clariſſima ingeniorum monumenta in foro concremata fuiſſe: quod teſtimonio Suetonii videretur eſſe contrarium: Eundem Caeſarem bibliothecas ſolicite reparandas, et eruditorum libros comburendos curauiſſe. Res vero ſalua eſt; alios enim exſtirpare alios conquirere facile potuit. De bibliothecis nullum dubium. Alterum teſtatur etiam SVLPITIA poetria: *y*) *Sic*

o) Vid. SVETON. Domit. c. 10. *p*) Satyr. 6.
q) TACITVS Agric. c. 39. *r*) SVETON. Domit. c. 13.
s) SVETON. Domit. c. 17. *t*) Vid. EVTROPIVS l. 7. extr.
v) SVETON. eius vita c. 20.
x) Vid. MONTFAVCON praef. palaeogr. Graec. p. 18.
y) Satyra de corrupto ſtatu reip. temporibus Domitiani, praeſertim cum edicto philoſophos vrbe exegiſſet. apud BOXHORNIVM pag. 14.

Sic noſtri palare ſenes dicuntur et ipſi
Vt ferale ſuos onus exſtirpare libellos.

Iſtis ſcilicet libri fuerant ferale onus, quia neces, exilia et odia parabant. Et poetria videtur reſpicere ad hiſtoriam Aruleni Ruſtici et Herennii Senecionis: quorum alter cum Paetum Traſeam, alter Priſcum Heluidium publice laudaſſet, capitale fuit adeo, vt non ſolum in auctores, ſed in eorum quoque libros ſaeuitum ſit, delegato trium viris miniſterio, vt monumenta clariſſimorum ingeniorum in comitio ac foro vrerentur. *z*) Tyrannus ille quamuis Statium fouerit atque Martialem cum aliis poetis, qui Dominum Deumque ſuum vocare illum non dubitarunt, atque ſummis laudibus vel per adulationem eius opera proſecuti ſunt: eius tempora tamen velut peſſima ſimul omnes damnare videmus; adeo quidem vt ipſe MARTIALIS *a*) Domitiano defuncto triumphare et Muſis Neruam mitionem gratulari viſus ſit:

Contigit Auſoniae procerum mitiſſimus aulae
Nerua: licet toto nunc Helicone frui.
Recta fides, hilaris clementia, cauta poteſtas
Iam redeunt: longi terga dedere metus.

Denique: —— *Sed tu ſub principe duro,*
Temporibusque malis, auſus es eſſe bonus.

§. XIII.

Aliquot laeta prius Latinae linguae et bonis artibus affulſerunt lumina, quam in peius ruerent, ac ineuitabile fatum magis ingraueſcentem ſenectutem afferret. Domitiano tyranno, vt diximus, ad meliora Latinae linguae fata, ſucceſſit anno poſt Chriſtum natum XCVI. Imperator

z) Vid TACITVS praefat. ad vitam Agricolae.
a) Lib. 12. epigr. 6.

Digitized by Google

rator NERVA Caeſar Auguſtus, valde ſenex, qui libertatem et principatum, res olim diſſociabiles, miſcuit. Vir fuit melior, quam qui Romuli faecem regeret. Paucis eum, ſed optime, deſcribit AVSONIVS: *b*)

Nerua ſenex, Princeps nomine, mente parens.

Ille cum etiam puer eſſet, a carminis dulcedine Tibullus appellatus eſt, ac pari facundia beneuolentiaque ab ineunte aetate floruit: quamuis in poeſi modum atque decorum adhibuerit, aduertens, quid deceat virum magnum et illos qui non alia florent arte. Vnde MARTIALIS: *c*)

Quanta quies placiti, tanta eſt facundia Neruae;
Sed cohibet vires ingeniumque pudor. Extremo
Sed tamen hunc noſtri ſcit temporis eſſe Tibullum,
Carmina qui docti nota Neronis habet.

Diem obiit ſupremum aetatis anno LXV. cum imperio ſupra annum menſes quatuor et aliquot dies praefuiſſet. *d*) Breui, quo regeret, temporis ſpatio, non breuem felicitatem reip. attulit adoptione Traiani: qui cum nonnihil ſcripto nobis reliquerit, ac optimus exſtiterit literarum promotor: operae exiſtimamus nos facere pretium, ſi prolixius paulo eius fata proſequamur.

§. XIV.

Anno Chriſti XCVII. faſces imperii obtinuit Vlpius Nerua TRAIANVS, natione Hiſpanus, viri conſularis et aliquot triumphis clari filius, qui generis celebritatem virtute ſua multum ſuperauit. Cum adhuc valde iuuenis eſſet, Parthica lauro honoratur: atque maximam inde ſibi

b) Tetraſtichis in Caeſares.

c) Lib 8. epigr. 70.

d) Videantur DIO CASSIVS EVTROPIVS, AVRELIVS VICTOR et alii.

Digitized by Google

ſibi in caſtris auctoritatem conciliat. Cum Nerua optimus ſenex, et Vlpii amantiſſimus rerum potiretur: eo ipſo anno in Capitolium adſcendit, ac ibi magna voce dixit: *quod felix fauſtumque ſit, ſenatui populoque R. mihique ipſi, M. Vlpium Neruam Traianum adopto.* Tunc praeerat Germaniae, et quanquam Neruae non deerant propinqui, factus eſt Caeſar: ille enim ſanguinis coniunctionem publicae vtilitati non antepoſuit; ac virtutem cuiusque non patriam aeſtimandam eſſe putauit. Decretum de adoptione et inſignia imperii a Nerua et Senatu Romano ad ſe miſſa Coloniae Agrippinae accepit, cum aetatis iam ageret annum XLII. De Neruae obitu certior factus, ſe nullius viri probi aut vitae, aut dignitati obfuturum, ſua manu ſcripſit ad ſenatum, ac iure iurando confirmauit. Quod etiam per totum imperium ſeruauit inuiolatum adeo, vt ne conuictos quidem conſpirationis in ſe aliter quam cognita per ſenatum cauſſa puniret. Cum praefecto praetorii, more ſolito, protectionis inſigne, gladium traderet: his verbis vſus eſt: *tibi iſtum ad munimentum mei committo, ſi recte ago: ſin aliter, in me magis: quod moderatorem omnium vel errare minus fas ſit.* Vel, vt DIO CASSIVS habet: *accipe gladium, quem, pro me, ſi bene atque cum ratione imperauero, diſtringes; ſin minus, eo ad interitum meum vtere.* Illuſtri pietatis documento in Neruam, anteceſſorem, imperium auſpicatus eſt. Nam Aelianum Caſperium, praetorii praefectum, et ſocios, qui ſeditionem excitauerant aduerſus Caeſarem, ſimulato conſilio, ad ſe extra vrbem citatos e medio ſuſtulit. Suis deinde victricibus armis quam longiſſime protraxit imperii fines, et orbem Romanum ſplendidiſſimis operibus ornauit. Sub initium ſeculi poſt Chriſtum natum alterius vicit Decebalum Daciae regem, qui

qui et vicinas ad Iſtrum prouincias tenebat, ac Romanos ſuis armis prope ſedecim annos miſere exercuerat. Inde triumphus. Regi, tum quidem Romanis ad fidem et obedientiam ſacramento ſe adſtringenti, pacem et prouincias conceſſit: cum vero Dacus paulo poſt foedera et pacis conditiones violaret: ſecundo opprimitur a Traiano, qui magno et admirando opere pontem in Iſtro flumine fecit. Decebalus deſperatis rebus, ne viuus caperetur, ſibimet ipſi mortem conſciuit. Imperator Daciam omnem trans Danubium ſub Romanorum poteſtatem redegit: ac prope pontem a ſe exſtructum in Bulgaria Nicopolim condidit. Victori forti et felici ſenatus pro meritis trophaea et ſtatuam poſuit cum hac inſcriptione: *e*)

IMP. CAESAR. NERVA. TRAIANVS.
DACICVS. GENTEM. DACOR. ET. REGEM. DECEBALVM.
BELLO. SVPERAVIT. SVB. EODEM. DVCE. LEG. PR. PR. AB.
EODEM. DONATO. HASTIS. PVRIS. VIII. VEXILLIS. VIII.
CORONIS. MVRALIB. II. VALLARIB. II. CLASSICIS II.
AVRATIS. II. LEG. PRO. PR. PROVINCIAE. BELGICAE. LEG. LEG. I.
MINERVIAE. CANDIDATO. CAESARIS. IN. PRAETVRA.
ET. IN TRIBVNATV. PLEB. QVAESTORI. PROVINCIAE.
ACHAIAE. IIII. VIRO. VIARVM. CVRANDARVM.
HVIC. SENATVS. AVCTORE. IMP. TRAIANO. AVG.
GERMANICO. DACICO. TRIVMPHALIA. ORNAMENTA.
DECREVIT. STATVAMQ. PECVN. PVBLIC. PONEND. CENSVIT.

Poſthaec Traianus in orientem vlterius bellum parauit: ac primo quidem aggreſſus eſt Armeniam, quod Rex Armeniorum diadema et coronam a Parthorum Rege, ac ſi obnoxius eſſet ipſi, Romanis renuentibus, acceperat. Quam-

e) Apud ALDVM MANVTIVM orthograph. p. 384.

Quamprimum vero Traianus Armeniorum Parthorumque fines attingeret, reges plurimi atque ſatrapae cum muneribus ſuis venerunt obuiam. Tum equus inter alia, quae offerebant, dona anterioribus procidendo pedibus Caeſarem quaſi adorare, ſemet humiliare, ac geſtu ſupplicantium caput pedibus ſubmittere doctus erat. Qui adeo ſua ſponte Romanorum victricibus armis cedebant, iſtorum imperio reconciliati amice ac beneuole tractabantur. Renitentes ſuisque opibus elatos forti manu coegit. Sic fractos victosque plurimos, Hiberos, Sauromatas, Agarenos, Arabes, Boſphoranos, Colchosque in fidem accepit. Seleuciam, Cteſiphontem et Babylonem occupauit ac retinuit. Nam ſubacto Armeniorum Rege, cui maioris Armeniae regnum ademit, aduerſus Parthos quoque profectus Euphratem fluuium ponte iunxit, eumque, barbaris fruſtra reſiſtentibus, traiecit, atque in Aſſyriam vsque ad Babylonem penetrauit. Hinc ipſi Senatus R. gloriae atque honoris ergo, *Parthici* cognomen impoſuit: vti et *Dacicus* et *Germanicus* dictus fuit, quoniam ſuper hos populos olim triumphare viſus eſt. *f*) A plerisque ſcriptoribus celebratur in eo morum ſimplicitas, animi magnitudo, corporis robur, eruditio, humanitas, iuſtitia, erga bene meritos amor et beneuolentia; quod in bellis gerendis fuerit fortis, prudens, ſtrenuus atque felix; quod per omnes imperii ſui annos hoc egerit, vt erga populum R. mitis, Senatui venerandus, omnibus amabilis eſſet, nulli grauis, niſi hoſtibus. Tanta fuit eius facilitas, vt pauciſſimis comitatus non nunquam priuatorum aedes ingrederetur, atque cum iſtis accum-

f) Vide monumentum eius paulo ſuperius deſcriptum. Hinc IVVENALIS ſatyr. 6. v. 205.

Dacicus et ſcriptor radiat Germanicus auro.

accumberet. Aliquando traditur Baccho et Cereri nimis deditum fuiſſe: non tamen ad ebrietatem usque. Saltem vinolentiam ſua ſtuduit emendare prudentia, vetans ſua poſt epulas largiores iuſſa exequi: ac licet interdum plus ſatis biberet, nihil tamen ſe non ſatis dignum dicere viſus eſt, aut facere. Milites belli vulneratos atque ſaucios ipſe curauit usque adeo, vt cum faſciae non ſufficerent, ne veſti quidem ſuae pepercerit, quam ad vulnera ſuorum tegenda lacerauit, ac multa cum miſeratione porrexit. Ergo S. P. Q. R. illi merito iure *Optimi* cognomen addiderunt: vt fauſta poſt haec principibus precantes nihil aliud acclamare conſueuerint, niſi vt quisque eſſet *felicior Auguſto, melior Traiano*. Sed duo maximam principis gloriam obſcurarunt: puerorom nefandus amor, atque in Chriſtianos inſanus furor. Praepoſtera in Deos pietate vel ſuperſtitione, aliquandiu atrocius in id genus hominum ſaeuiit, ac perſecutionis auctor fuit, quae tertia vice eccleſiam miſere afflixit. Tunc temporis plurimi veritatis teſtes improba ſicariorum manu ceciderunt. Simon filius Cleophae, ex Mariae virginis ſorore natus, epiſcopus Hieroſolymitanus annum aetatis cxx. agens, interfectus, et Ignatius, epiſcopus Antiochenus Romam abductus atque beſtiis obiectus fuit. Ita ſub Traiano inſontes omni modo vexabantur: donec ipſe PLINIVS *g*) Bithyniae conſulari poteſtate propraetor intercefſerit pro iſtis miſericordia commotus, atque Caeſari perſuaſerit, vitam Chriſtianos agere innocentiſſimam, ac ſuperſtitionis loco ſimplicitatem eſſe. Tum ſententiam mitiorem tulit, Chriſtianos non conquirendos, aſt ſi deferantur et arguantur, puniendos eſſe. *h*) Quam Traiani

 reſpon-

g) Lib. 10. epiſt. 79.
h) Vid. eius reſponſoria epiſt. apud PLINIVM lib. 10. epiſt. 101.

reſponſionem etiam TERTVLLIANVS *i*) haud immerito reprehendit: *ſi damnas, cur non et inquiris? aut cur non abſoluis, ſi non inquiris?* Sed et mutabilis Traiani fortuna fuit. Nec mirum res proſperas deſeruiſſe innocentum oppreſſorem, quem non potuit iuſta facinorum poena non ſtatim pede ſequi. Antiochiam terrae motus pene totam concuſſit; homines periere multi, nec quisquam ſine damno fuit; ipſe Caeſar, qui Antiochiae tum agebat, vix incolumis euaſit. Multae ciuitates et prouinciae, abiecto Romanorum iugo, deſciuerunt. Primum Traianus in Arabiam, ſed irrito conatu, expetitionem fecit. Nec rebellantes Agarenos ſub poteſtatem redigere potuit: cum equites iſtos aggredientes ſaepe reuerti, ſuaque caſtra repetere cogerentur. Et parum abfuit, quin ipſe Caeſar inter ſuos ad vrbem properans, vtut ne minimo quidem ornamento diſtingueretur, ab hoſtibus e canitie ac oris venerandi maieſtate cognitus, ſagittis obrutus fuerit. Traiano in Arabia bellum gerente, Iudaei, qui Cyrenem incolebant, duce Andrea quaedam ſeditionem concitarunt, atque cum Graecis Romanos, quotquot inuenire potuerunt, ferro et igne perſecuti ſunt. Iſtorum exemplo et Iudaei in Cypro et Aegypto tumultuarunt adeo, vt ſaeuientium Iudaeorum manibus prope quadraginta millia hominum miſere perierint; multi ferris diſſecati, multi beſtiis obiecti, multi aliis cruentae mortis generibus, quae graſſantibus ſuppeditabat furor, exſtincti fuerunt. Nec tanta caede contenti, horribile dictu, aliquando trucidatorum inteſtinis praecingi, ſanguine inungi, cute velari, denique ipſis interfectorum carnibus veſci non detrectarunt. Sed mox inſaniae et cru-

i) Apolog. c. 2.

crudelitatis grauiſſimas Traiano dederunt poenas: qui cladibus aliquot tumultuantes attriuit: neque tamen ſpiritus ſuperbae gentis omnes reprimere potuit. Rebus aduerſus Agarenos non ex animi ſententia geſtis, cum iam corporis vires deficerent, in Italiam traiicere conſtituit, in Syria P. Aelium Adrianum cum legionibus relinquens. Poſteaquam vero in Ciliciam venit, eius membra ſtupore et apoplexia fuerunt reſoluta: vt quadam ſui parte motum ſenſumque amitteret: tandem aqua intercute repletus, apud Selinuntem Ciliciae vrbem, quae Traianopolis dicta eſt, diem obiit ſupremum, aetatis anno ſexageſimo quarto, cum imperaſſet annos vndeuiginti, ſex menſes et aliquot dies. Cadaueris exuſti cineres tranſtulerunt Romam, et in foro Traiani, prope columnam eius humauerunt, impoſita imagine, quam S. P. Q. R. quaſi triumphantis in vrbem portauerant. *k*)

§. XV.

Sacra ipſius perpetuo erit literatis memoria. Nam ſuo tempore, vt olim Auguſtus, maxima cum lubentia quoduis doctrinae genus et doctiſſimos quosque et Romanae elegantiae amantiſſimos fouit. Quanta comitate et munificentia viros literis ac varia eruditione claros exceperit, ex non vno illius ſeculi monumento diſcimus. Ita IVVENALIS: *l*)

Et ſpes et ratio ſtudiorum in Caeſare tantum,
Solus enim triſtes hac tempeſtate Camaenas
Reſpexit, cum iam celebres notique poetae
Balneolum Gabiis, Romae conducere furnos

k) Pl. vide apud DIONEM CASSIVM l. 68. AVRELIVM VICTOREM, PLINIVM in panegyrico et epiſtolis, EVSEBIVM, et alios.

l) Satyr. 7. ab exord.

Tentarent, nec faedum alii, nec turpe putarent
Praecones fieri. — — —

Vnde patet, inopia ſua et poeſeos neglectu coactos, Romae et in aliis Italiae oppidis multos ſe contuliſſe ad ſordidas artes, vt victum ſibi quaererent. Caeſarem vero illis oportuno tempore ſubueniſſe. Idem obſeruat PLINIVS, *m*) cum Traiani laudes diceret: *quem honorem dicendi magiſtris? quam dignitatem ſapientiae doctoribus non habes? vt ſub te ſpiritum, et ſanguinem, et patriam receperint ſtudia, quae priorum temporum immanitas exilio puniebat.* Cum literatorum ante miſera conditio eſſet: Tanti Maecenatis ſui munificentia factum eſt, vt literulas iuſta manerent praemia; neque ſtudiis indignum quisquam laborem ferret. Quamobrem ſupra laudatus poeta *n*) intermiſſum diu poeſeos ſtudium reuocare et omnibus ingenuis, vel propter eam principis liberalitatem commendare ſtudet: vt honorem lauri ſuique poematis gloriam deguſtarent.

Hoc agite, o iuuenes, circumſpicit et ſtimulas vos,
Materiamque ſibi Ducis indulgentia quaerit.

§. XVI.

Vt Traianus princeps literarum amantiſſimus, et imperator optimus euaderet, ſolicita iuuentutis cura et inſtitutio fecit. Nam praeceptorem atque fidum moribus atque vitae praefectum, quem adhuc orbis literatus miratur, Plutarchum habuit, cuius etiamnum exſtat aureus liber de felici imperatoris inſtitutione, ipſi Traiano inſcriptus. Literis vero, quas prae ſe fert iſte libellus, Principi ſuo de modeſtia et moribus optimis gratulatur, eique

m) Panegyr. cap. 47.
n) IVVENALIS ſatyr. 7. v. 20.

Digitized by Google

eique alia maxime neceſſaria ad fauſtum imperium vitamque cum laude ducendam perſuadet. Traianus ergo fuit re et vſu non minus, quam diligenti et accurata informatione doctus: *o*) vt omnino nihil in eo deſideraretur, neque eſſet, quo non optime verſatus videretur. Multa ſcripſit, ex quibus tantum ad noſtram aetatem peruenerunt epiſtolae circiter quinquaginta ad Plinium Bithyniae praefectum ſcriptae: quae inter huius epiſtolas, toties totiesque vulgatas, decimo libro habentur. Stilum in illis deprehendimus facilem, breuem, grauem, et tanto imperatore dignum: vt cum ipſis Plinianis de gloria certare videantur.

CAPVT III.

De Poetis ſeneſcente Latina lingua illuſtrioribus.

§. I.

Caſtitatem linguae in primis poetae cuſtodiunt. 2. *Miſera hoc tempore poetarum conditio.* 3. *Attamen inſano furore homines inepti ad poetarum ſacra ruebant.* 4. *Maior inde contemtus.* 5. *Maximus cordatiorum dolor.* 6. *Nec minor egeſtas.* 7. *Laeta fuit tamen poetarum ſeges hoc ſeculo, quorum praecipui recenſentur.* 8. *Phaedri exponitur vita.* 9. *In eius aetatem inquiritur.* 10. *Farnabius et Pagenſtecherus notantur.* 11. *Phaedri commendantur fabulae.* 12. *Quae maleuolorum expertae ſunt linguas.* 13. *Aliis ac ipſi*

o) Neque audiendus eſt, cetero doctiſſimus MARTINVS SCHOOCKIVS, oratione, quae eſt tom. 1. quarta de bibliothecis et libris p. 81. vbi *poſt eum* Auguſtum *exorta*, inquit, *Vlpia bibliotheca, collecta a Traiano, principe quidem illiterato, ceterum impenſe literarum et literatorum ſtudioſo.*

ipſi auctori probatae. 14. *Illarum demonſtratur vſus.* 15. *Stilus laudatur.* 16. *Licet minus placuerit aliis.* 17. *Optimo ſcriptori falſo quaedam affinguntur.* 18. *Editiones recenſentur ſeculi poſt C. N. decimi ſexti.* 19. *Decimi ſeptimi.* 20. *Decimi octaui.* 21. PERSII *vita deſcribitur.* 22. *Mores laudantur, atque* 23. *Ingenium.* 24. *Scripta recenſentur.* 25. *Inſtituti ratio.* 26. *Stilus.* 27. *Auctoris vnde maxima obſcuritas.* 28. *Commentatores inuenit plurimos.* 29. *Editiones indicantur ſeculi poſt C. N. decimi quinti.* 30. *Decimi ſexti.* 31. *Decimi ſeptimi.* 32. *Decimi octaui.* 33. LVCANI *vita exponitur.* 34. *Docta Lucani coniux Polla Argentaria laudatur.* 35. *Pharſalia, ſiue decem libri de bello ciuili recenſentur.* 36. *Quorum ipſe captus amore.* 37. *Scripta eius enumerantur alia.* 38. *Primus epici carminis maieſtatem ad declamatorias ineptias tranſtulit.* 39. *Ex antiquorum et recentiorum ſententia, propter veritatem hiſtoricam nomen perdidit poetae.* 40. *Statius et aequales maximi fecerunt.* 41. *Agitur de Lucani dictione et meritis.* 42. *Indicantur editiones ſeculi decimi quinti.* 43. *Decimi ſexti.* 44. *Decimi ſeptimi.* 45. *Recentiſſimae.* 46. SENECA *quis tragicus fuerit.* 47. *An Seneca philoſophus.* 48. *Tragoediae commendantur.* 49. *Recenſentur.* 50. *Enumerantur editiones primae.* 51. *Seculi decimi ſexti.* 52. *Decimi ſeptimi.* 53. *Aetatis noſtrae.* 54. PETRONII *vita deſcribitur.* 55. *Aetas examinatur, facta et aliorum Petroniorum mentione.* 56. *Satyrae Menippeae praeſtantia et ſcopus.* 57. *Trayurianum fragmentum additur.* 58. *Atque Nodotianum exemplum.* 59. *Noſtri qui ex veteribus mentionem fecerint.* 60. *Oris accuſatur obſcoeni.* 61. *Satyrae excuſatur licentia.* 62. *Dictionis mira elegantia.* 63. *Licet nonnunquam vocabula miſcuerit, hominibus tantum exoletis vſurpata.* 64. *Fragmenta hodie ſolum extant, a veteribus excerpta.*

65. *Exem-*

Digitized by Google

65. Exempla prima. 66. Seculi decimi ſexti. 67. Decimi ſeptimi. 68. Aetatis noſtrae. 69. Deſcribitur VALERII FLACCI *vita. 70. Vt diſtinguatur ab aliis, qui idem cum illo nomen habuere. 71. Valerii Flacci poete recenſentur ſcripta. 72. merita, quae. 73. aduerſus Scaligerum defenduntur. 74. Editiones primae. 75. Seculi decimi ſexti. 76. Decimi ſeptimi. 77. Recentiſſimae. 78.* SILII ITALICI *deſcribitur vita. 79. Martialis de triplici conſulatu illuſtratur. 80. Silii ſcripta. 81. Merita. 82. Stilus. 83. Editiones recenſentur primae. 84. Seculi decimi ſexti. 85. Decimi ſeptimi. 86. Recentiſſimae. 87.* PAPINII STATII *vita deſcribitur. 88. Qui cum Statiis aliis non confundendus eſt. 89. Eius ſcripta. 90. Merita. 91. Stilus. 92. Editiones recenſentur primae. 93. Seculi decimi ſexti. 94. Decimi ſeptimi. 95. Decimi octaui. 96.* MARTIALIS *vita deſcribitur. 97. Martiales alii, quibuscum non confundendus. 98. Scripta. 99. Ingenium. 100. In fingendis epigrammatibus artificium. 101. Petulantia, qua plurimos offendit. 102. An bonis moribus noceat. 103. Elegantia. 104. Editiones recenſentur primae. 105. Seculi decimi ſexti. 106. Decim ſeptimi. 107. Recentiſſimae. 108. De* TERENTIANO MAVRO, *eiusque ſcriptis agitur. 109.* IVVENALIS *vita deſcribitur. 110. Satyrae. 111. Merita. 112. Editiones recenſentur. 113.* SVLPITIAE *poetriae merita et ſcripta laudantur. 114. Suis poematibus quoque* COLVMELLA *et* PALLADIVS RVTILIVS *inclaruere.*

§. I.

Omnium diſciplinarum diuina poeſis prima fuit, quae rudibus licet initiis ſe mortalibus commendauit; vt rhythmis ſua quique populi memoratu digna comprehenderent; ſcriptis tandem conſignarent; atque ipſas temporis ſucceſſu emendarent ac perpolirent linguas; emendatas

K atque

atque perpolitas aduerſus varia barbarorum molimina diutius et religione maiori tuerentur atque ſeruarent. Latinae linguae puerili aetate vidimus, quid ſaliaribus aetas tenerrima fuerit auſa cantilenis et hymnis: quid annis progredientibus et flore iuuenili Pacuuius, Liuius, Ennius, reliqui poetae praeſtiterint; quid tandem comicus vterque elegantiſſimus Plautus atque Terentius cum Lucretio ad nitorem et veram linguae gloriam attulerint. Vidimus quid ipſo robore virili et ſumma Romani ſermonis dignitate ad omnium ſeculorum admirationem Virgilii, Horatii, Ouidii, ſuis quique carminum generibus principes ediderint. Cum tandem vigor Latinae linguae ſua mole coeperit eſſe grauis: vt omnium prope diſciplinarum doctior magiſtra, orbis regina, virgo adulta caſtitate, reliquis virtutibus maxime commendata ſeneſcere videretur: poetae rurſum inprimis linguae ſuae nitorem verumque genium, aduerſus imminentem ſenectutis calamitatem, curae cordique habuerunt: licet iam tum ſatis fuerint experti, quod vulgo bonae mentis ſoror paupertas: optimi qui poetae laudentur et exornantur verbis, ſed ipſius vitae ſubſidiis deſtituti, vt plurimum inopes atque miſeri relinquantur: vt ſui ſe poſt tot ſeculorum fata maneat parentis conditio. Nam, vt ſcite BVCHANANVS cecinit:

Bella gerunt vrbes ſeptem de patria Homeri:
Nulla domus viuo, patria nulla fuit.

§. II.

Miſera his temporibus Romae poetarum conditio fuit: vt niſi quis opibus abundaret, quae ad vitae ſuſtentationem quam maxime neceſſaria nequidem inuenire potuerit: cum ſordidi homines ſibi perſuaderent, poetas ſola gloria et fama contentos eſſe debere. Eaque fata Statius noſter

noſter expertus eſt: quae IVVENALIS *a*) deſcribit, ſignificans diuitem quemque poetam ſua fama quidem contentum in voluptate et otio deliteſcere poſſe. Tenui vero ac pauperi

Gloria, inquit, *quantalibet quid erit, ſi gloria tantum eſt?*
Curritur ad vocem iucundam, et carmen amicae
Thebaidos, laetam facit cum Statius vrbem,
Promiſitque diem, tanta dulcedine captos
Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi
Auditur: ſed cum fregit ſubſellia verſu,
Eſurit, intactam Paridi niſi vendat Agauen.

Vnde patet, noſtrum quam maxime carminibus ſuis placuiſſe; et frequentem ad recitationes eius, indicta die, populi fuiſſe concurſum; diuina poeſi Romanorum quemque tum quidem fuiſſe laetatum, ſed poetae nil niſi famam fuiſſe ſuper: qui cum pauper eſſet, poſt omnem populi fauorem et applauſus, nihil ex eo commodi perceperit praeter gloriam inanem; neque habuerit quod ederet, niſi fabulam nondum vulgatam cuidam praeter merita honorato vendidiſſet: vt victus cauſſa illud ipſum, propter quod in coelum laudibus euehatur, aliis pretio cogeretur tradere turpiter. Et vere auctor dialogi de cauſſis corruptae eloquentiae: *b*) *carmina et verſus*, inquit, *neque dignitatem vllam auctoribus ſuis conciliant, neque vtilitates alunt: voluptatem autem breuem, laudem inanem et infructuoſam conſequuntur.* Hinc MARTIALIS *c*) Valerium Flaccum, poetam eximium ſed pauperem hortatur, vt deſinat poetari, quod reliquum ſit nullum Muſis praemium;

a) Satyr. 7. v. 81. ſeqq. *b*) Cap. 9.
c) Lib. 1. epigr. 77.

Digitized by Google

Pierios, inquit, *differ cantusque chorosque ſororum:*
Stes dabit ex iſtis nulla puella tibi:

Poſt pauca:

Praeter aquas Helicon, et ſerta, lyrasque Dearum
Nil habet, et magnum ſemper inane ſophos.

Nihilominus, vel ex ſola diſciplinae incomparabili voluptate, omnes, etiam inepti ac leuioris notae homines, coeco quaſi impetu, ad poetarum ſacra penetrare ſtudebant, et optimis quibusque praeripere laureolam.

§. III.

Iam inde ab Octauiani Caeſaris Auguſti temporibus deſiderium poetandi plerisque Romanorum familiaris morbus fuit. *d*) Quid enim homines, a militari ſtudio ad otium cati principis aſtu traducti, potius facerent, quam vt otium ignobile ſuum pangendis carminibus tranſigerent? Morbus iſte, Neronis tempore, cum artes fere omnes faciem deteriorem induere viderentur, nouas accepit vires atque mirum in modum auctus eſt. Exemplum illius belluae lauream poeticam palam affectantis *e*) leuiſſimum quemque impellebat, vt poeta videri vellet. Sic facti ſunt multi poetae inſana ἐνθουσιασμοῦ opinione, gloriolae fumo, victus egeſtate, lucri ſpe: quae inſignis illorum impudentia fuit. *f*) Neque aliud poeticae facultatis poterant proferre argumentum, niſi commentitium illud ac vanum, quod repentino quodam Apollinis et Muſarum afflatu euaſerint poetae. *g*) Id genus hominum,

d) Vid. diſſert. de virili aetate L. L. part. 1. cap. 3. §. 1.

e) Vid. SVETONIVS Neron. cap. 12. 52. Confer. PERSII Satyr. 1. TACITVS annal. l. 14. cap. 16. *f*) Vid. PERSIVS ſatyr. prologo.

g) Vnde PERSIVS l. c. ab init.

Nec fonte labra prolui Caballino:
Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo
Memini, vt repente ſic poeta prodirem.

num, qui aliis imponunt, ſuaque leuitate artis incomparabilem gloriam commaculare non verentur.

Viuunt carmine inſani poetae,
Si nugas adimas, fame peribunt:
His mendacia ſunt opes et aurum.
Fingunt quaeque volunt, putantque palmam
Mentiri bene glorioſiorem.

§. IV.

Nouimus vel ex tractationis huius capite ſecundo, principum pleroſque artis poeticae ſtudium affectaſſe: quorum inſtitutum ſecuti, quibuscunque ſinciput male ſanum, carmina ſcripſerunt docti ſimul atque indocti. Sed hinc lerna malorum. Quod rarum, carum. Ex nimia rerum copia vt plurimum contemtus venit. Verſus ipſi principes fundere adamarunt: minime vero, quid artis diuinae ſacraria velint, intelligere vel ſibi ſatis perſuadere potuerunt. Leuia ergo haec ſtudia eſſe opinantes, quod ſine diſcrimine carmina conarentur fingere omnes: vel nullis, vel paucis, et minime gentium merentibus, munera dabant: vt optimae artis amantiſſimi, vel ſtudia ſua relinquere, vel cum paupertate luctari cogerentur. O tempora! O luxus ſeculi inanis! quo liberalia ſtudia exularunt vel modis fuerunt tractata indignis, vsque adeo vt doctiſſimi quique praecones fieri, ſuaque manu victum ſibi quouis modo parare, non turpe putarent. Donec tandem Caeſar Traianus, optimus imperator, et liberalium artium amantiſſimus, tempore oportuno, triſtes reſpexerit camaenas: vt nemo ſtudiis indignum ferre laborem cogeretur poſthac,

— Nectit quicunque canoris
Eloquium vocale modis, laurumque momordit. h)

h) IVVENALIS ſatyr. 7. v. 17. ſeqq.

§. V.

Indigne hoc vulgo commune vitium legitimi Muſarum myſtae tulerunt, qui ſacra illarum tam foede pollui non ſatis dolere poterant. Hinc PERSII indignatio, cuius teſtem ſatyram nobis primam reliquit. Eo carmine reprehendit in nobilibus, in ipſo praeſertim Nerone ambitioſam vanitatem ſcribendorum poematum, in quibus, vt et in cauſſis forenſibus, ad voluptatem et oſtentationem, neque veri, neque honeſti habita ratione, figurarum pigmenta, verba obſoleta et rhythmicos numeros affectabant. Itaque perſibilata tum auditorum, tum recitantium mollitie, docet, qualem ſatyrarum ſuarum lectorem velit. Et in ipſo prologo vaeſania illorum arguitur, qui artium et omnis eruditionis rudes, impudenter ſibi nomen poetarum vindicabant: ac paullum vltra primas literas progreſſi falſam doctrinae perſuaſionem induebant. Hoc tempore quam plurimos Romae res familiaris domi anguſta in literis aliquid audere impellebat. Multi ad forum ſe conferebant: plures cum agere cauſſas neſcirent, aut nimis laborioſum putarent, ad poetices ſtudium tanquam in portum confugiebant. Vnde PETRONIVS: *i*) *multos, o iuuenis, carmen decepit: nam vt quisque verſum pedibus inſtruxit, putauit ſe continuo in Heliconem veniſſe, ſic forenſibus miniſteriis exercitati, frequenter ad carminis tranquillitatem, tanquam ad portum faciliorem refugerunt: credentes poema facilius exſtrui poſſe, quam controuerſiam ſententiolis vibrantibus pictam.* Nec adeo mirum, optimos poetas a minorum iſtis gentium faſtidio et nauſea affectos fuiſſe: vt IVVENALIS *k*) ex recitatione poematis de Theſei geſtis raucedinem Codri vilis ſed clamoſi poetae ridet: *Sem-*

i) Satyr. fragm. *k*) Satyra 1. init.

Semper ego auditor tantum? nunquamne reponam,
Vexatus toties rauci Theſeide Codri?
Impune ergo mihi recitauerit ille togatas,
Hic elegos? — —

Sic deliberanti, vtrum malis ſuo tempore poetis, tragoedias recitantibus, panthera, quod aiunt, leone remuneranda; vrbis occurrunt ſcelera: quae illum ad ſatyram ab inſtituta tragoedia abducunt.

§. VI.

Ita mixti fuerunt, vt ſolent vulgo, boni malis; neque pro inſigni principum ignorantia boni a malis diſtingui poterant: imo quo melior quisque erat, quo verecundior, vt vitiis patrocinari, tyrannis et omni luxu viuentibus adulari detrectaret; tanto maior illum videbatur manere calamitas, vt victum amictumque ſibi petere aliunde extrema neceſſitate vrgeretur. Sic triſtia hoc ſeculo poetis quibusque elegantiſſimis fuerunt fata, vt frequentes inopia ſuaeque artis neglectu, Romae aliisue Italiae oppidis ad ſordidum vitae genus ſe conferrent, atque nunc ex balneolis, nunc ex furnis alimenta ſibi quaererent: vel miſſis ſtudiis fierent praecones atque eſurientes ad diuitum atria eaque loca migrarent, in quibus conuenire praecones et rerum auctiones fieri ſolebant. *l*) Et ſi qui fuerunt, qui artis probe gnari, luxu et iniuria temporum magis magisque auertebantur.

Spes nulla vlterior. Didicit iam diues auarus
Tantum admirari, tantum laudare diſertos.

Scilicet vt pueri Iunonis pauonem. *m*)

§. VII.

l) Vid. IVVENALIS ſatyr. 7. ab exord.
m) Apud IVVENAL. l. c. v. 30. ſeqq.

§. VII.

De malis poetis, quorum nec ſcripta poterant ferre aetatem, nulla ſupereſt memoria: nec operae fuerit pretium, ad artis commonſtrandam viciſſitudinem, in medium quicquam proferre: tanto minus, quod, vel ex Horatii voce, inter omnes conſtet, mediocribus eſſe poetis non diuos, non homines, non conceſſiſſe columnas. Tam effoeta haec non fuit aetas, quod non bonos et memoratu dignos poetas tulerit, quorum immortalis memoria et perennatura ex elegantioribus ſeculi monumentis felicitas patet. Illorum merita noſtram attentionem merentur. Inprimis nominandi Phaedrus, Perſius, Lucanus, Seneca, Petronius, Valerius Flaccus, Silius Italicus, Rapinius Statius, Martialis, Terentius Maurus, Iuuenalis, atque Sulpitia poetria: quibus bonam huius noſtrae opellae partem debemus. Sed ab initio eſt ordiendum.

§. VIII.

PHAEDRVS Auguſti libertus *n*) natione fuit Thrax: ſuam enim ipſe patriam quam clariſſime prodit his verbis: *o*)

Cur ſomno inerti deſeram patriae decus?
Threiſſa cum gens numeret auctores ſuos,
Linoque Apollo ſit parens, Muſa Orpheo.

Cum

n) Cuius inter veteres pauciſſimi meminerunt: vnde quiquid de vita conſtat ex ipſius fabellis hauriendum ſit, vel coniecturis nitatur. Vnde TANAQVILLVS FABER, IOHANNES SCHEFFERVS, et ALEXAND. ARNOLD. PAGENSTECHERVS concinne et eleganter Phaedri conſcripſerunt vitam: quorum lucubrationes CL. SANTOROCCVS noſter cum Phaedrum ſuum ederet, optimo conſilio praemiſit. Eſt etiam vita Phaedri ex Phaedro HARTNACCII editioni praemiſſa.

o) Lib. 3. praefat. v. 55. ſeqq.

Cum etiam vel ex STRABONE *p*) conſtet, quod Pieria, Pimpla, Libethrum fuerint olim Thraciae montes atque regiones: noſter vero alibi *q*) profiteatur de ſemetipſo

Ego, quem Pierio mater enixa eſt iugo,
In quo tonanti ſancta Mnemoſyne Ioui
Faecunda nouies artium peperit chorum:

SCHEFFERVS *r*) haud abſurde coniicit, in monte Pierio primum in lucem editum fuiſſe. Hoc vero neſcio quouſque, contradicendi magis ſtudio, quam veritatis amore, PAGENSTECHERVS *s*) perſibilet. Phaedri verba citata ait improprie ac poetice ab eo dici: quemadmodum PERSIVS *t*)

Nec fonte labra prolui Caballino:
Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo
Memini, vt repente ſic poeta prodirem.

Sed quis non videt haec a ſtilo Phaedri eſſe toto coelo diuerſa? Contrarium innuit noſter, et neſcio an apertius clariusue dictum aliquid eſſe potuiſſet, vel ſimplicius, quod mater cum Pierio iugo enixa ſit: mox, ſe natum eſſe in ipſa pene ſchola. *v*) Ecquid clarius atque cum ipſis Phaedri verbis conuenientius eſſe poteſt, quam quod STRABO omnium accuratiſſimus geographus teſtatur. Eum ergo, non Schefferum V. C. impugnat, et facit nae intelligendo vt nihil intelligat. Geographi verba haec

p) Geogr. l. 10. *q*) Lib. 3. praefat. v. 17. ſeqq.
r) In Phaedri vita. *s*) In Phaedri vita.
t) Satyr. prolog. v. 1.
v) Sicut CICERO de orat. l. 3. *natum eſſe in literis* ait atque IVSTIN. l. 6. c 8. de Epaminonda, inſignem militiae ſcientiam *homini inter literas nato*.

haec ſunt: *x*) ἡ μȣσικὴ πᾶσα Θρακία, καὶ Ασιᾶτις νενόμισται. δῆλον δ' ἐντετῶν τόπων, ἐν ὂις ἁι Μȣ͂σαι τετίμην ται. πιερία γὰρ, καὶ ὄλυμπος, καὶ πίμπλα, καὶ λείϐηθρον τὸ παλαιὸν ἦν Θράκια χωρία καὶ ὄρη. νῦν δὲ ἔχȣσι, Μακεδόνες. τόν τε ἑλικῶνα καθιερόσανταις Μȣ́σαις Θρᾶκες ὁι τὴν βοιωτίαν ἐποικήσαντες, ὅιπερ καὶ τὸ τῶν λειϐηθριάδων Νυμφῶν ἄντρον καθιέρωσαν, ὁι τ' ἐπιμεληθέν τες τῆς ἀρχαίας μȣσικῆς, Θρᾶκες λέγονται, Ὀρφεύς τε, καὶ Μȣσαῖος, καὶ Θάμυρις. i. e. *Muſica omnis Thracia et Aſiatica cenſetur. Atque hoc de locis intelligi poteſt, vbi Muſae cultae fuerunt. Nam Pieria, Olympus, Pimpla, Libethrum antiquitus Thraciae fuere loca et montes: nunc Macedones obtinent: et Heliconem Muſis conſecrauerunt Thraces Boeotiae inquilini, vt et antrum Libethridum Nympharum. Iam qui antiquam procurauerunt muſicam, Thraces perhibentur, Orpheus, Muſaeus, Thamyris.* Nec obſtat PLINIVM *y*) montem Pierum adſcribere Theſſaliae. Quod eadem ratione refellere poſſemus: quia mox idem PLINIVS *z*) hunc montem refert ad Macedoniam: cuius imperium, quod praeterire neminem poteſt, Philippi et Alexandri temporibus auguſtiſſimum factum eſt, ac, Strabonis teſtimonio, non exiguam Thraciae partem ſubegit. Pieria Theſſaliae finitima ad Thermaicum ſinum ſita eſt, quam Aliacmon flumen permeat, Muſis olim celeberrima, quae Pierides inde vocantur. Idemque Pierus mons, vt PLINII *a*) verbis vtar, a tergo ad Macedoniam protenditur: et pars fuit Thraciae magnae, quae inter validiſſimas Europae gentes *b*) cis atque trans Strymonem fluuium plu-

x) STRABO l. 10. edit. Caſaub. pag. 324.

y) Hiſt. natur. l. 4. c. 8. *z*) l. c. cap. 10.

a) Lib. 4. c. 8.

b) PLINIVS hiſt. nat. l. 4 c. 11. confer. MELA de orbis ſitu l. 2. c. 9. PTOLOMAEVS Europ. tab. X.

plurimas comprehendebat a Macedonibus denique victas prouincias: cum etiam STRABO *c*) nos doceat, Thraces Baeotiam tenuiſſe prouinciam. Oportet ergo nos diſtinguere tempora, et auctores prius conferre, quam doctioribus figere cruces. Thrax erat Phaedrus et in Pierio monte natus. Quo anno, quibusue parentibus, non conſtat. Nec quicquam definire audemus de illius in Italiam aduentu, ſeruitute et quomodo Auguſti libertus factus ſit. SCHEFFERI *d*) ſaltem non probamus diuinationem, *e*) qui eum ab Octauii Auguſti patre, cum Beſſos ac Thracas magno proelio fudiſſet, cum aliis captiuum Romam fuiſſe perductum putat. Iſtud enim ne quidem conuenit illius aetati: quod prolixe et eleganter PAGENSTECHERVS *f*) demonſtratum iuit. Literis Latinis ab ineunte aetate innutritus *g*) potuit alio caſu, vt frequentiſſimum orbis totius tum fuerat cum Romanis commertium, veniſſe in vrbem atque ſeruitutem, qua magis magisque progredientibus annis ingenium docile perpoliuit. Hoc patet, eum inter ſeruos Auguſti, Principis literatorum amantiſſimi, fuiſſe, tandemque ob morum ac ingenii elegantiam, vt ſua libertate vteretur, manumiſſum: vnde in libris fabularum MSS. omnibus *Auguſti libertus* vocatur. Sub feliciſſimo illius imperio noſter imprimis arte poetica clarus vixit, atque rebus plerumque ſecundis vſus eſt. Eaque tempora ipſe *h*) notauit, *narrabo*, inquiens, *tibi*, *memoria quod factum eſt mea*; et mox *i*) *a diuo Auguſto tunc petiere iudices* etc. Octauiano

L 2 Caeſa-

c) L. c. *d*) In vita Phaedri.

e) Ex SVETON. Auguſt. c. 3. *f*) L. c.

g) Ita enim ipſe Lib. 4. fab. 25. v. 33. *ego*, inquit, *quondam legi quam puer ſententiam* Ennii poetae.

h) Lib. 3. fab. 11. v. 8. *i*) Ibid. v. 39.

Digitized by Google

Caeſare defuncto, ſuſpicioſiſſimis Tiberii temporibus calamitatem perpeſſus eſt grauiſſimam, vt frequentes ipſius querelae teſtantur: ſed cuius ea generis fuerit, Oedipo coniectore opus eſt. *k*) Tantum nouimus infortunii cauſſam omnem contuliſſe in Seianum, qui pro arbitrio, imperante Tiberio, cuncta geſſit, atque potentiam ſuam latiſſime exercuit. Hinc animi plenus aegritudine ſcribit: *l*)

Quod ſi accuſator alius Seiano foret,
Si teſtis alius, iudex alius denique,
Dignum faterer eſſe me tantis malis,
Nec his dolorem delenirem remediis.

Itaque aduerſam fortunam, in quam Seiani odio et perſecutione praecipitatus fuerat, cum non aliter per aduerſarium potentem liceret, occulte ac certis ſub fabularum inuolucris exponere ſtuduit: vt mores iſtius atque flagitia depingendo ſe conſolaretur atque vindictam velut quandam ſibi de ſceleſtis hominibus ſumere poſſet. Neque aliter eius verſus intelligendi ſunt: *m*)

—— Seruitus obnoxia,
Quia, quae volebat, non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas tranſtulit,
Calumniamque fictis eluſit iocis:

Ego

k) IOH. SCHEFFERVS, in vita Phaedri, non putat, tam obſcuros eſſe criminationis titulos, vt videntur, ſi bene reputemus, quod verſatus fuerit in domo Auguſti, ab ipſo clementer habitus, in libertatem reſtitutus. Hanc fuiſſe cauſſam, cur Auguſtum primo, et mox eo defuncto, poſteros illius amaret coleretque. Quos inter cum extiterit primum Agrippa, et deinde Germanicus, Seiano rationem non defuiſſe noſtrum criminandi apud inuidentem atque ſuſpicacem principem Tiberium.

l) Lib. 3. fab. 1. v. 41.

m) Lib. 3. praef. v. 34. ſeqq.

Digitized by Google

Ego porro illius ſemita feci viam,
Et cogitaui plura, quam reliquerat;
In calamitatem deligens quaedam meam.

Fabellas ad Eutychum, Particulonem et Philetum ſuos in aula Tiberiana patronos atque amicos ſcripſit: *n*) in eorumque gratia et fauore acquieuit. Quod ad ingenium eius attinet, honeſtatis atque innocentiae amantiſſimus eſſe videtur: quod plurimae fabulis interſperſae de probis bonisque moribus ſententiae teſtantur: quibus et alios ſecum ad virtutis ſtudium excitare voluit. *o*) Blanditiis ne minimum quidem tribuit, ac lepida fabula. *p*) Ardelionum nationem, multo labore nihil agentem, ſi licuiſſet, emendare voluit. Animus, quem ſcribendi genus requirebat, etiam aduerſis rebus erat hilaris, erectus atque facetus. Sordidam auaritiam deteſtabatur: ac omnes diuitias magno animo contemſit adeo, vt curam habendi penitus corde eraſerit. *q*) Tanto felicius, cum videret, opes ſuo tempore multis exitiales fuiſſe: quod eleganti fabella de aſino depinxit, *r*) tandemque

Huius, inquit, *reſpectu fabulae deterritus*
Periculoſum ſemper vitaui lucrum.

§. IX.

Phaedrum ſub Tiberio Imperatore ſcripſiſſe, ex illis, quae ſupra in eius vita recenſere potuimus, abunde patet. Ipſe enim, quod vidimus, Seianum ſaepius accuſat, ſuaque triſtia deplorat fata: ſimul atque etiam libri tertii prooemio ſcriptionis ſuae rationem atque cauſſas exponit.

 Imo

n) Lib. 3. praef. v. 1. Lib. 5. fin. v. penult. Lib. 5. fab. 6. TANAQ. FABER in Phaedri vita hos omnes arbitratur pileatos fuiſſe: certe nomina ipſa ciuium Romanorum non ſunt.

o) Vid. Lib. 2. praefat. *p*) Lib. 2. fab. 5.

q) Lib. 3. praef. v. 21. 26. *r*) Lib. 5. fab. 4.

Imo Caeſarem ipſum fabella de ardelionum natione *s*) producit, vbi inter alia:

Caeſar Tiberius quum petens Neapolim
In Miſenenſem villam veniſſet ſuam etc.

Ex ſuperioribus iam aliquoties intelleximus, noſtrum Seiani odio fuiſſe accuſatum atque damnatum: eamque calamitatem magno tuliſſe animo, et remedium aduerſus eam ex literis petiiſſe. Hoc vero nunquam auſus fuerit: vt viuo Seiano, quod facit libri tertii praefatione, eum ceu iniuſtum iudicem accuſaret: cum et poſt obitum illius exſtiterint, qui hominem metuerent. Tandem poſt obitum Seiani, qui contigit anno Tiberii decimo octauo, aulici quidam fuerunt, qui Phaedrum cum ſuae domus anguſtia confligantem ſolarentur atque ſuam promitterent opem. Inter hos Eutychus praecipue fuit, quem propterea, conquerens de annis ſuaque fortuna, ſedulo hortatur, vt promiſſis ſtare velit: *t*)

Quod es pollicitus. Exhibe vocis fidem.
Nam vita morti propior eſt quotidie:
Et hoc minus vſu veniet ad me muneris,
Quo plus conſumet temporis dilatio.
Si cito rem perages, vſus fiet longior:
Fruar diutius, ſi celerius coepero.

Senex ſcripſit: ſed quando diem ſuum obierit non conſtat.

§. X.

Phaedri tantum meminit ſcriptor huius aeui vnus MARTIALIS: *v*)

Dic Muſa quid agat Canius meus Rufus?
Vtrumne chartis tradit ille victuris

Le-

s) Lib. 2. fab. 5. *t*) Lib. 4. fab. 25. v. 9. ſeqq.
v) Lib. 3. epigr. 20.

Legenda temporum acta Claudianorum?
An quae Neroni falſus adſtruit ſcriptor?
An aemulatur improbi iocos Phaedri?

FARNABIVS *x*) putat hic mentionem fieri Phaedri mimographi alicuius iocularii, non autem illius, qui fabulas compoſuit. Captat vero hunc locum PAGENSTECHERVS *y*) et primo inde conatur improbitatem, ſecundo aetatem Phaedri demonſtrare. Ponamus noſtrum a Martiale notari poetam, et improbum vocari: primo adiunctum hoc vocabulum non capit, et immerito *quem*, inquit, *lateat Phaedri noſtri improbitas? quis non indignatur, vbi ad caput de aſino aprum irridente, de canum legatis ad iouem, item illa:* poſtquam lauare, *et,* rogauit alter, *ineptiſſima et ſpurciſſima fragmina offendit? Totidem naeui ſunt in pulcherrimo corpore!* Improbitas maior eſſet Martialis, qui paſſim habet epigrammata, quibus nihil impudentius, nihil ſpurcius excogitari poteſt. Non malo ſenſu Phaedrum vocat *improbum*: vt etiamnum hodie nos illum minime vituperamus, quem propter acumen ingenii, vernacula ſchlimm oder arg / vocamus. Sic apud Latinos *improbi* vulgo dicebantur, qui vitia lepide perſtringebant, atque ſatyras dabant: vnde IVVENALIS: *z*)

Nec melior vultu quamuis ignobilis ibat
Rubrius, offenſae veteris reus, atque tacendae:
Et tamen improbior ſatyram ſcribente cinaedo.

Neque felicius multo coniicit de Phaedri aetate: *a*) Martialem agere de eo ceu coaetaneo: praemittere tempora Clau-

x) Ad h. l. *y*) In vita Phaedri ab init. *z*) Satyr. 4. v. 104. ſeq.

a) *Neque definire auſim*, inquit l. c. *ab quo Auguſto Phaedrus manumiſſus ſit. Scio, Octauio Caeſari id nomen tributum, eundemque Auguſtum perpetuo appellatum — ſed ad ſucceſſores idem*

Digitized by Google

Claudiana: ſubiicere de Nerone: poſt Neronem a Galba, Ottone et Vitellio deguſtatum potius imperium, quam perceptum: ergo ad Veſpaſianorum, ſi non Domitiani, tempora Phaedrum perueniſſe. Illud conſtat, aetatis eum fuiſſe prouectioris et languentis, licet non omnino debilis. Cum enim fabulam propoſuerit *b*) de amphora vino vacua, eius tamen adorem ſpargente, vt ſuaues reliquias teſtetur, addit tandem:

Hoc quo pertineat, dicet, qui me nouerit.

Clarius idem indicat libri quarti epilogus, *c*) vbi inter alia:

Languentis aeui dum ſunt aliquae reliquiae,
Auxilio locus eſt: olim ſenio debilem,
Fruſtra adiuuare bonitas nitetur tua,
Quum iam deſierit eſſe beneficium vtile,
Et mors vicina flagitabit debitum.

§. XI.

Exſtant hodie Phaedri fabularum libri quinque verſibus iambicis conſcripti. *d*) Aeſopum in plerisque ſecutus eſt, ita tamen vt hiſtorias nonnunquam admiſceat. *e*) Neque omnes Aeſopi fabulas, ſed eas tantum ſingulari delectu exornauit, quae inſtituto ipſius ſeruire, i. e. Seianum tacite arguere ſuamque calamitatem propriam aliquo-

idem deinde tranſit. In dubium ergo vocanda ſunt omnia, quae de Auguſto accepimus. Sed ita fere ſemper Octauianum Caeſarem fuiſſe nominatum, vulgo conſtat: vt *Caeſar* C. Iulius. Quae nomina ſucceſſoribus, honoris tantum gratia deinde addita fuerunt.

b) Lib. 3. fab. 1. Confer. lib. 5. fab. 10. *c*) Siue lib. 4. fab. 25.

d) Sic quoque ex veteribus AVIENVS praefat. ſuarum fabul. ad Theodoſium ſcribit: *Phaedrus etiam partem aliquam quinque in libellos reſoluit.* *e*) Vid. lib. 3. cap. 10. lib. 5. cap. 1.

Digitized by Google

aliquomodo declarare videbantur. Sic ſtatim prima de lupo et agno docet, facile opprimi innocentes, atque ſemet ipſum agni, Seianum lupi ſpecie proponit. Secunda de ranis regem petentibus, feliciora, quae expertus fuerat, Auguſti atque triſtia Tiberii tempora notat: quibus, ne forſan deteriora veniant, quemque deceat ſua ſorte eſſe contentum. Tertia Seiani faſtum, quarta eius auiditatem deludit; ac ſi caſum illius praeuidiſſet. Nec fruſtra quicquam tradidit fabellis, quae pulcherrime inter ſe cohaerent, atque eum in finem, vt ipſe paſſim indigitat, ſelectae fuerunt. Fabellarum primum et ſecundum librum edidit ſine quadam dedicatione, cum ſimplici et nuda praefatione ad qualemcunque lectorem. Mox invenerunt admiratores ſuos, atque inter eos Eutychum et Particulonem: illi adeoque tertium et quartum, huic quintum operis libellum adſcripſit. Etiam Phileti meminit. *f*) Quales vero illi fuerint, non eſt facile dictu. Eutychum certe poeta *g*) alloquitur, vt grauibus crebrisque negotiis occupatum et potentem. Itaque et opem eius implorat contra inimicos, praeſertim calamitatem, in quam praeter merita ex ſolo Seiani odio venerat. Oportet ergo fuiſſe quempiam ex libertis in Tiberiana aula. Quam coniecturam nobis quoque de Particulone et Phileto licebit facere ex nominibus, quae non ex Romana, ſed peregrina quapiam lingua habuerunt.

§. XII.

Et Phaedrus non potuit non omnium literatorum commune fatum experiri: vt vel propter inuidiam eius ſcripta multis atque variis exciperentur calumniis. Erant, qui fatebantur, aliquid eum habere egregii, ſed iſtud ab Aeſo-

f) Lib. 5. fab. vlt. v. penult. *g*) Lib. 3. praefat.

Aeſopo accepiſſe mutuum, reliqua vt a Phaedro excogitata, ita mala eſſe et inepta. Quod ipſe innuit: *b*)

Quid iudicare cogitet liuor, modo
Licet diſſimulet, pulcre tamen intelligo.
Quicquid putabit eſſe dignum memoriae,
Aeſopi dicet: ſi quid minus arriſerit,
A me contendet fictum quouis pignore.

Alii breuitatem fabularum earundemque obſcuritatem accuſabant. Quamobrem ſemet ipſum emendare ſtuduit, et alicubi: *i*)

Haec executus ſum, inquit, *propterea pluribus,*
Breuitate nimia quoniam quoſdam offendimus.

Alii argumenti vilitatem, et humilitatem ſtili, vel orationem neglectam arguerunt. *k*) Qui denique nihil vituperare audebant, non verebantur, inuidia gloriae alienae, ſibi vindicare, quod a Phaedro inuentum erat: quo elegantiſſimus poeta pulchre fabella de apibus et fucis alludit. *l*) Contra ſibi duxit laudi et gloriae, Particulonem et eius ſimiles verba formulasque eius ediſcere ſuisque ſcriptis inſerere inſtituiſſe. *m*)

§. XIII.

Ipſe de fabulis ſuis magnifice ſentit, tantam earum vim atque genium praedicans, vt magnam ſui partem ad poſteros pertinere credat. Ita *n*)

Quartum, inquit, *libellum dum tu vaciue perleges:*
Hunc obtrectare ſi volet malignitas,
Imitari dum non poſſit, obtrectet licet.
Mihi parta laus eſt, quod tu, quod ſimiles tui,
Veſtras in chartas verba transfertis mea,

Di-

b) Lib. 4. fab. 20. *i*) Lib. 3. fab. 10. extr.
k) Lib. 4. fab. 6. tota. *l*) Lib. 3. fab. 13. extr.
m) Lib. 5. praefat. v. 17. ſeq. *n*) Lib. 5. praef. v. 14. ſeqq.

Google

Dignumque longa iudicatis memoria.
Illiteratum plauſum non deſidero.

Quae ſpes eum adhuc fruſtrata non eſt, neque facile poſthac fruſtrabitur. Alibi: *o*)

— Chartis nomen victurum meis
Latinis dum manebit pretium literis,
Si non ingenium, certe breuitatem approba,
Quae commendari tanto debet iuſtius,
Quanto poetae ſunt moleſti validius.

Rurſum: *p*)

Ergo hinc abeſto liuor, ne fruſtra gemas,
Quoniam mihi ſolennis debetur gloria.

Adeo cupidus erat gloriae, ſed illius, quae ex literis atque doctrina venit: cum diuitiarum negligens eſſet ſuique commodi. Feliciſſimus Terentii imitator fuit, eiusque gratam lenitatem, et omnibus comprobatam ſermonis vere Latini ſimplicitatem haudquaquam inuita Minerua expreſſit: vt nemo propius a Terentii nitore et ſuauiſſima tenuitate abeſſe videatur.

Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat.

Et alios Latii ſcriptores probatiſſimos imitatus eſt adeo quidem, vt IOH. SCHEFFERVS *q*) qui ſaepius eum et cum cura legit, in plerisque Virgilium, in ceteris Plautum, Terentium Ouidiumque perſuadeat ſibi audire loquentes: quod multis argumentis, nec fallacibus exemplis in illius ſatis luculenta expoſitione demonſtratum iuit. Hos igitur quiſquis

— non odit, amat tua carmina, Phaedre.

§. XIV.

Vt omnes fabulae ad inſtitutionem vitae et bonos mo-

 res

o) Lib. 5. fab. 6. v. 43. *p*) Lib. 3. praef. v. 60.
q) In vita Phaedri.

Digitized by Google

res ſunt vere excogitatae: inprimis hic Phaedri ſcopus fuit, vt homines redderet magis de ſua ratione ſolicitos atque prudentes. Malorum ridet vitia, fictisque cauſſis ſua cuique demonſtrat officia. Tantumque abeſt, vt quae A. A. PAGENSTECHERI *r*) ſententia laſciuiori pagina probam ſubinde vitam corrumpat. Quae nec eius aetati, nec ingenio conuenit. Grandis enim iamtum et alienus a iuuenili feruore, vt ipſe virtutibus erat deditus, omnes ingenuos ad pulcherrimum illarum vſum pertrahere ſtudet. Ita enim ipſe *s*) fatetur,

Duplex libelli dos eſt, quod riſum mouet,
Et quod prudenti vitam conſilio monet.

Nouit ſcilicet optimus auctor, eam eſſe multorum indolem, vt raro ſapientiae admittant et veritatis praecepta, niſi condimentis quibuſdam inuoluerentur. Idem Socrates et diligentiſſimi quique veterum philoſophorum tentarunt. Sapiens gaudet fabulis, quae ſunt breuioris et iucundioris argumenti ſatyrae ac vitae communis vtiliſſima capita iucunde tractant: vt ſi fictas res ad animum referre velimus, inſignia moralis ac ciuilis ſcientiae dogmata vltro ſe nobis offerant.

§. XV.

Quod ad ſtilum Phaedri attinet, *t*) argumento ſuo quam maxime conueniens eſt, tenuis, ſed elegans, ſed facilis, et inprimis Latinus. Nec ab re BORRICHIVS *v*) iudi-

r) De vita Phaedri.

s) Libri primi prologo. v. 3. 5. Confer. prol. lib. 2.

t) De ſtilo Phaedri diſſertationem elegantiſſimam Celeberr. Dom. I. G. WALCHIVS Phaedri nouae editioni ſuae praemiſit, qua generatim de ſtilo vniuerſo, eius formis atque virtutibus, tum ſigillatim de claſſici ſcriptoris noſtri dictione, ſuo more, i. e. erudite commentatus eſt.

v) De poetis p. 56.

iudicat, dictionem eius puram eſſe et emendatam, nec indignam, quam linguae Latinae candidati imitentur. Et MORHOFIO iudice *x*) Aeſopicas deſcripſit fabulas verſibus Latinis adeo nitidis et limatis, vt nihil Romanius dici aut ſcribi poſſit. Ipſe PAGENSTECHERVS *y*) genus dicendi agnoſcit in Phaedro niueum et Latio dignum. Feliciſſimus enim Terentianae lenitatis atque puritatis in ſermone vere Romano aemulus fuit: vt facilis ſit aeque ac ornatus, ſuaque ſimplicitate mirum quantum literarum elegantiorum amantiſſimis quibusque commendatus. Nec quiſquam e veteribus videtur magis ingenio et natura ad illam comici Africani lenitatem factus; nemo qui eam rebus magis commode applicare potuerit: ea enim eſt apologorum atque adeo fabellarum omnium natura, vt ſermone non debeant, niſi facili, niſi molli, placidoque tractari. Hinc TANAQ. FABER: *z*)

Parce barbaras vocare, quas Hebrus terras lauit,
Barbaras vocare parce, Phaedrus en noſter vetat.
Tibris illum ſic amauit, pileato vt nemini,
Qua patet Romanus orbis, plus debere deſeret,
Ni Lybiſſa terra ſcenis protuliſſet Publium.

Vt poeta eſt, habet poetica multa, quae Cl. WALCHIVS *a*) notauit: ſed habet ea tamen quam alii poetae pauciora, et eo metro, quod facile poſſet ad proſam orationem conuerti. Dictiones vero peculiares quas itidem accurate obſeruat, *b*) denuo deſcribere non putamus operae pretium fore.

 §. XVI.

x) De patauinitate Liuiana p. 158. *y*) In vita Phaedri.

z) In vita Phaedri.

a) Diſſert. de ſtilo Phaedri elegantiſſima, quam huic auctori a ſe illuſtrato et edito praemiſit. Item hiſtoria critica Latinae linguae cap. 8. §. 2. pag. 342. *b*) Locis citatis.

Digitized by Google

§. XVI.

Noui SCIOPPIVM quoque in optimo ſcriptore noſtro, neſcio quid barbari vel Thracici ſubadoratur. Sed is eſt, cui ne Tullius quidem ſatisfacere potuit, maleuolus et iniquus, literatorum cenſor pene omnium, vt ſolus ſapere videatur. PETRVS SCRIVERIVS *c*) *Poſſuntne*, inquit, *magis decoquere de iudicio, ac magis ludere de otio ſuo viri docti, qui exiſtimant, fabulatorem Phaedrum, a Cl. Pithaeo editum, et cuius Auienus quidem in praefatione fabularum ſuarum Aeſopiarum ad Theodoſium meminit, hunc eundem eſſe, de quo loquitur Martialis? Volunt nos credere ſcilicet, libertum illum Auguſti Caeſaris fuiſſe, ſtilo atque tempore parem proximumue Laberio vel Publio Mimo, et quidem, quantum coniiciunt, ſub Tiberio vixiſſe, atque adeo poſt Seianum damnatum. Nugae! certe, niſi vehementer fallor, aeuo illo dignus cenſeri minime poteſt ſcriptor iſte, cuicui tandem ille alapas et libertatem debeat.* etc. Sic quoque FRANC. VAVASSORI *d*) Iacobus Sirmondus narrauit, cum P. Pithoeus primum Phaedri Aeſopiarum fabularum libros V. Lutetiae edidiſſet, atque ſibi Romam pro veteri amicitia muneri miſiſſet; percuſſos illico Romanos nouitate voluminis, atque ſuſpicari coepiſſe, num quid partus iſte recens ac ſuppoſititius eſſet, qui tanto interuallo appareret, tamque delituiſſet diu. Veruntamen libro perlecto toto, neminem dubitaſſe, quin aetatem redoleret Auguſti, ac ſummam illam facilitatem ſtili et ſcripturae, et beatam copiam repraeſentaret.

§. XVII.

Poteſt optimo ſcriptori vna alteraue fabella, temporis ſuc-

c) Animaduerſ. ad Martial. lib. 3. epigr. 20.

d) De ludicra dictione pag. 205.

Digitized by Google

ſucceſſu, ab iniquiori manu eſſe ſuppoſita, vt iam tum GASP. BARTHIVS *e*) notauit: quae non conuenit cum illa ſatis demonſtrata Phaedri limata oratione, eaque Latinitate ingenua, quae, ſi non Octauiani Imperatoris, certe Tiberii aeuum haud difficulter prodit. Et vixit ille auctor, vt recte VAVASSOR *f*) monuit, cum laus bene loquendi temporum potius, quam hominum fuit; et ſeruiit apud Caeſarem, vbi domicilium et ſedem eruditio habuit: vt in eadem domo ſimul filiae et neptes, intimi et familiares, ſerui et liberti libere ac feliciter diſcerent literas. Fabula quadrageſima nona *g*) rem narrat ſuo tempore et ſub Auguſto geſtam, a quo tunc petiere iudices, vt adiuuaret iuris iurandi fidem. Alibi, vt ſupra ſatis oſtendimus, Seianum prodit de ſe non optime meritum. Vnde, ſi quid video, recte iudicant, eum ſcriptorem Octauiani Caeſaris Auguſti extremis temporibus extitiſſe, maxime vero floruiſſe imperante Tiberio, cuius quoque mores improbos, libidinem, ſumtus, auaritiam, rapinas, vulpinam vafritiem, cum leonina feritate et violentia coniunctam, quantum quidem ſubodorari licet, fabellis lepide perſtrinxit. Bathyllum vero pantomimum Cilnii Maecenatis libertum, ſaltantem vidit. *h*) Nec adeo mirum, eius apud SENECAM *i*) vbi de fabularum Aeſopicarum ſcriptoribus loquitur, nullam mentionem fieri: nam is ſolum de Romanis agit; Phaedrus autem ſe Thracem praedicat. Et ſi caput eiuſdem libri trigeſimum euoluimus, eum de Aeſopiis logis non verſu Latino, ſed Latina proſa digerendis et connectendis loqui haud difficulter videmus.

§. XVIII.

e) Aduerſ. l. 38. c. 21. *f*) L. c. *g*) Lib. 3. fab. 10.
h) Fab. 88. ſiue lib. 5. fab. 7.
i) Conſol. ad Polybium cap. 27.

Digitized by Google

§. XVIII.

Phaedrus, vtut elegantiſſimus linguae Latinae auctor, diu quaſi obliuione ſepultus *k*) iacuit, donec ſeculo tandem poſt Chriſtum natum decimo ſexto iam declinante in Galliis eum Petrus Pithaeus in lucem protraxerit *l*) typis vulgatum *Auguſto bonae Tricaſſium* 1596. 12. Prodiit quoque *Altdorfii* in Germania eodem anno Conradi Rittershuſii notis illuſtratus. Biennio poſt *Lugduni Batav.* 1598. 8. cum notis Rittershuſii, ſpicilegio Scioppii, Sympoſii aenigmatibus a Ioſepho Caſtalione illuſtratis, Babrii fabulis, et aliorum veterum poetarum Graecorum et Latinorum aenigmatibus. Rurſum *Pariſiis* 1599. 8. Rigaltii opera.

§. XIX.

Sequenti ſeculo editiones debemus elegantiſſimas, vt prodierunt *Pariſiis* 1617. 4. apud Rob. Stephanum, cum notis Nicolai Rigaltii; repetita 1630. 8. ex Cramoiſii officina 1629. forma minore, apud Sebaſt. Chapeletum. 1647. 12. cum Gallica verſione Albini proſaria. 1675. 4. in vſum Delphini, cum paraphraſi, notis et omnium verborum indice Petri Daneti. *Salmurii* 1657. 4. cum notis et animaduerſionibus Tanaquilli Fabri: adiectis P. Syri mimis. 1665. 12. addita verſione Gallica Albini cum animaduerſionibus. Quae Tanaquilli Fabri editio 1673. 1689. ſaepius recuſa eſt. *Tunbrigiae Kentii* 1668. accurante Chriſtophoro Waſe. *Londini* Petri Daneti editio in vſum Delphini. 8. *Antuerpiae* 1610. 8. cum notis Rittershuſii,

k) Praeter enim Martialem et Auienum ex veteribus nemo illius mentionem fecit.

l) Vid. Thuanus hiſt. l. 117. p. m. 772. Protraxit autem e fratris Franciſci Pithaei codice MSto, ſuamque editionem fratri inſcripſit.

Digitized by Google

terſhuſii, Scioppii ſpicilegio, Sympoſii aenigmatibus a Ioſepho Caſtalione illuſtratis, Babrii fabulis, et veterum Graecorum et Latinorum aenigmatibus: additis Ioh. Meurſii animaduerſionibus. *Amſtelodami* 1667. 8. accurante Ioh. Laurentio, cum notis variorum, verborum atque phraſium indice, additis iconibus in aes inciſis. 1698. 8. apud H. Wetſtenium, accurante Petro Burmanno, cum integris Marq. Gudii, Conr. Rittershuſii, Nic. Rigaltii, Nic. Heinſii, Ioh. Schefferi, Ioh. Lud. Praſchii commentariis et aliorum excerptis. 1699. 8. accurante Dauide Hoogſtratano. *Lugduni Batauorum* 1672. ex Tanaq. Fabri et hominis cuiuſdam literati recenſione, addita verſione, ſcholiis quoque additis et P. Syri ſententiis. *Franequerae* 1694. 8. cum Ioh. Schefferi et Franc. Guyeti notis, indice locupletiſſimo, et Belgica Ioh. Hilaridis metaphraſi. 1700. 12. cum P. Syri mimis, Tanaq. Fabri, Neueleti et Praſchii notis. *Hamburgi* 1663. 1666. et 1673. 1686. et 1693. 8. cum verſione Albini Gallica, Ioh. Schefferi et Franc. Guyeti notis et indice locupletiſſimo. 1671. 8. cum Nicolai Rigaltii et Petri Axenii notis. *Francofurti* 1660. 8. cum notis Iſaaci Neueleti, inter Graecas variorum fabulas. 1687. 8. cum Ioh. Schefferi annotationibus. 1696. 8. cum Hartnaccii Germanica expoſitione et imitationibus. *Argentorati* 1664. cum poſtumis Freinshemii notis, Henr. Holſtio Dano editore. *Ratisbonae* 1657. ex recenſione Ioh. Henrici Vrſini. *Heidelbergae* 1610. 8. apud Commelinum, cum Iſaaci Neueleti animaduerſionibus, inter Graecas variorum fabulas. *Gieſſae* 1660. 8. ex Ioh. Lud. Praſchii recenſione. *Duisburgi ad Rhenum* 1662. et 1688. 8. accurante Alex. Arn. Pagenſtechero, cum ſelectis Ioh. Freinshemii hiſtoriis. Accedit vita Phaedri, et hiſtoriarum ad explendam cen-

turiam ſylloge. *Ienae* 1685. 12. opera Ioh. Frid. Koeberi. *Rudolphſtadii* 1696. 8. cum notis Danielis Hartnaccii Pomerani hiſtoricis, ritualibus, moralibus, et philologicis. Accedit fabularum paraphraſis, quam iuſſu Chriſtianiſſimi Regis Petrus Danetus in vſum Delphini concinnauit. *Lubecae* 1622. 8. apud Samuelem Iauchium cum Neueleti notis. *Vpſaliae* 1663. 8. cum Ioh. Schefferi notis, atque Franciſci Guieti Andegauenſis caſtigationibus.

§. XX.

Noſtro denique ſeculo elegantiorum literarum amantiſſimo Phaedri fabulae prodierunt *Patauii* 1721. 12. cum Auieni fabulis et variorum notis. *Pariſiis* 1702. 8. accurante R. P. octo fabulis auctiores, cum verſione Gallica et animaduerſionibus, ordine conſtructionis in puerorum vſum per numeros ſingulis vocabulis impoſitos notato. 1702. 12. cum verſione Gallica. *Londini* 1701. et 1708. 8. cum notis variorum ſelectis et nouis Thomae Iohnſon. 1703. 8. cum P. Syri ſententiis locupletioribus et notis Samuelis Hondlii. 1713. 12. curante M. Maittaire. 1714. 8. adiuncta perpetua paraphraſi. 1726. 4. cum notis Richardi Bentleii. *Amſtelodami* 1701. 4. cum notis Dauidis Hoogſtratani, indice omnium verborum accuratiore, et tabulis aeneis, editio luculenta, in vſum Ioh. Guilielmi, Naſſouiae Principis adornata. 1703. 8. cum notis Ioh. Frid. Gronouii, edente Iac. Gronouio fil. qui et ſuas caſtigationes adiunxit, et collectanea Deſpontani, quibus velut indice quodam Phaedri dictio egregie illuſtratur. 1706. 12. cum notis Dauidis Hoogſtratani. 1711. 12. cum notis Niewenlandi. *Hagae Comitum* 1718. 8. repetita Petri Burmanni editio cum integris variorum et ſelectis commentariis, triginta quatuor fabulis, notisque Burmannianis auctior. 1725. 8. cum Tanaquilli Fabri notis

Digitized by Google

notis. *Lugduni Batau.* 1709. editae ſunt fabulae ex Phaedro, ſeruatis eius verbis, et ſoluta oratione expoſitae a Ioh. Friderico Nilant. 1727. 4. elegantiſſima Petri Burmanni editio, cum ſuis et variorum notis. Accedit critica anonymi epiſtola de Bentleii emendationibus Phaedri. *Traiecti ad Rhenum* 1712. 12. in vſum ſcholarum, tribus foliis nec integris abſoluta editio. 1718. 8. cum ſuis et variorum notis accurante Petro Burmanno. *Flensburgi* 1709. 8. cum notis Ioh. Chriſtophori Wolfii. *Hamburgi* 1706. 8. cum notis Ioh. Schefferi et Franc. Guyeti. 1707. 12. Gallica et Germanica proſa cum fabulis politicis Pilpaei et aliorum. *Lipſiae* 1700. 12. cum notis breuibus et perſpicuis Chriſtiani Iunckeri, ad modum Minellii. Accedunt Sympoſii et aliorum aenigmata. 1713. 12. cum emendationibus et commentariis ad modum Ioh. Minellii, accurante Ioh. Georgio Walchio, qui et diſſertationem de ſtilo Phaedri et praefationem de officio interpretis praemiſit. Acceſſerunt Sympoſii aenigmata, Gabriae fabulae, Antonini Liberalis metamorphoſes, Graece et Latine cum prioribus curis Abrahami Berkelii, et Senecae item P. Syri ſententiae. Rurſum 1724. 12. ad modum Minellii *Ienae* 1718. 12. ex Gotfridi Richteri recenſione. 1727. 12. cum Ioh. Dauidis Leonhardi commentariis. *Halae Magdeb.* 1715. 12. cum M. Gabrielis Schumanni notis Germanicis. *Marburgi Cattorum* 1721. 8. accurante Ioh. Caſparo Santorocco, cum ſuis et aliorum notis Germanicis, Petri Daneti interpretatione, hiſtoriis miſcellaneis, Ioh. Freinshemii indice, et aliis additionibus. *Auguſtae Vindelicorum* 1730. 8. cum Emanuelis Sinceri notis. *Tiguri* 1713. 8. cum Diſpontini, Gronouiorum, Koeberi, Hoogſtratani et aliorum notis ſelectis.

Digitized by Google

§. XXI.

AVLVS PERSIVS FLACCVS natus eſt pridie Nonas Decembris, Paulo Fabio Priſco et L. Vitellio coss. anno ab V. C. DCCLXXXVI. Olymp. CCIII. anno ſecundo, Tiberii viceſimo, *m*) Volaterris in Etruria, *n*) Patre Flacco, equite Romano, ſanguine et affinitate ordinis primi viris coniuncto: qui moriens noſtrum fere ſex annorum pupillum reliquit. Ad annum aetatis duodecimum Volaterris humanioribus literis operam dedit. Mox Romae Rhemnium Palaemonem, Grammaticum, et Virginium Flaccum, Rhetorem, audiuit. Natus annos XVI. Annaeo Cornuto, Philoſopho, qui Romae Stoicorum dogmata profeſſus, et ab Nerone poſtea in exilium pulſus eſt, *o*) ſe totum dedit ita, vt nuſquam ab eo diſcederet: ac ſingulari beneuolentia per omnes vitae dies ſibi coniunctum teneret: quod ipſe teſtatur: *p*)

Cum primum pauido cuſtos mihi purpura ceſſit,
Bullaque ſuccinctis Laribus donata pependit:
Me tibi ſuppoſui. Teneros tu ſuſcipis annos
Socratico Cornute ſinu. — —

Paulo ante: *q*)

— *Tibi nunc hortante Camoena*

Excu-

m) Vid. Perſii vita a vetuſto auctore conſcripta. Confer. HIERONYMVS Chron. olymp. 203.

n) De patria Perſii ſingularem differt. ſcripſit LVDOV. APROSIVS, lingua Italica, vt et MASSAE della vita, origine et patria di Aulo Perſio Flacco. Cl. GEORG NICOL. KRIEGK diſſertationem de A. Perſio Flacco, poeta ſatyrico. Ienae 1701. vid. etiam Lexicon vniuerſale hiſtoric. Baſil. tom. 3. pag. 856.

o) Vid. HIERON. l. c. De Cornuto eiusque ſcriptis vid. FABRICII biblioth. Graec. l. 3. c. 15. pag 358. ſeq.

p) Satyr. 5. v. 30. ſeqq. *q*) verſ. 21.

Excutienda damus praecordia: quantaque noſtrae
Pars tua ſit, Cornute, animae, tibi, dulcis amice,
Oſtendiſſe iuuat. — —

Rurſum: *r*)

Tecum etenim longos memini conſumere ſoles,
Et tecum primas epulis decerpere noctes.
Vnum opus, et requiem pariter diſponimus ambo,
Atque verecunda laxamus ſeria menſa.

Mox vt a ſchola et magiſtris diuerterat, lecto decimo Lucilii libro, vehementer ſatyras componere aggreſſus eſt, iſtum imitaturus, cum tanta recentium poetarum et oratorum inſectatione, vt Neronem ipſum culpare non vereretur. Exempli gratia ſcripſerat in eum:

Auriculas aſini Mida rex habet.

Quod ne Caeſar in ſe dictum putaret, a Cornuto retractatum fuit hoc modo:

Auriculas aſini quis non habet?

Sic ad ſatyrae ſcriptionem a Cornuto fuerat inſtitutus, a quo rerum Stoicarum non mediocrem cognitionem acceperat: ac euaſit perpetuus et conſtans vitiorum hoſtis, ſui ſemper ſimilis, et eo vſque tenax Stoicarum dogmatum, vt ne Zeno quidem ipſe aut Chryſippus illam porticum melius fulſuri fuiſſent. Neque, quod turpe doctori et morum cenſori grauiſſimo, ipſum culpa redarguit: cum opibus magnis innutritus et feliciſſime educatus, ab ineunte aetate, non magis de virtute loqui, quam ex virtute viuere didicerit. A prima adoleſcentia Caeſium Baſſum et Calpurnium Staturam, vel, vt CASAVBONVS legit, *s*) Suram, amicos habuit. Condiſcipulus apud Cornutum Annaeus Lucanus fuit; Apud eun-

r) Ibid. v. 41. ſeqq. *s*) In notis ad Perſii vitam.

eundem Cornutum Claudii Agaterni, medici Lacedaemonii, et Petronii Ariſtocratis Magnetis, agriter tunc temporis philoſophantium vſus conuictu, et ſtudium iſtorum ſedulo imitatus eſt. Vt patrem coluit Seruilium Nouianum; *t*) Senecam quoque aſt ſero cognouit. Ab anno decimo octauo ſumme dilectus eſt a Paeto Thraſea, vt aliquando peregrinaretur cum eo, Arriam eius cognatam vxorem habente. Fuit Arria haec Perſii cognata, illius Arriae, ex latere ſuo gladium porrigentis marito, filia virtutum maternarum aemula. Deceſſit in praediis ſuis, vitio ſtomachi VIII. Kalend. Decembris P. Mario et L. Aſinio Gallo coss. anno ab V. C. DCCCXIV. Olymp. CCX. anno ſecundo, Neronis octauo, *v*) viginti et octo annos natus. Supra dixi, noſtrum Volaterris fuiſſe natum, neque aliter potui, perſuaſus cum HIERONYMI, *x*) tum veteris, qui Perſii vitam deſcripſit, auctoris fide. Secus aliis videtur, qui Perſium ipſum putant *y*) ſuam patriam indicare Ligurem e Tigulia prope portum Lunae: *z*)

— Mihi nunc Ligus ora
Intepet, hibernatque meum mare, qua latus ingens
Dant ſcopuli, et multa littus ſe valle receptat.
Lunai portum eſt operae cognoſcere ciues.

Nihil vero minus quam patriam innuit. Vbi tunc verſatus, deſcribit. Alias Romae vixit: *nunc* vero inquit *mihi*, et quae ſequuntur: cum aliquando ſeceſſiſſet in Ligu-

t) Al. perperam *Numanum* legitur in Perſii vita.

v) Vid. Perſii vita a vetuſto auctore conſcripta. Confer. HIERONYMVS in Chron. *x*) In Chron. Euſebian.

y) Vid. CASPARI MASSAE et LVDOVICI APROSII diſſertationes Italico idiomate ſcriptas de patria Perſii. Confer. FABRICII bibliotheca Latina l. 2. c. 12. pag. 393.

z) Satyr. 6. v. 6. ſeqq.

Digitized by Google

Liguriae fines, propter matrem ſuam Fuluiam Siſenniam, quae poſt obitum prioris mariti, Perſii patris Liguri, aut Lunenſi cuidam nupſerat. *a*) Perſii, neſcio an huius ſatyrici noſtri, effigies in marmore apud FVLV. VRSINVM *b*) et GRONOVIVM *c*) reperitur.

§. XXII.

Mores in eo laudantur leniſſimi, verecundia virginalis, egregia forma, erga matrem, ſororem et amitam pietas, prudentia et pudicitia. Sunt, qui exiſtimarunt, ſatyrarum prologo poetam de ſemet ipſo loqui, et cauſſam afferre, cur ad faciendos verſus animum appulerit: egeſtate ſcilicet fuiſſe coactum et fame. Sed falluntur, ac interpretatio eorum iam pridem exploſa fuit. Nihil minus cogitandum de viro iſto natalibus, eruditione et opibus conſpicuo, imo diſciplinae ſeueriſſimae alumno: qui profecto morum non ſuſcepturus fuiſſet cenſuram, ac genus ſcribendi ſeuerum; ſi paupertate adactus mercedulae ac miſerae ſtipis deſiderio ſuum opus inſtituiſſet. Non ſibi haec, ſed malis et eſurientibus poetis ab acerrimo ſatyrico ſcripta fuerunt. Diuitem fuiſſe, vel inde patet, quod matri et ſorori H. S. vicies *d*) reliquerit: ſcriptis tantum ad matrem codicillis, vt daret Cornuto, praeceptori ſuo, ſeſtertia, vt quidam dicunt, centum, *e*) vt alii volunt, argenti facti pondo viginti, et libros circa ſeptin-

a) Confer. Vetus Scholiaſtes ad h. l. *b*) Elog. p. 46.

c) In theſauro antiq. Graec. tom. 3. a a a a.

d) Seſtertium vicies aeſtimatione BVDAEI efficiunt aureorum ſolatorum quinquaginta millia; aeſtimatione aliorum circiter XLV. millia. Vid. CASAVBONVS notis ad Perſii vitam.

e) Centum H. S. ſecundum BVDAEI aeſtimationem ſunt aurei Francici bis mille quingenti: aliis bis mille tantum. Vid. CASAVBONVS l. c.

ſeptingentos, ſiue bibliothecam ſuam omnem. Cornutus vero ſublatis libris, pecuniam ſororibus, quas frater heredes fecerat, reliquit.

§. XXIII.

Excellentis Perſius ingenii fuit, ac ſi quid fingeret Cornuti adhuc diſcipulus, id ipſum cuique probauit. Certe Lucanus ſcripta Perſii adeo mirabatur, vt, illo recitante, vix ſe retineret a clamore, quin illa eſſe vera poemata diceret. *f*) Et ab aliis ſcriptorum cenſoribus acerrimis, licet pauciſſima ſcripſerit, propter ſummum ingenium artemque in ſuo genere non vulgarem, diuinis euehitur laudibus. Ita FABIVS: *g*) *multum et verae gloriae, quamuis vno libro, Perſius meruit.* Et MARTIALIS: *h*)

Saepius in libro memoratur Perſius vno,
Quam leuis in tota Marſus Amazonide.

Sic minime gentium immatura morte ſepultos poetae manes ſperata ſatyricae virtutis gloria fefellit: cuius poema tantum laudis ac verae commendationis meruit, vt omnium verſaretur manibus, ac etiamnum ad voluptatem et ingens orbis literati gaudium ſuperſit.

§. XXIV.

Scripſit raro et tarde. In pueritia dedit praetextam, et ὁδοιπορικῶν librum vnum, et verſus paucos in ſocrum Thraſeae, Arriae matrem, quae ſe ante virum occiderat. Notiſſima eſt hiſtoria de Arria, Paeti Caecinae coniuge, quae mater fuit Arriae, Thraſeae Paeti vxoris, atque ipſius Thraſeae ſocrus. Scilicet illi Paeto Caecinae, qui in partibus Scribonianis contra Claudium Caeſarem fuiſſet, ad mortem adacto, Arria coniux fortis et infracti animi,

f) Vid. Perſii vita a vetuſto auctore conſcripta.

g) Inſtit. orat. lib. 10. c. 1. *h*) Lib. 4. epigr. 29.

animi, cum eſſet maritum ſecuta Romam, atque in conſpecta eius ſemet ipſam confodiſſet, extractum e ſuo vulnere pagionem porrexit inquiens: *non dolet. i)* Vnde MARTIALIS: *k)*

Caſta ſuo gladium cum traderet Arria Paeto,
Quem de viſceribus traxerat ipſa ſuis:
Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit;
Sed quod tu facies, hoc mihi, Paete, dolet.

Vt teſtaretur, eum ſibi vita ſua chariorem fuiſſe. Ad ſcriptos Perſii verſus quod attinet, Cornutus, vel propter Neronis inuidiam, ipſius matri fuit auctor, vt ſimul omnes aboleret. Hodie tantum exſtat eius *ſex ſatyrarum libellus,* quem iam tum recitauerat Cornuto, et Caeſio Baſſo petenti tradiderat edendum: editum homines continuo mirari ac diripere coeperunt. Antiquus auctor eius vitae tradidit, hunc librum imperfectum reliquiſſe, in eiusque vltimo verſus aliquot demtos eſſe. Hoc vero ita accipiendum non eſt, quaſi aliquid ſextae ſatyrae deeſſet: quae haud dubie integra eſt, neque concinniori modo claudi poterat. Si quid demtum eſt, ſine dubio principium fuit nouae ſatyrae: quarum ſine numero alias conſcribere potuiſſet. Recte Perſii libellus hodie in ſex diſtinguitur ſatyras: quamuis alia diſtinctio in membranis antiquiſſimis inueniatur. In multis codicibus quinque tantum ſatyrae numerantur, et tertiae adiungitur quarta. In aliis exemplis continuus eſt vnus liber, nulla facta ſatyrarum diſtinctione. Vnde etiam Priſcianus et veteres grammatici, quoties Perſii mentionem faciunt, non ſatyras, ſed libros

i) Vid. TACITVS annal. l. 16. PLINIVS l. 7. epiſt. 18. et l. 8. epiſt. 22. *k)* Lib. 1. epigr. 14.

libros numerant. *l*) Breui *prologo* ineptos ac eſurientes poetas notat. *Satyra prima* in nobilibus et ipſo Nerone ambitioſam carminum conſcribendorum vanitatem reprehendit: quod in iſtis, atque forenſibus cauſſis, ad oſtentationem et voluptatem, neque veri, neque honeſti habita ratione, rhythmicos numeros, archaiſmos et figurarum pigmenta affectent. Ita perſibilata cum auditorum, tum recitantium mollitie, oſtendit, quales ſua ſcripta lectores requirant. *Secunda m*) Macrino ſapientiam gratulatur, eumque hortatur, vt, quoniam dies natalis eſſet, indulgeat ingenio et ſacra faciat ſecus atque Romani, qui ſtulta, impia et inutilia vota conferant. Deos cupiditatis ſuae modulo non eſſe metiendos; illos non munera, ſed mentem, non plenas, ſed puras reſpicere manus, et corrumpi nullo modo poſſe. *Tertia* increpationem deſidiae continet. Nam vt Stoicus philoſophus iuuenes monet, ne indulgentes mollitiei aut inertiae, natalibus freti et patrimoniis, ſapientiae ſtudia negligant: philoſophiam enim mederi vitiorum morbis, docere virtutem et officia honeſta, tandemque animum bene conſcium ac vitae felicitatem largiri. *Quarta* Socratis, Alcibiadem obiurgantis perſonam ſuſtinens increpat Neronem, quod nobilitatis ſuae tantum inflatus, et aſſentatione populi remp. aggreſſus ſit, cuius adminiſtrationi non ſufficeret: cum neque prudentia ciuili, neque etiam

l) P. PITHOEVS teſtatur in antiquo MS. ſingulas paginas hanc inſcriptionem habuiſſe: *Thebaidorum Perſii Satyra*, et in extremo: *explicit Perſii Thebaidorum Satyra feliciter.* Confer. FABRICII Biblioth Lat. l. 2. c. 12. pag. 394.

m) Inſcribitur: *ad Plotium Macrinum de bona mente.* Et videtur eſſe deſumta ex Platonis Alcibiade, vbi ſcelerata et impia hominum vota damnat.

etiam aliqua morali ſcientia inſtructus eſſe videretur. *Quinta n)* Cornuto, praeceptori ſuo, gratum teſtatur animum, ſimul exponens, quae ſit vera libertas, ſecundum Stoicorum paradoxon: ſolum ſapientem liberum eſſe. *Sexta o)* et vltima occaſionem captans a diſſimilitudine ſtudiorum Perſii et Baſſi poetarum ac imperitae multitudinis Romanae, inuehitur in Romanorum incredibilem auaritiam, qui ſordide viuant, vt heredibus relinquerent, quae nequiter poſt obitum eorum profundere poſſint.

§. XXV.

Imitatus eſt Lucilium atque Horatium: ita quidem, vt ſecus quam illi fecerunt, philoſophorum more ab theſi primum ſibi propoſita vix digrederetur, abiret certe nunquam: ac nihil aliud faceret, ſatyram ſcribendo, quam hauſtos e philoſophia locos carminis legibus includeret. Sic primus omnium huius generis ſatyram Romanam auxit atque emendauit. Perſii conſilium probauit Iuuenalis: qui pari modo, non per ſaturam, vt aiunt, argumenta varia eadem carmine complectitur: ſed Perſiano more, vt plurimum varia illuſtratione, quod caput rei eſt, vnice vna ſatyra pertractat. In ſalibus vero, quod in ipſa adoleſcentia grauis ac totus ad ſeueritatem factus videtur, longe ab Horatio ſuperatur et Iuuenale: vt ſi qua ſunt in eius libro frigidiuſcula dicta, ſi qua minus congrua, ipſum in ea putandum ſit incidiſſe, dum iocos quaeſiuerit ac voluerit ridere, quod per rerum naturam ſuique temperamenti rationem nequaquam licebat. Nihilominus in Perſio maximos deprehendes ſpiritus, maxi-

 mum

n) *Ad Cornutum magiſtrum equitum* falſo et in Schreueliana editione inſcribitur, pro *ad magiſtrum Annaeum Cornutum.*

o) *Ad Caeſium Baſſum.*

Digitized by Google

mum ardorem eamque vim et acrimoniam, ſine qua omnis oratio ſua caret anima. Tanta quidem eius libertas fuit, vt ne mortis quidem metu potuerit adduci, vt Neroni parceret; morum tamen leniſſimorum fuiſſe, in eius vita legimus: ſed acrem faciebat eius animo impreſſum, nixumque altis radicibus vitiorum odium. Hinc *Seueri* appellationem tulit, vt Lucilius a Iuuenale dictus eſt *ardens*, Catullus ab Ouidio *doctus*, Horatius a Perſio *vafer*, Lucretius *difficilis* a Lucano dicitur. *p*)

§. XXVI.

Stilus in Perſio grandis eſt; numerorum concinnitas maxima, et elegans iuncturae ſtudium: quamuis non ſine iudicio rebus ipſis ſeruiat, eamque in omni oratione gratam inſtituat varietatem. Nihil verſibus eius numeroſius; nihil abſque mollitie concinnius; ſua ſponte fluunt omnes apti, omnes ſonori, quidam vero etiam magnifici, vt ad maieſtatem carminis Virgiliani adſpirare videantur, cum aetatis ſuae multis aliis de palma contendant. Nec ego mea facere vellem iudicia virorum doctiſſimorum I. C. SCALIGERI: *q*) *Perſii ſtilus moroſus, et ille ineptus, qui, quum legi vellet, quae ſcripſiſſet, intelligi noluit, quae legerentur.* MORHOFII: *r*) *A. Perſius Flaccus, Satyricus ſaepe plus quam ferreus, imo ſaxeus. Nam ſatyrica eius dictio ſupra modum horrida eſt, et Iuuenali, aetate licet inferiori, poſtponenda.* Et celeberrimi WALCHII: *s*) *Stilus Perſii*

p) Confer. BAELII lexicon in Perſio. quem, propter ſingularem carminum obſcuritatem, Latinorum Lycophronem appellare non dubitat. *q*) De arte poetic. pag. 838. Confer. CASAVBONVS proleg. in Perſium.

r) Polyhiſt. liter. l. 4. c. 12. §. 13. Minus praeclare de Perſio quoque ſentit VAVASSOR de ludicra dictione p. 239. ſeq.

s) Hiſt. critic. L. L. cap. 1. pag. 56.

Perſii remotus eſt a natiua et ſuaui caſtitate atque elegantia, cuius nomine monimenta eius haud debent commendari.

§. XXVII.

At obſcurus eſt, et meo quidem iudicio, claſſicorum auctorum omnium obſcuriſſimus: quicquid doctiſſimus ISAACVS CASAVBONVS *t*) in ſententiam contrariam demonſtret. Quamuis enim verſus quidam ſint adeo clari, vt a mediocriter doctis legi poſſint: Res tamen ipſa loquitur, et rerum circumſtantiae omnibus ignotae, et tecta fictaque perſonarum nomina, et actiones, quas ſaepe tantum nutu et ſignificatione perſibilat, abunde docent, pleraque intellectu eſſe difficilia; et non pauca nunquam ſatis intellecta fore. Ecquis negabit, ſatyras omnes requirere ingenium lectoris quoque non vulgare? Sed Perſii libellus inprimis obſcurus attentiſſimum et πολυμαθέστατον lectorem poſtulat: et illa tamen, quae ſtudio voluit eſſe abdita et ambigue dicta, poſt tot virorum doctiſſimorum curas, inacceſſa manebunt. Scribere ipſi aliter non licuit in cauſſa crudeliſſimi tyranni, *v*) cuius metu pleraque ὡς ἐν αἰνίγμασι tradidit: ac dubio procul ſapientiſſimus praeceptor Cornutus ſcribenti affuit, qui vetus verbum

 illi

t) Prolegom. in Perſium.

v) Hinc recte iudicat OLAVS BORRICHIVS diſſert. de poetis p. 59. 60. *A. P. T. Volaterranus eques, oppido iuuenis ſcribendae ſatyrae ſeſe impendit, Nerone principe, neque id infeliciter, felicius ſi inſtitutum, quod magno animo aggreditur, mordaci ſale perfricans aeui ſui vitia, paulo clariori dictione fuiſſet proſecutus. Nunc apud eos, qui minutiis Grammaticorum et antiquitatis innutriti non ſunt, obſcuritate nimia acumen ſaepe perdit Quid quod in tumorem nonnunquam attollatur, ſatyrae vtique non conuenientem. Obſcuritatem fortaſſis excuſauerint tempora, quae attingi vlcera ſua non patiebantur, niſi tectius.*

illi crebro inſuſurrauerit, σκότισον. Hinc ipſe Anglorum ſubtiliſſimus poeta: *x*)

Scripta tenebroſi lego, non intelligo, Perſi:
Lectores nimium negligit ille ſuos.

Et BARLAEVS:

Martia ſub crudo tremeret cum Roma Nerone,
Incoepit crudo Perſius ore loqui.

Facile patet, non pueris ſatyras a Perſio fuiſſe conſcriptas, quae non niſi literis Latinis doctiſſimo cuique commendari merentur. Si quis vitio aliquo laborat oculorum, ſole meridiano coecutire poteſt, ſalua lucis virtute. Multa non intelligo, quod inbecillitatis eſt meae vel ignorantiae: et laudare non poſſum Hieronymi factum, qui, quod aiunt, *y*) non capiens Perſii tenebras, *intellecturis ignibus dedit*, abiectoque libro, *ſi non vis intelligi*, inquit, *non debes legi.* Recte iudicat GYRALDVS, quamuis liber ſit obſcuritate et reconditis ſenſibus plerumque refertus, eum nihilominus bonis auctoribus annumerandum eſſe. Et G. I. VOSSIVS, *z*) ignoſcendum Perſio ſatyrico, quod et crebris et audatioribus vtatur translationibus. Nam vt animus, ita dictio nobiliſſimi iuuenis, grandia tantum ſpirabat.

§. XXVIII.

Vtut Perſius lectu intellectuque difficilis eſſe plurimis videatur: veteres tamen atque recentiores aliquot commentatores adeo illum illuſtrarunt, vt, ipſo teſte MORHOFIO, *a*) vix quicquam amplius deſiderari iure queat. Exſtat in eum *vetus ſcholiaſtes*, de cuius nomine non idem aucto-

x) OWENVS l. 2. epigr. 158.
y) Vid. FABRICII biblioth. Latin. l. 2. c. 12. pag. 394.
z) Inſtit. orat. l. 6. p. 454.
a) Polyhiſt. liter. l. 4. c. 12. §. 13.

auctores ſentiunt. Neque *Cornutum*, Perſii magiſtrum, *b*) cuius nomen aliquot codices antiqui prae ſe ferunt, neque *Probum* Grammaticum *c*) fuiſſe, omnibus facile conſtat. H. ERNSTIVS *d*) fide codicis antiqui Mediolanenſis iſta ſcholia *Helenio Acroni* tribuit. Et eum fuiſſe auctorem, neque VINCENT. PLACCIO, *e*) neque MORHOFIO *f*) improbabile videtur. IOH. RHODIVS quoque *g*) haec ſcholia adſcribit Acroni. Sed inter omnes optime iudicat celeberr. FABRICIVS, *h*) non eſſe vnius auctoris, nedum Cornuti, Probi, aut Acronis, ſed ex diuerſae aetatis et eruditionis interpretum notis fuiſſe conflata. Edidit haec ſcholia Robertus Stephanus 1549. 8. Locupletiora deinde Elias Vinetus *Pictauis* 1563. Optime vero ex veteri codice cum ſuis notis Petrus Pithoeus *Pariſiis* 1584. 1590. 8. Heidelbergae 1610. 8. Iſaacus Caſaubonus, cuius eruditiſſimus ac plane diuinus *i*) in Perſium commentarius tum prodiit ſimul *Pariſiis* 1605. et 1615. 8. Illius optima editio eſt, quae *Londini* ab eius filio Merico Caſaubono 1647. 8. procurata eſt. Perſii editiones ab ouo repetamus: ſimul atque Iuuenalis poetae ſatyrici, de quo inferius paulo agemus pluribus editiones pleraſque commemorare poterimus: cum Iuuenali enim vulgo Perſius con-

b) BARTHIVS ad Claudian. p. 129. Perſii ſcholiaſten putat eſſe Cornutum, qui a Gellio, Chariſio, et Seruio allegatur, ſed valde ex ſequiorum temporum vſu atque captu interpolatum.

c) IANVS PARRHASIVS Epiſt. p. 15. ait ſe genuinos Probi commentarios in primam Perſii ſatyram manu exaratos legiſſe longe maiori cura et ingenio compoſitos.

d) Obſeru. l. 1. c. 7. *e*) Catalog. Pſeudonymorum p. 179.

f) L. c. pag. 887. *g*) Ad Scribonium Largum p. 133.

h) Biblioth. Latin. l. 2. c. 12. p. 394. *i*) Quem IOS. SCALIGER in epiſtolis vocat, et non ſatis extollere poteſt.

Digitized by Google

coniungi ſolet, imo, quamuis hic maior aetate, illi appendicis loco ſubiici.

§. XXIX.

A. Perſii ſatyrae typis vulgatae ſunt primum vna cum Iuuenali *Louanii* 1475. fol. per Ioh. de Weſtphalio, arte quadam characteri ſandi moderniſſima. *Mediolani* 1476. fol. per Anton. Zarottum. *Dauentriae* 1482. fol. *Venetiis* 1482. et 1494. fol. per Bapt. de Tortis cum Ioh. Britannici et Barthol. Fontii comment. accedit vita Perſii. 1482. 1484. et 1495. fol. per Renaldum de Nouiomagio Theutonicum, cum iiſdem commentariis. 1492. fol. apud Petrum Iohannem de Quarengis, cum iiſdem commentariis. Iuuenalis vero cum Georgii Vallae et Domitii Calderini commentario prodiit. *Brixiae* 1486. fol. typis Iacobi Britannici Brixiani cum notis Ioh. Britannici.

§. XXX.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto lucem publicam viderunt ſatyrae Perſii *Lucronii* in Hiſpania 1529. 8. cum notis Aelii Antonii Nebriſſenſis. *Salmanticae* 1599. 8. cum paraphraſi et ſcholiis Franciſci Sanctii. *Venetiis* 1501. et 1535. 8. cum Iuuenali apud Aldum. 1520. et 1544. fol. cum interpretatione Ioh. Baptiſtae Plautii, Cornutique philoſophi eius praeceptoris, nec non Iohannis Britannici Brixiani, ac Barthol. Fontii, virorum eruditiſſimorum: cum ſuis figuris et vtiliſſimis apoſtillis, inſuper alphabetica tabula, nuper appoſita, quae omnia ſcitu digna mirifice complectitur. 1530. 12. et 1535. 8. cum Iuuenali apud Bernardinum Stagninum. 1597. 4. cum Feder. Ceruti paraphraſi. *Florentiae* 1513. apud Giuntam. *Brixiae* 150?. fol. cum Ioh. Britannici Brixiani commentario. *Mediolani* 1514. fol. cum annotationibus Ioh. Britannici, Ang. Politiani, Phil. Beroaldi et Bapt. Egnatii. *Auguſtae*

Tauri-

Taurinorum 1599. 4. cum Federici Cerati Veronenſis paraphraſi. *Pariſiis* 1519. et 1523. fol. apud Iodocum Badium Aſcenſium cum notis Badii, Ioh. Baptiſtae Plautii, Ioh. Britannici, Aelii Antonii Nebriſſenſis, Ioh. Murmelii et Ioh. Scoppae. 1527. 8. apud Robertum Stephanum cum notis Aelii Antonii Nebriſſenſis. 1535. 8. apud Sim. Colinaeum 1531. et 1538. 4. cum ſcholiis Ioh. Murmelii et Herm. Buſchii. 1544. 8. apud Rob. Stephanum. 1549. 8. cum antiquis ſcholiis apud Rob. Stephanum. 1553. 8. apud Chriſtianum Wechel. 1555. 4. cum Antonii Foquelini comment. 1584. et 1590. 8. cum Petri Pithoei notis et veterum ſcholiis. 1600. 8. cum Theod. Marcilii notis. *Lugduni* 1528. 8. apud Sim. Colineum. 1534. 8. apud Gryph. 1551. 4. cum familiari Ioh. Britannici explanatione. *Baſileae* 1551. fol. apud Froben. cum notis Badii, Britannici, Murmelii et aliorum. 1580. 4. cum Phil. Engelberti notis. 1582. 4. cum Nicod. Friſchlini paraphraſi, Valentini Volſci, Engentini et Foquelini comment. *Pictauis* 1563. 4. cum ſcholiis antiquis et Eliae Vineti commentario. *Antuerpiae* 1565. 8. et 1566. 12. cum Iuuenali et notis Theod. Pulmanni. *Amſtelodami* 1595. 8. cum paraphraſi et notis Eilhardi Lubini. *Francofurti* 1596. 4. cum Nicod. Friſchlini paraphraſi. *Lipſiae* 1507. fol. ſine notis. *Argentorati* 1518. 4. *Coloniae* Perſius ſeparatim prodiit 1538. 8. apud Ioh. Gymnicum. cum luculentiſſima ecphraſi et ſcholiis Iohannis Murmellii; quibus acceſſerunt Eraſmi Roterodami annotationes, et epiſtola Hermanni Buſchii ad intelligentiam Perſii multum conducens. Iuuenalis vero apud eundem 1541. 8. cum annotatiunculis, margini affixis, et ſatyrae ampliſſima elucidatione.

§. XXXI.

Decimo ſeptimo poſt Chriſtum natum ſeculo Perſius

P cum

cum Iuuenali prodiit *Auguſtae Taurinorum* 1603. 4. cum Federici Ceruti Veronenſis paraphraſi. *Parmae* 1621. 4. Aſterii Manlii in primam et ſecundam Perſii ſatiram commentarii et notae. *Pariſiis* 1601. 4. apud Claudium Morellum cum Vineti, Petri Pithoei, Theod. Marcilii et Ioh. Tornupaei notis. 1602. 4. apud Morellum, cum Britannici et Carionis commentariis, ac ſcholiaſte veteri. 1607. 8. cum notis Bernh. Autumni et Steph. Claueri. 1613. 4. paulo ante notata Morelli editio. 1614. 4. cum Grangaei, Autumni, et Calderini comment. 1616. 12. ex recenſione Nic. Rigaltii. 1644. 8. cum notis poſtumis Ioh. Bond. 1684. 4. in vſum Delphini, accurante Lud. Prateo. 1689. 12. cum proſa verſione Gallica Tarteroni, poetarum textui Latino e regione poſita. *Lugduni* 1603. 12. apud Anton. Gryphium, cum annotationibus Theod. Palmanni in Perſium et Iuuenalem, Eilhardi Lubini vero in Perſium ampliſſimo commentario. *Londini* 1612. 8. cum notis Thomae Farnabii, 1614. 8. cum notis poſtumis Iohannis Bond. 1633. 8. cum notis Farnabii. 1691. et 1699. 8. ex editione Lud. Pratei in vſum Delphini. *Hagae Comitum* 1683. 12. cum notis Farnabii. *Vltraiecti* 1685. 4. praeſtantiſſima editio, cum integris variorum notis *k*) accurante Henrico Chriſtiano Henninio, Duisburgenſi Profeſſore. *Amſtelodami* 1634. 12. cum notis Farnabii. 1645. 12. cum notis poſtumis Bon-

k) In Corn. Schreuelium alioſque notarum ex variis auctoribus compilatores Henninius inuehitur, eruditorum querelas eſſe multas innuens, *quibus diſplicent, qui, neſcio quibus agitati Bacchicis furoribus, quoſuis doctorum labores in pannuceos centunculos, ſine nomine, ſine indicio, ſine miſeratione, dilacerant, et dein miſerabiles ſuas quiſquilias inuidendo et ſplendido variorum titulo oſtentant.*

Bondii. 1648. 12. cum notis Farnabii. 1664. 12. cum paraphraſi et commentario Dau. Wedderburni Scoti Abredonenſis. 1684. 8. cum notis variorum, Perſii ſcholiaſte veteri, et omnium vocabulorum indice. 1695. 12. cum proſa verſione Gallica Tarteroni, poetarum textui Latino e regione poſita. *Lugduni Batauorum* 1648. et 1671. 8. cum notis variorum. 1690. 12. cum notis Farnabii. 1697. 4. cum integris veterum et recentiorum ſcholiis, accurante Henninio. *Geneuae* 1612. forma minore, cum Ioſephi Langii omnium vocabulorum indice. *Rothomagi* 1697. 12. cum interpretatione ac notis Ioſephi Iuuencii e Soc. Ieſu. Paſſim loca omiſit obſcoena. *l*) *Friburgi* 1608. 4. cum Ioſephi Langii omnium vocabulorum indice. *Coloniae* 1610. 8. editio partibus obſcoenis caſtrata. *Hanouiae.* 1603. 4. cum ampliſſimo Eilh. Lubini commentario. 1607. et 1619. 8. cum notis et paraphraſi Eilhardi Lubini. *Francofurti* 1623. 8. cum notis Thomae Farnabii. *Norimbergae* 1625. 8. cum notis poſtumis Iohannis Bond.

§. XXXII.

Noſtra aetate cum Iuuenali Perſius prodiit *Roterodami* 1702. 12. cum notis Thomae Farnabii. *Patauii* 1711. 4. Rhodiginus Iuuenalis et Perſii ſatiras, Etruſco carmine expreſſas, notis ac diſſertationibus varias antiquitates commonſtrantibus illuſtrauit. *Pariſiis* 1706. 12. cum luculenta Tarteroni paraphraſi. 1715. cum notis ac perpetua interpretatione Ioſephi Iuuencii S. I. editio auctior, cui noua de Diis et heroibus poeticis appendix

l) *Qui commentarios*, inquit, *et notas in Iuuenalem ediderunt, alii, quia breuiores, ideo obſcuri, alii, quia prolixiores, obtundunt potius, quam iuuant; alii denique foedos quoſdam locos illuſtrare contendunt, quos obſcurare ac premere debuerant. Haec tria fugere diligenter ſtuduimus.*

acceſſit. *Londini* 1708. 8. ex editione Lud. Pratei, in vſum Delphini. 1715. et 1716. 12. ex recenſione Michaelis Maittaire, cum variis lectionibus editionum quarundam antiquiorum, quae annum ſeſquimilleſimum anteceſſerunt. 1716. 8. apud Tonſon.

§. XXXIII.

M. ANNAEVS LVCANVS *m*) Cordubenſis Hiſpanus natione, *n*) in lucem editus III. Non. Nouembris anno ab v. c. DCCXC. C. Caeſare Caligula II. et L. Caeſonio coss. Caeſaris Caligulae Imperatoris anno ſecundo, patrem habuit M. Annaeum Melam, equitem Romanum, Senecae Rhetoris filium, Senecae Philoſophi fratrem; *o*) matrem vero habuit eiuſdem ciuitatis Aciliam, filiam Acilii Lucani, apud proconſules oratoris clariſſimi, cuius cognomen, vel propter celebritatem, ipſi inditum fuit. Ex Baetica prouincia, *p*) octauo aetatis Menſe Romam traiectus puer boni ingenii educatur ac optimis literis inſtituitur adeo, vt eminentiſſimos, quibus vtebatur, praeceptores *q*) breui temporis ſpatio ipſos ingenio, commilitones profectibus longe ſuperaret. Inter omnes condiſcipulos Saleium Baſſum et A. Perſium ſingulari beneuo-

m) Vid. omnino Lucani vita, quam vulgo adſcribunt Tranquillo. PETR. CRINITVS de poetis Latinis lib. 3. IOH. SVLPITIVS et POMPONIVS INFORTVNATVS de vita Lucani.

n) MARTIALIS l. 1. epigr. 62.

Duosque Senecas, vnicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.

o) Hinc *magno memorabilis ortu.* apud MARTIALEM lib. 7. epigr. 21. confer. TACITVS annal. l. 16. c. 17.

p) Quae inde celebratur STATIO ſiluar. l. 2. extr. et MARTIALI l. 7. epigr. 21. *q*) Rhemnium Palaemonem, qui principem inter Grammaticos locum tenuit, atque Flauium Virginium Rhetorem illis temporibus nobiliſſimum.

Digitized by Google

neuolentia dilexit ac officiis proſecutus eſt mutuis. Suapte vero diligentia et ingenii facilitate mox ea ſtudiorum documenta dedit, vt Graece ac Latine frequentius declamaret, non ſine audientium ſumma admiratione. Ab ineunte aetate, vel propter neceſſitudinis, quod cum Seneca ipſi fuit, arctiſſimum vinculum, apud Caeſarem Neronem Auguſtum gratia multum valuit ac beneuolentia: vtut ipſa eius indoles ad promerendos conciliandosque ſibi hominum animos per ſe ſatis efficax fuiſſet. Adhuc valde iuuenis, neque per aetatem tanto honore dignus iudicatus, quaeſturam geſſit, ac breui poſt, compoſitis de laudibus Neronis verſibus, in Augurum quoque collegium aſcitus eſt. Inter poetas omnes ditiſſimus etiam ſua fama facile contentus literarium amabat ſeceſſum, vt in hortis ſine inuidia et multorum ſtrepitu valde familiariter Muſis manſuetioribus vteretur. Vnde IVVENALIS: *r*)

Contentus fama iaceat Lucanus in hortis
Marmoreis. — — —

Sed tamen conſtans non potuit eſſe illius fortuna, eademque gratia apud principem, qui iniquiſſimo aliorum laudes ferebat animo, quique in repellendis opprimendisque virtutibus erat acerrimus atque ſaeuus. Inter omnes Caeſaris amicos excellebat diuina poeſi: quam inuidia et maximum iſtius odium ſequebatur. Quinquennali poetarum certamine ab Nerone inſtituto, *s*) recitante quoque Nerone, in Pompeii theatro laureis coronatur ac ingenii foetum extemporali opera edit Orphea, aliaque carmina, quae Caeſarem praeſtantia ſua offendunt, ambitioſius ſibi principatum non modo hominum, ſed et artium vindicantem. Hinc interdictum eſt ei poetica, ſimul

 atque

r) Satyr. 7. v. 79. *s*) SVETON. Ner. c. 12. confer. STATIVS ſylu. l. 2, extr. Lucani genethliaco.

Digitized by Google

atque cauſſarum actionibus. Quaerit inde vindictam animi aeſtuans iuuenili ardore, et ſocius a coniuratis in caedem Neronis aſſumitur. *t*) Infauſto ſucceſſu. Facto enim de Piſone indicio, coniuratorum alter alterum prodit. Lucanus, Quinctianus atque Senecio diu abnuere: ſed promiſſa impunitate corrupti, quo tarditatem excuſarent, Lucanus Atillam matrem ſuam, Quinctianus Glicium Gallum, Senecio Annium Pollionem, amicorum praecipuos nominauere. *v*) Neque omiſerunt paſſim conſcios edere, pauido magis magisque Nerone, quanquam ſe multiplicatis excubiis ſepſiſſet. *x*) Tandem Nero Lucani caedem imperat. Sua ergo ſponte vt vita excederet, ſibi venas praecidi curauit. *y*) Profluente ſanguine, vbi frigeſcere pedes manusque, et paulatim ab extremis cedere ſpiritum, feruido adhuc et compote mentis pectore intelligit, recordatus carmen a ſe compoſitum, quo vulneratum militem per eiuſmodi mortis imaginem obiiſſe tradiderat. Verſus ergo ipſos retulit: *z*)

Scinditur auulſus, nec ſicut vulnere ſanguis
Emicuit lentus; ruptis cadit vndique venis;
Diſcurſusque animae diuerſa in membra meantis
Interceptus aquis. — — Vel

---

t) TACITVS annal. l. 15. cap. 49.

v) TACITVS annal. l. 15. c. 56. *x*) Ibid. cap. 57.

y) HIERONYMVS in chronico Euſebiano num MMLXXX. anno X. Neronis. *M. Annaeus Lucanus Cordubenſis poeta in Piſoniana coniuratione deprehenſus, brachium ad ſecandas venas medico praebuit.*

z) LVCAN. de bello ciuili L. 3. v. 638. TACITVS annal. l. 15. c. 70. Lucano interfecto, dum Caeſar rem familiarem eius acriter requirit, accuſatorem conciuit Fabium Romanum, ex intimis Lucani amicis: Mixta inter patrem filiumque coniurationis ſcientia fingitur, aſſimilatis Lucani literis: quas inſpexit Nero, eius opibus inhians. TACITVS annal. l. 16. c. 17.

Vel hos, vt alii putant:

Sanguis erant lacrumae: quaecunque foramina nouit
Humor, ab iis largus manat cruor: ora redundant,
Et patulae nares: ſudor rubet: omnia plenis
Membra fluunt venis, totum eſt pro vulnere corpus.

Eaque illi ſuprema vox fuit, exſtincto prid. Kal. Maias anno ab v. c. DCCCXVII. Imperii Neronis vndecimo, Silio Nerua et Attico Veſtino coss. cum natus eſſet annos XXVII. Scripto genethliaco eius obitum STATIVS deplorat: *a*)

Sic et tu rabidi, nefas! tyranni
Iuſſus praecipitem ſubire Lethen,
Dum pugnas canis, arduaque voce
Das ſolatia grandibus ſepulchris.

Et te nobile carmen inſonantem
Pompei comitantur et Catones.

Inſcriptio vetus Romae in templo B. Petri in marmore iſtiuſmodi eſt:

M. ANNAEO. LVCANO.
CORDVBENSI. POETAE.
BENEFICIO. NERONIS.
FAMA. SERVATA.

Et hoc carmen eſt de eo vulgatum:

Corduba me genuit, rapuit Nero. Proelia dixi,
Quae geſſere pares, hinc ſocer, inde gener.
Continuo nunquam direxi carmina ductu,
Quae tractim ſerpant: plus mihi comma placet.
Fulminis in morem, quae ſunt miranda citentur:
Haec vero ſapiet dictio, quae feriet.

§. XXXIV.

Lucani vxor fuit Polla Argentaria, de cuius ingenio atque

a) Silu. l. 2. extr.

atque doctrina paſſim a ſcriptoribus multa referuntur. STATIVS PAPINIVS *b*) maxima quadam reuerentia inquit ſe ad natalem Lucani celebrandum accedere, vel propter Pollam Argentariam, cuius egregia nobilitas erat ac eruditio. Inter alia, cum genethliacon caneret, non ſine maxima verecundia:

Ingratus, ait, *Nero, dulcibus theatris,*
Et noſter tibi praeferetur Orpheus.
Dices culminibus Remi vagantis,
Infandos domini nocentis ignes.
Tu caſtae titulum decusque Pollae
Iucunda dabis allocutione.

MARTIALIS quoque ſaepius quam honorificentiſſime huius Pollae, doctae et nobilis Lucani coniugis, mentionem fecit. Ita vbi natalem deſcribit Lucani, et Neronis iniquitatem deteſtatur: *c*)

Haec eſt illa dies, quae magni conſcia partus,
Lucanum populis et tibi, Polla, dedit.
Heu Nero crudelis, nullaque inuiſior vmbra:
Debuit hoc ſaltem non licuiſſe tibi.

Breui poſt de natali poetae noſtri ad Phoebum: *d*)

Quid, inquit, *tanta pro luce precor? tu, Polla, maritum*
Saepe colas, et ſe ſentiat ipſe coli.

Neque veretur eam alibi, *e*) quod diues et nobilis eſſet, voca-

b) Praefat. ad librum ſiluarum ſecundum. *Excludit volumen genethliacon Lucani, quod Polla Argentaria, clariſſima vxorum, cum hunc diem forte conſecraremus, imputari ſibi voluit. Ego non potui maiorem tanti auctoris habere reuerentiam, quam quod laudes eius dicturus, hexametros meos timui.* Vid. ipſum genethliacon STATII ſilu. lib. 2. extr. in gratiam Pollae Argentariae, mariti demortui, Lucani poetae, natalem celebrans.

c) Lib. 7. epigr. 7. *d*) Lib. 7. epigr. 22. *e*) Lib. 10. epigr. 64.

vocare reginam, eiusque maritum vatem Heliconis ſui gloriam, ſiue poeſeos Latinae Decus. Sic paſſim illa vt praecipuum ſui ſeculi ornamentum a poetis euehitur laudibus ſummis. *f*) Nec immerito vel propter incomparabilem doctrinam in illis feminis ab SIDONIO *g*) numeratur, quae ſuo ſtudio et amore viros doctos iuuarunt, atque illis ad vſum et inſignem eruditionis gloriam quoddam quaſi vehiculum fuerunt. Haec enim Polla, BAPTISTA FVLIOSO *h*) teſte, tanto ingenio atque doctrina fuit, vt coeptos a viro permultos verſus ipſa eadem ſtili grauitate atque elegantia perficeret, atque epigrammata etiam peritiſſime conſcriberet. Vtrum vero antequam recitaret, marito pharſaliae tres libros priores emendarit, vt in eius vita recenſent, et ipſe FABRICIVS *i*) affirmat, ego valde dubito. Multo minus mihi veriſimile fit, eam, extincto Lucano, nupſiſſe Statio poetae: quod idem Vir doctiſſimus *k*) probare conatur ex praem. l. 2. Silu. ſupra etiam nobis memorato, vnde ſi quid video nihil conſtat. Nobiliſſima et diues erat, et quam Statius ipſe vocat, clariſſima vxorum. Neque ratio fuiſſet IVVENALI *l*) eam ſi Statius habuiſſet in matrimonio, vt Claudiam, *m*) producendi illum

f) Et vulgo notum eſt SIDONII dictum: *Polla dat poetas.*

g) Lib. 2. epiſt. 10. ad Heſperium: *Sisque opido meminens, quod olim Marcia Hortenſio, Terentia Tullio, Calpurnia Plinio, Pudentilla Apuleio, Ruſticiana Symmacho legentibus meditantibusque candelas et candelabra tennerunt. -- reminiſcere quod ſaepe verſum Corinna cum ſuo Naſone complenit, Lesbia cum Catullo, Ceſennia cum Getulico, Argentaria cum Lucano, Cynthia cum Propertio, Delia cum Tibullo.*

h) Lib. 8. c. 3. *i*) Biblioth. Latin. l. 2. c. 10. pag. 380.

k) L. c. *l*) Satyr. 7. v. 83. ſeqq.

m) Ad Claudiam vxorem ſuam STATIVS ſcribit Silu. l. 3. extr.

illum in miſerorum atque eſurientium poetarum theatrum, qui propter victum ſua carmina vendiderunt.

§. XXXV.

Exſtant Lucani de bello ciuili libri decem inſcripti *Pharſalia*: quod bellum iſtud Caeſarem inter atque Pompeium deſiit pugna ad Pharſalum, Theſſaliae vrbem, qua Caeſar Pompeium vicit: cuius adeo pugnae euentum totius belli fortuna ſecuta eſt: quamuis IVL. CAES. SCALIGER *n*) Lucanum notet peſſimo conſilio pharſaliam iſtud opus inſcripſiſſe: quippe ne tantilla quidem eius pars haec regio. Quaſi vero locum non liceret nominare et intelligere quae in illo geſta ſunt. Ea ipſa prouincia ſaepe nomen mutauit: vocatur enim et *Aemathia*, vnde noſter poema ſuum auſpicatur:

Bella per Aemathios pluſquam ciuilia campos.
Iusque datum ſceleri canimus, populumque potentem
In ſua victrici conuerſum viſcera dextra.

Pharſalia et *Theſſalia* et *Macedonia* et *Philippici campi*.

§. XXXVI.

Ipſe ſibi mirum gloriolae quantum hoc opere ſuo promiſerit. Patet hoc paſſim ex non vno Pharſaliae libro. Sic inter alia: *o*)

Haec et apud ſeras gentes populosque nepotum,
Siue ſua tantum venient in ſecula fama,
Siue aliquid magnis noſtri quoque cura laboris
Nominibus prodeſſe poteſt: cum bella legentur,
Spesque metusque ſimul, perituraque vota mouebunt:
Attonitique omnes veluti venientia fata,
Non tranſmiſſa legent, et adhuc tibi, Magne, fauebunt.

Paulo

n) Hypercritico cap. 6. *o*) Lib. 7. verſ. 207. ſeqq.

Digitized by Google

Paulo clarius alibi: *p*)

O ſacer et magnus vatum labor, omnia fato
Eripis, et populis donas mortalibus aeuum.
Inuidia ſacrae Caeſar ne tangere famae:
Nam ſi quid Latiis fas eſt promittere Muſis,
Quantum Smyrnaei durabunt vatis q) *honores*
Venturi me teque legent, Pharſalia noſtra
Viuet et a nullo tenebris damnabitur aeuo.

Sua manu carminis huius tantum libros tres priores emendauit, reliquos propter intempeſtiuum obitum imperfectos atque inemendatos reliquit.

§. XXXVII.

Praeter Pharſaliam, Lucani opus elegantiſſimum, quod ſolum exſtat: et alia ſcripſit, quae ad noſtram aetatem non peruenerunt, ſuo vero tempore ipſi maximam ingenii et doctrinae laudem vindicarunt. Ab Grammaticis enumerantur Saturnalia, ſyluarum libri X. tragoedia Medea, quam non abſoluit, Catacauſmos ſiue de incendio vrbis, Iliacon ſiue de incendio Troiae cum Priami calamitate, Orpheus, ſatyricae fabulae complures et epiſtolae, *r*) catalogus heroidum, Hectoris lyrra, hypomnemata proſa oratione, in Octauium Sagittam et pro eo declamationes, complura alia. *s*) In catalectis veterum Poetarum exſtat *carmen panegyricum ad Calpurnium Piſonem,*

p) Lib. 9. verſ. 980. ſeqq. *q*) Homerum intelligit, quem ſuum inter alias ciuitates Smyrna quoque ciuem ſibi vindicat. vid. A. GELLIVS noct. Attic. l. 3. c. 11.

r) Vita Lucani a vetuſto auctore conſcripta. Sic et CRINITVS de poetis Lat. l. 3.

s) Vid. SCALIGER ad Catalecta vet. poetar. p. 279. ſeq. COLOMESIVS ad Gyrald. p. 239. VOSSIVS de hiſtor. Latinis l. 1. c. 16. FABRICIVS bibl. Latin. l. 2. c. 10. p. 384.

Digitized by Google

ſonem, quod ab aliis Virgilio, ab aliis Ouidio perperam adſcribitur, neque deſunt, qui auctorem iſtius Lucanum eſſe velint. Illis accedit VOSSIVS. *t*) Sane in veteri ſcheda MSta Scaliger eiuſmodi inſcriptionem inuenit, *Lucani catalecton de laude Piſonis.* Et hic eſt ille Piſo, qui aduerſus Neronem conſpirauit, ac inter alios coniurationis ſocios Lucanum etiam noſtrum, quod ex ſuperioribus patet, in ſuas partes pertraxit. *v*) De ſcriptis Lucani deperditis inprimis NIC. ANTONIVS *x*) et BARTHIVS *y*) conſulantur: quorum vltimus *z*) de Medea Lucani etiam videndus eſt; vti de Orpheo illius IOH. FRID. GRONOVIVS, *a*) ante quem NIC. ANTONIVS decem ſiluarum libros a Lucano conſcriptos fuiſſe contendit.

§. XXXVIII.

Clariſſimo BVRMANNO iudice, vt eloquentiae corruptela Senecae philoſopho recte adſcribitur, ita ſanctiſſimam et diuinam artem, poeſin, primus contaminare, et carmen heroicum ad declamatoria acumina demittere aggreſſus eſt Lucanus hic, fratris illius M. Annaei Melae filius. Et illi maxime videntur inſanire, qui Lucanum cum Virgilio conantur comparare, in quo omnia caſta, limata et naturalia: cum iſte contra, vt effraenis equus, impetu ſemper maximo feratur; neque habenas patiatur, ſed indulgens ingenio neque modum, neque rationem ſeruet carminis, iudicio non recte vſus, cum vbique vim ſuam

t) De hiſtor. Lat. l. 1. c. 26.

v) BARTHIVS tamen aduerſar. l. 49. c. 7. ait, carmen iſtud Lucano adſcribi nulla ratione poſſe.

x) Bibl. vet. Hiſpanae lib. 1. pag. 42. ſeq.

y) Aduerſ. lib. 23. c. 3. Ad Stat. tom. 1. p. 254. ſeq.

z) BARTH. ad Stat. tom. 1. pag. 246.

a) Diatr. ad Stat. lib. 2. ſilu. 7.

Digitized by Google

ſuam atque vehementiam, etiam vbi minime conuenit, oſtentare ſoleat. *b*) Nihil adeoque magis turpem viri adulationem prodit, quam vbi STATIVS *c*) non modo patriam nato Lucano ſcribit plus dediſſe, quam mundo Senecam; verum etiam poetam noſtrum Homero ſuperiorem, parem Virgilio celebrare non veretur verſibus:

Graio nobilior Melete Baetis,
Baetin Mantua prouocare noli.

Quo FRANCISCVS FLORIDVS SABINVS *d*) nihil vnquam putauit prolatum eſſe ſtultius.

§. XXXIX.

Quoniam de bello ciuili Caeſaris atque Pompeii libros ſuos hiſtorica fide conſcripſit: ab aliquibus poetarum numero eximitur: certe a PETRONIO reprehenditur: *e*) *ecce belli ciuilis ingens opus quisquis attigerit, niſi plenus literis, ſub onere labetur. Non enim res geſtae verſibus comprehendendae ſunt, quod longe melius hiſtorici faciunt: ſed per ambages, deorumque miniſteria, et fabuloſum ſententiarum tormentum, praecipitandus eſt liber ſpiritus: vt potius furentis animi vaticinatio appareat, quam religioſae orationis ſub teſtibus fides.* Conſentit omnino SERVIVS, *f*) *hoc loco*, inquiens, *per tranſitum tangit hiſtoriam, quam per legem artis poeticae aperte non poteſt ponere. Lucanus namque ideo in numero poetarum eſſe non meruit, quia videtur hiſto-*

b) Confer. BARTHIVS Aduerſar. l. 53. c. 6. *c*) Lib. 2. ſilu. 7.

d) Subſeciu. lection. l. 2. c. 20.

e) Satyrico. c. 118. confer. IANI DOVSAE praecidanea ad Petron. l. 2. c. 12. Sed CASP. BARLAEVS poem. tom. 1. p. 417. ex perſona Lucani

Cui, inquit, *minus hiſtoricus credor, minus eſſe poëta,*
Me minor eſt vates, me minor hiſtoricus.

f) In illud 1. Aen. *Matre Dea monſtrante viam.*

Digitized by Google

hiſtoriam compoſuiſſe, non poema. Nec ipſe QVINTILIANVS *g*) poetis illum annumerare voluit. Quo procul dubio MARTIALIS reſpexit lepido de Lucano epigrammate: *h*)

Sunt quidam, qui me dicunt non eſſe poetam:
Sed qui me vendit bibliopola putat.

Sed ille ipſe Martialis honorificentiſſimam paſſim eius mentionem facit, et tanquam ſummum poetam admiratur. Nimius videtur fuiſſe STATIVS *i*) qui eum non cum Homero et Virgilio componere ſolum, ſed iis ipſis praeponere voluit. Ex recentioribus SCALIGERI non ita bene videntur de eo ſenſiſſe. Sane pater IVL. CAESAR *k*) Lucani tumorem ac poeſin vt tyrannicam et taedii parentem, ſaepe etiam ineptam reprehendit. *l*) Filius IOSEPHVS *m*) Aſtronomiae peritiam in Lucano deſiderat: quam alii contra defenderunt. *n*) Mihi ROLANDI MARESII *o*) ſententia placet: *Lucanus poeta eſt, in quo quamuis quaedam reprehendantur, longe tamen plura laudanda ſunt. Tumidum et affectatum ſcribendi genus, declamatoria rerum etiam minimarum ad oſtentationem amplificatio, et frequentes a propoſito excurſiones, vt omniſcius eſſe videatur, fortaſſe in illo culpentur: at de rebus acres et ſanas habet opiniones, de virtute vero non fere aliter, ac Zeno, loquitur, grauesque de ea ſententias vbique inculcat, quae eo altius hominum mentibus inſident, quod non ſine aliquo acumine inſigun-tur.*

g) Inſtit. orat. lib. 10. c. 1. *h*) Lib. 14. epigr. 194.

i) Silu. l. 2. extr. *k*) De re poetica l. 3. c. 26. l. 5. c. 15. Confer. MORHOFIVS polyhiſt. lit. l. 4. c. 12. § 9.

l) Confer. CAVSSINVS de eloquentia ſacra et profana III. 10.

m) De emendatione temporum. Proleg. ad Manil. et alibi. MORHOFIVS l. c.

n) Vid. FABRICII bibliotheca Latina l. 2. c. 10. p. 379.

o) Lib. 1. epiſt. 8.

tur. GYRALDVS *p*) nihil minus ferre potuit, quam Lucani cum Virgilio comparationem, vt a Statio et Martiali factam eſſe nouit: cum ad palmam obtinendam a primo tantum abſit, vt ne quidem in eodem curriculo eſſe videatur. In hoc ſcriptore inueniri tamen, quae, ſi ſpectentur ſine Virgilii comparatione, ſatis magna, neque imitatione indigna, ſi cum iudicio et delectu legantur.

§. XL.

Quanti inter ſuos fuerit Lucanus, tot eius elogia teſtantur, ab eiuſdem aetatis ſcriptoribus decantata. STATIVS *q*) genethliaco ipſum etiam poſt funera prolixiori celebrare nullus dubitauit, vbi inter alia:

Lucanum canimus: fauete linguis.
Veſtra eſt iſta dies, fauete Muſae,
Dum qui vos geminas tulit per artes
Et iunctae pede vocis, et ſolutae,
Romani colitur chori ſacerdos.

Eius laudes MARTIALIS ſaepius cecinit, qui vocat eum *magnum*: *r*) mox *vatem Apollineum*, *magno memorabilem ortu*, propter cuius natales mereatur Baetis patrius in Hiſpania fluuius inter Muſarum fontes numerari. *s*) Epigrammate proxime ſequenti: *t*)

Phoebe, inquit, *veni; ſed quantus eras cum bella canenti*
Ipſe dares Latiae plectra ſecunda lyrae.

Qui-

p) Hiſt. poetic. dial. 4. *q*) Siluar. l. 2. extr. BARTHIVS vero ad Stat. l. 2. ſilu. 7. p. 251. notat a Statio nimium tribui Lucano, cum patriam eius ipſo nato *plus quam Senecam dediſſe mundo* ſcriſit. Quae adeo ſit abominabilis adulatio. Sed iniurius in Lucanum ſit ipſe, quando ſubiungit: *quid enim totus Lucanus, tamen meliore parte ſuorum ſcriptorum ſuperſtes, ad Senecae vel vnam epiſtolam, aut tractationem?*

r) Lib. 7. epigr. 20. *s*) Lib. 7. epigr. 21. *t*) L. 7. epigr. 22.

Quibus Phoebum inuitat ad natalem celebrandum Lucani, cui dederit ipſe carminis epici ſecundam a Virgilio gloriam. Ita quoque apud eundem *v*) *vates Heliconis gloria* vocatur. Semetipſum cum Homero comparare non veritus eſt. *x*) TACITVS *y*) Lucanum magni parentis filium vocat *grande adiumentum claritudinis.* Auctor dialogi de cauſſis corruptae eloquentiae *z*) eum maximis poetis Horatio atque Virgilio adiungit. *Exigitur iam*, inquit, *ab oratore etiam poeticus decor, non Attii aut Pacuuii veterno inquinatus, ſed ex Horatii, et Virgilii, et Lucani ſacrario prolatus. Horum igitur auribus et iudiciis obtemperans noſtrorum oratorum aetas, pulchrior et ornatior exſtitit.* Etiam *optimus poeta* OROSIO dicitur, *a*) vbi ex eius libro primo hemiſtichium adducit. E recentioribus Hugo Grotius tanti eum fecit, vt referente PATINO *b*) et MORHOFIO *c*) in ſinu perpetuo geſtaret, ac nunquam ambularet ſine Lucano. Et TRAIANVS BOCCALINVS *d*) cum Virgilium Heroicorum imperatorem conſtituiſſet, Lucanum eius vicarium fecit. IOH. SVLPITIVS *e*) *Lucanus non minus*, inquit, *oratoribus quam poetis Fabii iudicio imitandus: cum puram hiſtoriae fidem ſequitur: etiam hiſtorici ſuſtinere perſonam videtur: ſingulorum enim pariter officio fungitur. Quippe ardens, concitatus, ſententiisque clariſſimus, modeſta figmenta et concinnas habet euagationes. Eſt in concionibus artificioſus, abundans, virilis et cultus. In ceteris vero grauis, copioſus, amplus, terſus, mira eruditione*

v) Lib. 10. epigr. 64. *x*) Vid. LVCAN. l. 9. v. 984.
y) Annal. l. 16. cap. 17. *z*) Apud TACITVM cap. 20.
a) Prooem. lib. 6. *b*) In epiſtolis.
c) Polyhiſt. liter. l. 4. c. 12. §. 9. *d*) Relat. 86.
e) Praefatione in ſuam Lucani interpretationem ad Cardinalem Palauicinum.

ditione & rerum varietate perfuſus. Tantaque carminis maieſtate conſilia, rationes geſtaque explicat: vt haec ipſa non legere, ſed cernere videaris: Bella vero et conflictus non narrari, ſed geri: vrbes trepidare: acies concurrere, & militum ardorem terroremque te putes aſpicere. Cumque ſit in deſcriptionibus frequens et locuples, in rerum perſcrutanda natura, exprimendisque affectibus perſpicax, in moribus iudicandis argutus, atque in omni oſtentanda doctrina verſatilis et quae ſequuntur: vbi etiam eius cum Virgilio comparationem inſtituit. Omnium vero elegantiſſimum eſt CASP. BARLAEI *f*) epigramma ex Lucani perſona ſcribentis:

Cui minus hiſtoricus credor, minus eſſe Poeta,
Me minor eſt vates, me minor hiſtoricus.

§. XLI.

Quod ad dictionem eius attinet, ſecundum FABII *g*) ſententiam ardens eſt, et concitatus, et ſententiis clariſſimus, magis oratoribus, quam poetis annumerandus, qui ad fidem hiſtoricam nihil concedens fabulis, vt poetae alias ſolent, pharſaliam ſuam heroicis verſibus elegantiſſimis deſcripſit. In concionibus eſt bene cultus et plane admirandus: adeo vt ſingularem Virgilii maieſtatem ſatis pro ſui ſeculi ingenio exprimere videatur. Pro ſui ſeculi ingenio dixi Lucanum heroicam effinxiſſe Virgilii maieſtatem: neque enim Mancinelli atque Floridi Sabini litem meam facere vellem. Cum ANTON. MANCINELLVS ex Lucani genethliaco STATII *h*) verſum

Baetim Mantua prouocare noli, pro

f) Tom. I. poem. p. 417. *g*) Inſtit. orator. lib. 10. c. I. confer. auctor dialogi de cauſſis corruptae eloquentiae cap. 20.

h) Silu. l. 2. extr.

Digitized by Google

pro Lucano Virgilium ſuperante allegaſſet: FRANC. FLORIDVS SABINVS, Mancinelli acerrimus hoſtis, eundem longe aliter et in Lucani opprobrium explicat, quaſi Virgilius ironice a Statio moneretur, ne Lucanum, poetam miſerum, ad certamen prouocet, ea ratione, ac ſi fortiſſimum Achillem moneres, ne imbellem Therſitem forte ſibi aduerſarium poſceret. Quae ſi non eſſet Statii ſententia, nihil vnquam ſtultius prolatum fuiſſe affirmat. *i*) Perſuaſiſſimus enim fuit, ne iuuenilia quidem Virgilii cum Lucano vlla ratione comparari poſſe; ſed Culicem Maronis plus artis et elegantiae habere, quam ad vnum omnia Lucani ſcripta; et vnicam Virgilianam eclogam ſexcentas Thebaidas Statianas ingenio, iudicio, candore, antecellere. Etiam noui GYRALDVM *k*) non modo Lucanum cum Virgilio comparari noluiſſe; verum et illud affirmare de eo, quod Cicero de Cordubenſibus ſuorum temporum poetis, qui eos neſcio quid pingue et peregrinum ſonare putabat. Noui praecipitem eius calorem perſtringi et alia vitia, quorum ſupra ab nobis aliquot notata fuerunt. Multo plura tamen eius merita facile cognoſcet, qui ſano iudicio ab naeuis poetarum virtutes dignoſcere velit. Et cum aliis ipſe MORHOFIVS *l*) in eo entheum ardorem et furorem illum poeticum animaduertit: ex. gr. libro quinto, vbi maxima deſcribitur tempeſtas, qua Caeſar in nauicula iactitatus, anſam dedit poetae plane extraordinarias animi conceptiones et hyperbolas effundendi, illas quidem immodicas, ſublime tamen et peracutum eius ingenium indicantes: vt Neroniano ſeculo elo-

i) Subciſiu. lect. l, 2. c. 20. Confer. MORHOFIVS polyhiſt. lit. l, 4. c. 12. §. 9. *k*) Hiſt. poetar. dial. 4.

l) Polyhiſt. lit. l. 4. c. 12. §. 9.

eloquentiae genius fuerat. Hinc Lucano ſupra commune faſtigium aliquando aſſurgenti, vel propter aetatis ſuae conſuetudinem aliquid condonandum eſt. BARTHIVS quoque *m*) doctrinam in eo non vulgarem, atque ſpiritum prorſus heroicum agnoſcit, propter graue, neruoſum, acutum vibransque et penetrabile ſententiarum pondus, quibus vniuerſa eius oratio mirifice floret, adeo vt nullum in eo genere parem vnquam habuerit. Quamuis cum Virgilio, epici carminis principe, minime gentium mereatur componi, et affectationis paſſim ſibi inurat notam, genus carminis heroicum ad declamatorias ineptias et vana ſubinde acumina deflectens: magna cum vſura tamen hic claſſicus auctor legi poteſt. Eſt enim illius dictio ſatis Latina atque pura: ſunt deſcriptiones, quas operi haud raro immiſcet, non inelegantes. Laudantur characteres eius egregii, in qua arte proximus habetur Velleio Paterculo, et rerum ciuilium minime rudis.

§. XLII.

Lucanus primum editus eſt *Romae* 1469. fol. a Iohanne Andrea, Epiſcopo Alerienſi, Paulo II. Pontifici nuncupatus. Et haec, teſte MICH. MAITTAIRE *n*) de Lucano Pomponius Infortunatus memoriae tradidit: *Pharſaliam non finiuit, cuius primos tres libros cum vxore correxit. Quos inſcitia deprauatos cum reliquis ſeptem Ioannes Andreas Antiſtes Alerienſis diligentiſſime noſtro tempore emendauit, rogantibus Conrado et Arnoldo, qui ne lingua Romana pereat, libros laudabili inuentione imprimunt.* Hic

 Con-

m) Aduerſ. l. 53. c. 6. Confer. eiuſd. l. 23. c. 3. ROLANDVS MARESIVS l. 1. epiſt. 8. MICH. NEANDER erotem. Graecae linguae praefat. p. 192. ſeq. LVD. VIVES de diſciplinis p. 520. vbi fruſtra quidem Virgilio Lucanum praeferre conatur.

n) Annal. typogr. p. 65.

Conradus Sweinheym et Arnoldus Pannarts ad calcem libri Teutonica de gente ſe fuiſſe ſignificant. Atque inter primos fuere, qui typographicam artem Romae propagarunt. *Venetiis* 1475. fol. 1477. fol. per Iuuenem Guerinum. Haec editio ſequentibus commendatur verſibus:

Quam veniant grandes Lucani in carmina Muſae,
Et quantum excellat dicendi fulmine vates,
Iudicet, altiloquas nouit quicunque ſorores.
Certe ego diuino paulum ceſſiſſe Maroni
Crediderim, Phoebo digna et maiora locutum.
Incertos belli euentus ciuiliaque arma
Cognatasque acies, et ſumma pericula rerum
Scripſerit ardenti melius quis carmine vates?
Quasue ferat Latius gentes aut Gallicus axis,
Aut oriens quibus aut animis in bella ruentes?
Quid toga, quid ſaeui pariant diſcrimina Martis,
Emtor habes: tantum moneo obſeruare poetam.
Ergo cape, et Iuuenem Guerinum ad ſidera tollas,
Lucanum Veneta docte qui impreſſerit vrbe.

1486. 1493. et 1498. fol. cum Ioh. Sulpicii et Omniboni Vicentini commentariis. *Parmae* 1483. fol. *Brixiae* 1486. fol. per Iacobum Britannicum Brixianum, cum Omniboni Vicentini commentario. *Mediolani* 1491. fol. cum Iohannis Britannici Brixiani commentariis.

§. XLIII.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto Lucanus prodiit *Venetiis* 1502. 8. apud Aldum. 1505. fol. cum Ioh. Sulpitii et Omniboni commentario. 1511. fol. per Auguſtinum de Zanis de Porteſio, cum iiſdem Sulpitii

et

et Omniboni commentariis. o) 1515. 8. apud Aldum. 1537. 8. apud Iac. Iuntam. 1538. 8. apud Aldum. *Mediolani* 1508. ex recenſione Hyacinthi Arpini. 1525. fol. cum Beroaldi et variorum notis. *Pariſiis* 1506. et 1514. fol. ex G. Verſellani recognitione, cum Ioh. Sulpitii, Philip. Beroaldi, Iodoci Badii Aſcenſii, Antonii Sabellici, Iac. Bononienſis, et Ioh. Bapt. Pii annotationibus. 1512. 8. cum annotatione familiari et pellucida Petri de Ponte, coeci, Brugenſis, per Guil. de Rouge. 1545. 8. apud Rob. Stephanum, additis in calce lectionibus variis. *Lugduni* 1534. et 1542. 8. et 1547. forma minori apud Gryph. 1551. 8. apud Gryphium. 1569. 12. apud Anton. Gryphium, cum argumentis, variis lectionibus et indice. *Antuerpiae* 1564. 12. apud Plantinum ex Theod. Pulmanni recenſione. 1577. et 1592. 12. ex Theod. Pulmanni recenſione. *Argentorati* 1509. 4. cum Sulpitii commentario. 1520. 8. *Baſileae* 1514. fol. 1550. 8. apud Henric. Petri cum Ioh. Sulpitii et Henr. Glareani notis. 1578. fol. cum Ioh. Sulpitii comment. et Lamberti Hortenſii explanationibus. *Coloniae* 1537. 8. apud Ioh. Gymnicum. *Francofurti* 1551. 4. cum Sulpitii, Omniboni et Iac. Micylli annotationibus. *Lipſiae* 1584. et 1589. 8. cum Micylli, Ioach. Camerarii, et Greg. Berſmanni ſcholiis.

o) Integer libri titulus hic eſt: *Annei Lucani bellorum ciuilium ſcriptoris accuratiſſimi pharſalia: antea temporum iniuria difficilis ac mendoſa: nouiſſime autem a viro docto expolita et apprime pluſquam bis mille locis emendata: ſcribentibus Ioanne Sulpitio et Omnibono Vicentino viris eruditiſſimis: additis inſuper de nouo Grecis, que vbique deerant nec non vtiliſſimis apoſtillis: vna cum figuris ſuis locis apte diſpoſitis: itidemque alphabetica tabula: que omnia ſcitu digna mirifice complectitur.*

§. XLIV.

Seculo decimo ſeptimo illuſtriores Lucani editiones habemus ſequentes. *Londini* 1618. et 1634. 8. cum notis Thomae Farnabii. *Antuerpiae* 1614. 8. cum Theodori Pulmanni variis lectionibus, et Hugonis Grotii notis. *Amſtelodami* 1643. 12. cum Thomae Farnabii et Hugonis Grotii notis, apud Ioh. Blaeuw. 1651. 12. apud Elzeu. cum Hugonis Grotii notis. 1658. et 1669. 8. cum notis variorum, curante Cornelio Schreuelio. 1665. et 1681. 12. cum Farnabii et Grotii notis. *Lugduni Batau.* 1612. forma minori, ex Raphelengii officina. 1614. 1619. et 1626. 8. cum variis lectionibus Pulmanni, et auctioribus Hugonis Grotii notis. 1658. et 1669. 8. cum notis variorum, accurante Schreuelio. 1670. 8. cum notis Grotii, Farnabii et aliorum opera Schreuelii. *Francofurti* 1624. 8. cum Thomae Farnabii notis.

§. XLV.

Noſtra aetate Lucanus prodiit *Amſtelodami* 1713. 12. cum Thomae Farnabii et Hugonis Grotii notis. Subiungitur Thomae Maii ſupplementum, quo poema Lucani ad necem Iulii Caeſaris vſque producitur. *Lugduni Batauorum* 1728. 4. duobus volum. cum ſcholiaſte hucusque inedito et notis variorum, curante Franciſco Oudendorpio, ludi Harlemenſis moderatore. De noua Lucani hac editione Lipſienſes docti cenſores *p*) iudicant, parum in ea vel eruditione Batauorum criticorum, vel ſplendore aliorum illic impreſſorum librorum dignum contineri; ſed paſſim frigidas emendationes, et longe deteriores expoſitiones inueniri. Magis placet quae *Lipſiae* prodiit 1726. 8. ex recenſione et cum notis Gottlieb Cortii. *q*)

§. XLVI.

p) Act. Erud. Lipſ. 1728. p. 48. *q*) Vid. Acta Erud. Lipſ. 1726. p. 78.

§. XLVI.

Sub SENECAE nomine decem tragoediae circumferuntur: ſed de auctore non conueniunt omnes, et neſciunt fere, quem tragicum illum eſſe velint. Sunt et inter alios FRANCISCVS PETRARCHA, PETRVS CRINITVS, DANIEL CAIETANVS, MARTINVS DELRIO, qui L. A. Senecae philoſopho, inferius paulo a nobis, vbi de philoſophis, laudando, omnes tragoedias iſtas tribuere non verentur. Alii *r*) iſtas volunt auctorem habere Marcum Senecam nepotem, philoſophi ex priore vxore filium, cuius ipſe meminerit pater *s*) cum Heluiam matrem ſuam conſolaretur. Ipſa audiamus philoſophi verba: *ab his, tuis liberis, ad nepotes quoque reſpice. Marcum blandiſſimum puerum, ad cuius conſpectum nulla poteſt durare triſtitia: nihil tam magnum, nihil tam recens in cuiuſquam pectore fuerit, quod non circumfuſus ille permulceat. Cuius non lacrumas illius hilaritas ſupprimat? cuius non contractum ſolicitudine animum illius argutiae ſoluant? quem non in iocos vocabit illa laſciuia? quem non in ſe conuertet, & abducet infixum cogitationibus illa neminem ſatiatura garrulitas? Deos oro, contingat hunc hunc habere nobis ſuperſtitem. In me omnis fatorum crudelitas laſſata conſiſtat: quicquid matri dolendum fuit, in me tranſierit, quicquid auiae, in me.* Noui LIPSIVM *t*) quoque Senecae philoſophi hic intelligere filium; quod etiam putat apparere ex epigrammate: *v*)

> *Sic Marcus, dulci qui nunc ſermone fritinnit,*
> *Facundo patruos prouocet ore duos:*

ſibi-

r) Quos inter eſt BALTH. BONIFACIVS hiſtoriae ludicrae lib. 15. c. 7.
s) Conſol. ad Heluiam cap. 16. *t*) Ad haec Senecae verba.
v) Incerti auctoris, vulgo Conſol. ad Heluiam praefixo.

Digitized by Google

ſibique perſuadet verba et vota, quae hic ſunt, patrem et eius affectum clamare. Ego vero nihil minus arbitror quam filium hic deſcribere Senecam: eius ſubaudiendum potius eſſe ex fratre nepotem, Marcum Annaeum Lucanum, cuius ingenium ab ineunte aetate maximum ſe prodidiſſe conſtat. Inſanum fuiſſet tantis filiolum ſuum laudibus proſequi, vel etiam praeferre patruis: cum facili negotio potuiſſet fratris optimum adoleſcentem ab incomparabili virtutis ſpe ac percipienda ſuauitate matri afflictae commendare, eumque ſibi et patruorum alteri opponere. Quod mihi videtur etiam probare, quod ſequitur de Nouati filia: *tene in gremio tuo cito tibi daturam pronepotes, Nouatillam, quam ſic in me transtuleram, ſic mihi adſcripſeram, vt poſſit videri, quod me amiſit, quamuis ſaluo patre, pupilla, hanc et pro me dilige.* et quae ſequuntur. Neque IOH. ALBERTI FABRICII Viri Clariſſimi *x*) ſententiam capio, neque video, quomodo ex eodem loco conſtare poſſit, Marcum illum admodum puerum et paulo ante patris exilium obiiſſe. Quoquo ſe res habeat modo, nec deſunt, qui Senecam tragicum cenſent, iſtius Philoſophi celeberrimi fratrem, aut ex fratre nepotem fuiſſe. Plerique et accuratiores critici, non vnum eſſe, aiunt, omnium tragoediarum auctorem; ſed alias aliis diuerſarum aetatum vindicandas eſſe poetis. Praeſertim notandus Lipſii et Scaligeri maximorum ſuo tempore criticorum diſſenſus. Lipſius totum immutarat tragoediarum ordinem, Troadas magiſtelli potius, quam Senecae opus eſſe iudicans, Octauiam plane reiiciens, et ſcriptam ſub Domitiano futilem eſſe et ineptam ratus. Scaliger contra id velut puerile iudicium, Traodas affirmac

x) Biblioth. Latina l. 2. c. 9. §. 11.

mat diuinam eſſe tragoediam et omnium principem: et confidenter ait, neminem adeo fore, qui Lipſio aſſentiat, ni forſan imperitum. Nouem illarum vnum eſſe genium et vnum parentem; Octauiam optimum poema ab Octauiae domeſtico et Senecae amico conſcriptum. Quod licet tanta confidentia dicat, vt omnes ſibi perſuadeat eſſe in ſuas partes ituros *y*); frequentes tamen in diuerſa diſceſſerunt, atque in his magnus GRONOVIVS *z*) et BARTHIVS. *a*) FARNABIVS quoque *b*) tot illuſtrium virorum iudicio fretus, inprimis DANIELIS HEINSII auctoritate, altam Medeam, floridum Hippolytum, diuinam tragoediam Troadas L. Annaeo Seneca philoſopho adſcribit, item *πολυμάντευτον* Oedipodo; in quo tamen ab Heinſio diſſentit. Senecae tragico tribuit Agamemnona, Herculem furentem, Thyeſten, et eiuſdem ferme cum Thyeſte commatis, acccerſitarum ambitioſe ſententiarum affectati acuminis ambigue et ab inexſpectato reſpondentis, Thebaida, niſi potius auctorem habeat proprium. Otioſum in Oeta Herculem poetaſtro cuidam e ſchola declamatorum, nec feliciori artifici languidam Octauiam tribuit.

§. XLVII.

Hoc quidem dubium eſt nemini, Senecam philoſophum haud raro carminibus luſiſſe: vt recte aliquot ad eum tragoediae referantur. Semet enim ipſe oſtendit in exilio carmina feciſſe; et TACITVS *c*) ſeniorem quoque et in aula, adeo quidem vt etiam inuiti calumniarentur, eloquentiae laudem vni ſibi adſciſcere, et carmina crebrius factitare, poſtquam Neroni amor eorum veniſſet. Vtrum

y) Epiſt. 247. et 414. *z*) Noua tragoediarum editione.
a) Aduerſ. l. 44. c. 25. *b*) Praefatione ad lectores editioni ſuae praemiſſa. *c*) Annal. l. 14. c. 52.

Digitized by Google

Vtrum vero et tragoedias ſcripſerit, et optimarum in ſyſtemate noſtro fuerit auctor, ego vt quid ſentiam ingenue fatear, valde dubito. In tot eius operibus, certe in epiſtola quadam, vt ſunt variarum opinionum et ſententiarum farrago et maximam vitae cum praeceptis morum comprehendunt partem, illius feciſſet iudicium; et haec opera omnium praeſtantiſſima, vt reliqua ſua minoris momenti alicubi procul dubio nominaſſet, gratamque tanti ſtudii ſeruaſſet memoriam. Ab arte et ingenio, quod incomparabile fuit, ipſe Lucius Annaeus Seneca philoſophus ſuum ex fratre nepotem laudat: cui, meo quidem iudicio, illa dicendi maieſtas, et ſpiritus et tragicus tumor et ſcenae dignitas magis conuenit. Marcum Annaeum Lucanum innuo, pharſalicis inclutum, qui et ipſe ad diuinam poeſin omnino natus fuiſſe videtur, et cum familia Senecae nomen profeſſus eſt. Nec vlla nos vrget neceſſitas et argumentum, aliarum auctorem facere Marcum illum Senecam Rhetorem, Lucii parentem, vt Orcheſtram quatiat Euripidis; aliarum Lucium Senecam philoſophum, vt colat hiſpidum Platona incaſſumque ſuum moneat Neronem; aliarum ex ſcholis rhetorum fingere quemlibet auctorem, quod appareant leuiculae ingenii ſtricturae, vitreae acuminis ſcintillationes, atque ex ſubtili argutiarum fulgore ignes fatui et fumus. Fateor non omnes in illo vno ſyſtemate tragoedias eiuſdem eſſe ingenii et indolis. Fateor et anxia tot criticorum diſquiſitione inſtituta, prologorum et argumentorum ſe prodere diſcrimina, characterem et ſtilum diuerſum, varia modulamina chori, oeconomiam imparem, in aliis atque in aliis maiorem narrandi et repraeſentandi vi, placitorum denique et ſententiarum diuerſitatem. Sed alia iuuenis Seneca luſit, alia maturiori aetate; atque etiam in illis,

quae

quae maxime florens ingenio, et cautus, et prudens ſcripſit, gratam nouit inſtituere varietatem, quae inprimis ſcenicos ludos commendare videtur. Et temporis eſt alia, et occaſionum alia ratio. Nec adeo mihi videtur mirum, in illis tragoediis obſeruari, quae in pleriſque et optimorum ſcriptis obſeruantur. Nec ab re ipſe SIDONIVS APOLLINARIS *d*) Senecam philoſophum a tragico diſtinguit. Quicquid etiam NIC. ANTONIVS *e*) et BARTHIVS *f*) obloquantur. Nam et diſerte vetus Lucani ſcholiaſtes affectam fuiſſe a Lucano Medeam tragoediam teſtatur, quae ſub Senecae nomine a FABIO *g*) allegatur.

§. XLVIII.

Quod ad ipſas tragoedias attinet, in exemplis vitae humanae, ſicut etiam comoediae confirmantur: a quibus tamen differunt, perſonarum conditione, fortunarum ſeu negotiorum qualitate, exitu, atque adeo etiam ſtilo, qui cum perſonis atque rebus omnino conuenire debet. In comoediis vulgo ſumuntur e pagis et loco humili Chremetes, Daui, Thaides; turbatiuſcula initia, fines laeti ſunt; ſermo tenuis vel mediocris. In tragoedia Reges comparent atque Principes ex aula et illuſtribus ciuitatibus vel caſtris; ſedatiora principia, exitus horribiles ſunt; oratio grauis et magnifica, a vulgi dictione diuerſa; tota facies anxia, metus, minae, exilia, mortes. Hic non prodeunt veſte exutae et nudatae vxores et mimi, ſed graues matronae, cothurnatae Deae, et viri, quorum maieſtas ipſum Catonem intrare, ſpectare et exſpectare iubet. IACOBVS GADDIVS Senecam vocat Latinae tragoediae monarcham vel dictatorem, et Franciſco Florido

 Sabino

d) Carm. 9. verſ. 231. *e*) Bibl. veteris Hiſpanae l. 1. c. 9.
f) Ad Statium tom. 1. p. 251. *g*) Inſtit. orat. l. 9. c. 2.

Digitized by Google

Sabino ſuccenſet, quod *h*) illum in nullo ſubſellio ponat, et multo eſſe minorem dicat, ſi cum tragicis Graecis comparetur. Iulius Caeſar Scaliger non dubitat Senecae tragoedias etiam vltra Graecarum vim et elegantiam extollere. *i*) Quod aliis non videtur, qui nimium philoſophicas eſſe, et contra leges tragoediae paſſim impingere, obſeruant. Ego vero vt ille, Senecam hunc tragicum puto Graecorum nullo maieſtate inferiorem; cultu vero ac nitore maiorem etiam Euripide. *k*)

§. XLIX.

Decem hodie non eiuſdem certe valoris tragoedias ſub Senecae nomine habemus: quarum in ordine vbique miram varietatem notamus; in aliis etiam alias praetermiſſas. I. *Medea*, cuius ope Iaſon vellere aureo potitus, Corinthum profugit, connubio ſibi iunxit itineris et furti comitem; ſed mox propter maleficia thalamis exturbatam et ipſo Corintho eiecit. At Medea, vnius impetrata diei mora, vindictam meditatur, ac veneno illitam cum monili aureoque crinali pallam per filios ſuos mittit Creuſae, Creontis Corinthiorum Regis natae, quam Iaſon in matrimonium duxerat. Palla induta corripit ignem, et noua nupta miſere exardet, cum patre illi auxilio veniente. Deinde Medea, quos Iaſoni perpererat, filios trucidat in patris conſpectu et per aerem aufugit. Hanc plerique critici laudant et Senecae philoſopho adſcribunt. Aliam eiuſdem argumenti tragoediam Ouidius ſcripſit, *l*) quae

h) Lection. ſubciſiu. p. 119.

i) Poetices lib. 6. ſeu hypercritico p. m. 839.

k) Confer. BOECLERVS Diſſ. acad. tom. poſt. p. 1159. ſeqq.

l) Teſte QVINTILIANO inſtit. orat. l. 10. c. 1. Et dialogo de oratoribus cap. 12. Ipſe OVIDIVS triſt. l. 2. v. 553.

Et

quae periit, exceptis verſibus duobus, quae FABIVS *m*) et SENECA pater *n*) allegarunt. II. *Hippolytus*, qui Theſei ex Antiope Amazone filius, Dianam virginem et venatricem colit, abſente vero apud inferos Theſeo, a Phaedra nouerca ad ſtuprum fruſtra inuitatur. Repulſa mulier impudica priuignum ſtupri per vim oblati accuſat apud reducem maritum. Hic filio, propter inſidias nouercae fugienti, mortem imprecatur voto: quod ratum Neptunus facit: cum tauro marino emiſſo conſternaret equos Hippolyti: vt per vepres et ſaxa diſtractus dilaniaretur. Quo facto, male ſibi conſcia nouerca marito ſcelus fatetur ac ſemetipſam gladio transfigit. Hinc filii innoxii caſum lugens pater Theſeus ſuam deteſtatur iram et collecta paſſim cadaueris diſtracti membra componit. Priſciano *o*) haec tragoedia vocatur *Phaedra*, quam inſcriptionem Ioh. Frider. Gronouius etiam ſeruauit. Et hanc plerique Senecae philoſopho vindicant. Comparationem inſtitutam inter Hippolytum Euripidis et Senecae vide apud I. H. BOECLERVM, *p*) qui hanc Senecae Latinam haud ſemel ſuperiorem eſſe demonſtrat. III. *Oedipus* tragoedia, ex Sophoclis Oedipo tyranno adumbrata, haec continet: Thebis graſſatur dira peſtis, quam Oedipus Rex queritur, et omni modo auertere ſtudet. Creon mittitur Delphos conſulturus Apollinem, qui nunciat iubere Deum, vt Laii necem expiarent; nec prius ceſſaturam peſtem, quam interfector eius in exilium mittatur. Qui cum ignoretur: Tireſias primum extiſpicia aggreditur, ſed fruſtra; deinde per necroman-

 tiam

Et dedimus, inquit, *tragicis ſcriptum regale cothurnis*
Quaeque grauis debet verba cothurnus habet.

m) Inſtit. orat. l. 8. c. 5. *n*) Suaſoria 3. *o*) Lib. 4.
p) Diſſert. academ. tomo poſteriori diſſert. 39. p. 1159.

tiam euocat Lagi vmbram, et intelligit, ipſum Regem Oedipum et filium et interfectorem eſſe ſuum. Hic contra fretus opinione de Polybo patre, factum negat, atque creontem nuncium poſt iurgia in carcerem coniici iubet. Mox nimia curioſitate intelligit, ſe non Polybi, ſed illius Laii eſſe filium, quem olim Delphos petens occidiſſet; matrem vero ſuam eſſe Iocaſtam, quam duxerat in matrimonium. Hinc prae pudore ac ira effoſſis oculis proficiſcitur in exilium, et Iocaſta coniux gladio ſe confodit. Hanc fabulam vulgo M. A. Senecae Rhetori tribuunt, qui Heinſium ſequuntur. IV. *Troas*, rectius *Troades* tragoedia, a Valerio Probo *Hecuba* vocatur. Scilicet poſt Troiae excidium Graeci in patriam reditum cogitantes vento detinentur aduerſo. Iliadum chorus cum Hecuba patriae, Hectoris et Priami interitum lugent. Talthybio aparet Achillis vmbra, Graecisque exprobrata ingratitudine poſtulat, vt Polyxena, cuius nuptiarum praetextu ipſe eſſet interfectus, pro inferis apud tumulum ſuum mactaretur: Graecos alias ventum non habituros ad reditum. Agamemnon adamatam ſibi Polyxenam mactari non patitur. Vnde cum Pyrrho iurgia, quae tandem conſultus Calebas diſpeſcit, eam omnino immolandam eſſe pronuncians, et vna necandum Aſtyanacta. Hunc territa mater in tumulo paterno abſcondit; Vlyſſes vero exutum latebris ad mortem abducit, eumque de Scaea porta deiicit. Polyxena vt veſte animoque nuptiali mactetur, ab Helena inani ſpe nuptiarum cum Pyrrho lactatur, tandemque victima ad tumulum Achillis caeditur. Lipſius et alii fabulam hanc eſſe contemnendi et ignobilis auctoris exiſtimant. Scaliger vero principem vocat tragoediarum Latinarum. Heinſius quoque Senecae philoſophi eſſe, et Euripidis Troa-

Digitized by Google

Troadas longe ſuperare iudicat. Si quid video, certe ſatis elegans et Seneca quocunque digna. SAM. PETITVS *q*) hanc tragoediam cum Euripidis Troadibus et Hecuba confert. V. ***Agamemnon***, in cuius caedem Thyeſtis umbra, iniurias vlciſcendi cupida, Aegiſthum filium incitat. Hic Agamemnonem, reducem a Troia victorem, in conuiuio imperuia veſte irretitum occidit. Conſilii caediſque particeps erat Clytaemneſtra, quae cum male conſcia ſibi, quod abſente marito ab Agamemnone eſſet corrupta, verebatur, ne, redeunte iam marito, adulterii poenas lueret, et pro eo exitium meditabatur. Eademque Clytaemneſtra Agamemnoni amatam Caſſandram ab aris auulſam occidi, in carcerem coniici Electram iubet. VI. ***Hercules furens***, qui apud inferos degens petierat Cerberum, atque Theſeum propter Proſerpinam rapiendam in vinculis detentum liberauerat; tempore opportuno reuertitur, cum Lycus, propter ſcelera ab Rege Thebano Creonte, Herculis ſocero, in exilium eiectus, facta ſeditione Creontem cum duobus filiis interfecerit, regnum Thebanum occupauerit, atque Megarem, Herculis coniugem ad nuptias ſolicitauerit, vim minitans abnuenti. Lycum hunc atque ceteros illius factionis homines victor Hercules redux occidit. Iuno, tot rerum feliciter geſtarum impatiens, Herculi immittit furorem, quo correptus cum liberis vxorem ſuam necat, et labitur in ſomnum. Experrectus et menti reſtitutus ſaniori, poſtquam ſuos a ſe interfectos comperiſſet, manus ſibimet inferre voluit. Amphitryonis autem et Theſei precibus detentus Athenas proficiſcitur. Ab Heinſio haec fabula tribuitur M. A. Senecae Rhetori. Auctor quiſquis ſit, haud infelici Minerua Euripidis Herculem furientem imi-

q) Obſeru. l. 1. c. 3.

imitatus eſt. VII. *Thyeſtes* hanc fabulam triſtem ludit. Par fratrum Atreus et Thyeſtes annis alternis ex pacto Argis imperant. Thyeſtes Aeropen, fratris coniugem in adulterium pellexit, et eius ope aureum, arietem, in cuius poſſeſſione erat fatum regni, abſtulit. Male conſcius euaſit exilium ſibi ſponte eligens. Atreus, haud aequo id ferens animo, fratri abſenti reditum ſuadet, ac illi per filios fore ſignificat, vt non ſolum in gratiam cum eo redeat, verum etiam regni traderet partem. Cum reuerteretur Thyeſtes, et hoſpes ad fratris conuiuium accederet, tres eius liberos, obſides ſibi traditos immolare ad aras, et partim aſſos, partim elixos, patri imprudenti comedendos apponere curauit, mixtumque vino cruorum illi praebuit. Finito conuiuio Atreus capita et manus filiorum profert, ac epulas Fratri abſumtas demonſtrat, ſibi adeo nefariam vindictam gratulans. Thyeſtes fruſtra dolorem, iram, conuicia, et execrationes miſcet, vindices vocat Deos, quibus tantum ſcelus puniendum commendat. Et haec tragoedia ab Heinſio Senecae Rhetori adſcribitur fruſtra. VIII. *Thebais* ſeu *Phoeniſſae* tragoedia non integra ad nos peruenit. In illis quae ſuperſunt, Oedipus, cognita patris Lagi, quem imprudens occiderat, Diis adeo execrata caede, excoecatus in exilium proficiſcitur. Eius in itinere ſe comitem offert Antigone filia, quae patrem a morte inſtituta retrahit. Nuncius a Thebanis miſſus Oedipum obſecrat, vt rediens componeret filios, Eteoclem et Polynicem, qui, foedere per vices regnandi violato, atrox et ciuile inter ſe bellum conflauerint. Hoc Oedipus abnuit, et ſe in ſiluas recipiens filiis diras imprecatur. Sed Iocaſta mater vtrumque filium ſerio precatur, vt poſita ſimultate in gratiam et amorem redire velint: cui Polynices impie

impie reſpondet. Reliqua deſiderantur. Alioqui tragoedia haec ceteris praefertur, qui et eam temporibus Augusti, quam Senecae philoſopho vindicare maluit. Contra Scaliger, Heinſius et Scriuerius indignam Seneca et omnium tragoediarum minimam eſſe iudicarunt. IX. *Hercules Oetaeus* Hydrae felle tincta ſagitta vulnerauerat Neſſum, qui moriens ſuadet Deianirae, vt ſanguine Centauri imbutam Herculi mittat tunicam, praeſentiſſimum amoris remedium: illa enim indigne ferebat, ſibi praelatam eſſe Iolen, Euryti Regis Oechaliae filiam. Hercules in Euboeae promontorio ſacrificaturus quamprimum induiſſet veſtem: ignem concipit virus et viri oſſa interiora abſumit. Neſſi fraude intellecta, infelix Deianira mortem ſibi conſciſcit. Hercules vero, poſtquam interfecerit Licham, qui munus lethale attulerat, moriens Philoctetae arcum ſagittasque tradit, ac mandat ſibi in Oeta monte pyram extrui, in qua cum claua et leonis pelle cremaretur. Iuuenile videtur eſſe Lucani poema, quod ex Sophoclis Trachiniis adumbrauit, cum ille ſatis quidem turgidus tragicam maieſtatem illam nondum aſſequi poſſet. *r*) X. *Octauia*, Claudii Caeſaris Druſi filia, Neroni nupta, patris fratrisque Britannici caſus ſuamque calamitatem deflet: quam Nero tyrannus, ducta Poppea, repudiat. Hinc populi tumultus: propter quem ira aeſtuans Nero, in quemlibet ſaeuire, et Octauiam, veluti motus cauſſam, deportatam in Pandatariam interfici iubet. Huius tragoediae

r) De auctore huius tragoediae VAVASSOR lib. de vi et vſu quorundam verborum Latinorum: *ſi tam corruptus eſt et vitioſus elocutione, quam rebus et ſententiis turgidus et inflatus, nihil eſt, quod illum audire magnopere velimus.*

auctor certe non potuit eſſe philoſophus ille Seneca, qui ante Octauiam a Nerone exſtinctus eſt, et ipſe manſuetiores tyranno ſuadens mores in ſcenam producitur. A quoquam certe, cui grata fuit illius memoria. Et quidni Lucanum putemus hanc luſiſſe fabulam, quae et illo et quouis Annaeo Seneca digna. VOSSIVS *s*) eam tribuit Floro; alibi *t*) omnium ineptiſſimam vocat et plane ſcholaſticum opus; Iuſto Lipſio quoque videtur verbere eruditorum excipienda, non plauſu. Sed optime tamen illius, quo ſcripta eſt, triſtiſſimi temporis miſeriam exprimit, ac fere domi geſta nuper. Nec miror hanc velut vltimam auctoris, eadem mox exſpectantis fata, cum ſpiritus eſſet abiectus atque depreſſus, prae reliquis ſerpere humi.

§. L.

Primam omnium editionem aiunt eſſe, quae ſine temporis notatione in 4. prodiit *Lipſiae* apud Martinum Herbipolim. Cuius pagina extrema hoc Iacobi Baryni tetraſtichon legitur:

Clauditur iſte liber Senecae, repetendus in omne
Aeuum, hunc ardenti pectore, lector, ama.
Preſſerat Herbipolis Martinus in vrbe decenti
Lipcek. Hoc munus, candide lector, ama.

Sed antiquiorem puto editionem eſſe *Venetam*, quae 1482. fol. prodiit cum commentariis Gellii Bernardini Marmitae, Parmenſis. Quam alia minus emendata ſecuta eſt 1493. fol. cum Danielis Caietani Cremonenſis commentariis; per Mattheum Capſacam inſcriptio haec eſt: *commentaria in aureas L. Ann. Senecae tragoedias tanto vitae bono, vt ſi diligenter eas perlegeris, nihil*

s) De hiſt. Lat. l. 1. c. 30. *t*) Inſtit. poet. l. 1. p. 76.

nihil tibi conducibilius reperire poſſis ad bene viuendum, et ad rerum locorumque omnifariam cognitionem; ibi ſententiae graues ad inſtituendum vitae modum, hiſtoriarum fabularumque enarratio; fortunae varietas; vrbium, montium, aquarum, maris, fluuiorum, regionum, populorum deſcriptio etc. 1498. fol. per Ioh. Tridinum cum commentariis Bernardini Marmitae et Dan. Caietani; eiuſd. Caietani apologia et Polydori Comitis Cabaliati carmen in eius defenſionem.

§. LI.

Sequenti ſeculo noſtri Senecae tragoediae prodierunt *Venetiis* 1505. fol. cum Bernardini Marmitae et Dan. Caietani Cremonenſis commentariis. 1510. fol. apud Philipp. Pincium, cum commentariis Gellii Bernardini Marmitae Parmenſis. 1517. 8. apud Aldum ex Hieronymi Auantii Veronenſis caſtigatione, qui tria fere erratorum millia eluiſſe teſtatur. 1522. fol. apud Bernardum de Vianis, cum Bernardini Marmitae et Dan. Caietani commentariis. *Florentiae* 1513. 8. apud Philippum Iuntam, ex Benedicti Florentini recenſione. *Pariſiis* 1514. fol. cum Hieron. Auantii, Eraſmi, Gerardi Vercellani, Aegidii Maſerii, Bernardini Marmitae, Danielis Caietani, et Iodoci Badii Aſcenſii notis et commentariis. *Lugduni* 1538. apud Gryphium, curante Ludouico Carrione. *Antuerpiae* 1576. 1586. et 1594. 4. apud Plantin. cum M. Antonii Delrionis commentariis. *Lugduni Batau.* 1588. 8. cum Iuſti Lipſii et Franciſci Raphelengii notis. *Baſileae* 1529. 8. apud Henricum Petri. *Lipſiae* 1566. 8. apud Voegelin. cum Georgii Fabricii variis lect. et epiſtola de tragoediarum vſu, ac generibus carminum apud Senecam.

§. LII.

Poſt Chriſtum natum ſeculo decimo ſeptimo Seneca tragicus prodiit *Venetiis* 1688. 12. *Pariſiis* 1607. et 1620. 4. cum M. Antonii Delrionis commentariis. 1660. 8. duobus volum. cum verſione Gallica Michaelis de Marolles. *Londini* 1623. 12. editio prima cum notis Thomae Farnabii. 1679. 12. e theatro Sheldoniano, cum notulis breuiſſimis. *Lugduni Batau.* 1611. cum caſtigationibus Ioſ. Scaligeri et Dan. Heinſii, cuius diſſertatio de tragoediarum auctoribus adiuncta eſt. 1621. 8. cum integris I. Lipſii, Franc. Raphelengii, Q. Septimii Florentis, Hieron. Commelini, Ioſ. Scaligeri, Iani Gruteri, Dan. Heinſii, et Ioh. Iſ. Pontani notis accurante P. Scriuerio. 1651. 8. cum notis variorum, opera Antonii Thyſii. 1661. 8. cum Ioh. Frid. Gronouii notis. *Amſtelodami* 1633. 12. cum notis Farnabii. 1678. forma minori, apud Danielem Elſeuirium cum notis Farnabii. 1682. 8. Iacobus Gronouius notas ex autographo parentis auxit, et variorum ſelectas adiecit. *Stedini* 1690. 12. cura Redelii. *Francofurti* 1625. 8. cum notis Th. Farnabii.

§. LIII.

Seculo recentiſſimo Senecae prodierunt tragoediae *Amſtelodami* 1713. 12. cum notis Thomae Farnabii. *Delphis* 1728. 4. cum notis integris Ioh Frid. Gronouii, et ſelectis I. Lipſii, M. A. Delrii, I. Gruteri, H. Commelini, I. Scaligeri, D. et N. Heinſiorum, Th. Farnabii, et aliorum; item obſeruationibus nonnullis H. Grotii. Omnia recenſuit, animaduerſiones, notas, atque indicem nouum locupletiſſimumque adiecit, ipſum vero auctoris ſyntagma cum MS. codice contulit Ioh. Caſparus Schroederus. *v*)

§. LIV.

v) Vid. Acta Erudit. Lipſ. 1728. pag. 449.

Digitized by Google

§. LIV.

TITVS x) PETRONIVS ARBITER y) Maſſilienſis equeſtri genere natus, vir conſularis et inter principes ciuitatis maximam Neronis gratiam atque familiaritatem meruit. Ingenium et fata pluribus deſcribit TACITVS: z) *illi*, inquit, *dies per ſomnum, nox officiis, et oblectamentis vitae tranſigebatur. Vtque alios induſtria, ita hunc ignauia ad famam protulerat, habebaturque non ganeo et profligator, vt plerique ſua haurientium, ſed erudito luxu. Ac dicta factaque eius quanto ſolutiora, et quandam ſui negligentiam praeferentia, tanto gratius in ſpeciem ſimplicitatis accipiebantur. Proconſul tamen Bithyniae, et mox conſul, vigentem ſe ac parem negotiis oſtendit. Dein reuolutus ad vitia, ſeu vitiorum imitationem, inter paucos familiarium Neroni aſſumtus eſt elegantiae arbiter, dum nihil amoenum et molle affluentia putat, niſi quod ei Petronius approbauiſſet. Vnde inuidia Tigellini, quaſi aduerſus aemulum et ſcientia voluptatum potiorem. Ergo crudelitatem principis, cui ceterae libidines cedebant, aggreditur, amicitiam Sceuini Petronio obiectans, corrupto ad indicium ſeruo, ademtaque defenſione, et maiore parte familiae in vincla rapta.* Sic paucos intra dies eodem agmine Annaeus Mela, Cerialis Anicius, Rufus Criſpinus, et Petronius noſter cecidere,

T 3 C. Sue-

x) TACITVS annal. l. 16. c. 17. init. *Caium* vocat. *Titum* vero PLINIVS hiſt. nat. l. 37. c. 2. et PLVTARCHVS in libro de diſcr. amic. et adulat.

y) TACITVS annal. l. 16. c. 18. auctor eſt, Petronium Neroni *elegantiae arbitrum* fuiſſe, vt nihil amoenum et molle affluentia putaret, niſi quod ei Petronius approbaſſet. Satis ergo inde patet, ex qua re cognomen iſtud obtinuerit.

z) Annal. l. 16. c. 18. ſeq.

Digitized by Google

C. Suetonio Paulino et L. Teleſino coss. ab V. C. DCCCXVIII. poſt Chriſtum natum anno LXVIII. *a*) *Illis diebus Campaniam petiuerat Caeſar, et Cumas vſque progreſſus Petronius illic attinebatur. Nec tulit vltra timoris aut ſpei moras. Neque tamen praeceps vitam expulit, ſed inciſas venas, vt libitum, obligatas aperire rurſum, et alloqui amicos, non per ſeria, aut quibus conſtantiae gloriam peteret. Audiebatque referentes, nihil de immortalitate animae et ſapientium placitis, ſed leuia carmina et faciles verſus. Seruorum alios largitione, quoſdam verberibus affecit. Iniit et vias, ſomno indulſit, vt quanquam coacta mors, fortuitae ſimilis eſſet. — Flagitia principis ſub nominibus exoletorum feminarumque, et nouitate cuiuſque ſtupri perſcripſit, atque obſignata miſit Neroni. Fregitque annulum, ne mox vſui eſſet ad facienda pericula. Ambigenti Neroni, quonam modo noctium ſuarum ingenia noteſcerent, offertur Silia, matrimonio Senatoris haud ignota, et ipſi ad omnem libidinem adſcita, ac Petronio perquam fami-*

a) TACITVS annal. l. 16. c. 17. Hoc ergo illi ſcriptum eſt epitaphium in fronte editionis Haiminsfeldianae:

TITVS. PETRONIVS. ARBITER.
BITHYNIAE. PROCONSVL.
AVLAE. CAESAREAE. PRINCEPS.
DOMESTICVS. ET. ARCANORVM.
CONSILIARIVS.
VIR. INGENIO. VERE. AVLICO.
SVMMA. DOCTRINA. ET. ACRI.
IVDICIO. PRAEDITVS.
NERONE. CLAVDIO. IMPERATORE. VOLENTE.
AD. MORTEM. ACTVS.
A. C. N.
LXIIIX.
C. SVETONIO. PAVLLINO. L. PONTIO. TELESINO. COSS.
BIENNIO. ANTEQVAM. PETRVS. ET. PAVLVS. APOSTOLORVM PRINCIPES. PATERENTVR.

familiaris: agitur in exilium, tanquam non ſiluiſſet, quae viderat pertuleratque, proprio odio. Haec TACITVS. *b*) Moriturus etiam trullam murrhinam ccc. HS. emtam fregit, ne laetus poſt obitum eius Nero in conuiuiis illam vſurpare queat. *c*) Senecae aequalis, vel paulo minor, eadem cum ipſo fata et iniquitatem tyranni experiri debuit; nec valde videtur illi fuiſſe amicus. Vbi enim Stoicorum auaritiam arguit:

Ipſi qui Cynica traducunt tempora ſcaena,
Nonnunquam nummis vendere verba ſolent:

non obſcure Senecam notat: cuius in gubernatione Caeſaris ſuſpectum regimen, tanquam venale et ambitione plenum: vt maleuolorum ſemper obtinet inuidia: et raro ex aulicis alium non rodit alterius liuor. *d*) Nec obſcurum inde patet vtriuſque odium, quod nullibi Seneca in ſcriptis ſuis officioſis Petronii Arbitri mentionem facit, ſcriptor in collaudandis amicis minime gentium illiberalis aut parcus. Sectam ſecutus eſt noſter Epicureorum. Epicurum enim vocat patrem veri, i. e. auctorem et doctorem veritatis:

Ipſe pater veri doctus Epicurus in arte
Iuſſit, et hanc vitam dixit habere Deos.

Docent Epicurei, Deos res humanas non curare, ſed otioſos in coelis reſidere, eosque rident, qui Deorum aliquo timore afficiuntur. Sic et Petronius:

Primus in orbe Deos fecit timor: ardua coelo
Fulmina cum caderent. ———

In

b) L. c. cap. 19. et 20. *c*) Vid. PLINIVS hiſt. natur. l. 37. c. 2.

d) Sic quoque SERVILIVS coniiciebat, a Petronio Eumolpi nomine Senecam perſtringi. Illud vero SAN EVREMONIVS in iudicio de Seneca reiicit.

Digitized by Google

In voluptate ſummum ſtatuunt eſſe bonum. Petronius ergo: *viuamus*, inquit, *dum licet eſſe bene*. Tandem vitae exitus quoque Epicureorum comprobauit ſententiam, cum corporibus interire animas: nam illi nulla fuerat animae cura, qui vt immortalitatem rideret, plerumque res ludicras moribundus egit, referentes audiuit, et omnem animi aegritudinem diſſimulauit. Inſigni vero iniuria et immerito quidam eum dicunt exponere et commendare potius, quam ſatyrico ſale perfundere libidines et vitia aulae, in qua verſabatur. PETRVS BVRMANNVS *e*) Petronium arbitratur Claudii, Caligulae et Tiberii imperia attigiſſe, imo ipſius Auguſti felicia tempora vidiſſe: qui moderatiſſimus princeps, et omni vitae parte ciuilis, nullam prorſus luxuriae et lautitiarum maculam ſubiit; multum vero ab illius optimo inſtituto et diſciplina diſceſſit Tiberius, qui libidine omni impurus, rapinis et crudelitate reip. grauis. Caligula quoque caedibus, ſtupris atque rapinis omnia miſcuit. Stolidus et alieno ductu crudelis Claudius. Donec ipſe Nero, monſtro quam homini ſimilior, euertere viſus eſt quoque naturam et ſaeua libidine pluribus ſuoque tandem deliciarum Arbitro, vt paulo ſuperius relatum legimus, exitio fuit.

§. LV.

Quae cum ſatis clare omnia fuerint a Tacito relata, obſcurum, nedum, vt GYRALDVS *f*) habet, incompertum, quo tempore vixerit, quodue inſtitutum vitae ſectatus fuerit. Et valde miror, cum et ipſa ſatyra, et quae cum maior Plinius, tum ille iam nominatus annalium ſcriptor diligentiſſimus de obitu Petronii narrauit, aperte Neronis

e) Praefat. edit. ſuae. *f*) Dial. de poet. in vita Petronii.

nis imperium determinent: fuiſſe ex maximis quoque criticis, qui aetatem poetae ad principatum Gallieni vſque, vel Antoninorum reiicere non dubitarunt. PLACIDVS LVCTATIVS, Statii vetus interpres, eum Statio poſteriorum facit, quoniam verſus ab eo ſumſerit atque ſuis inſeruerit, vt illum

Primus in orbe Deos fecit timor.

Quaſi vero non eadem Statius a Petronio deſumere potuiſſet. HENR. VALESIVS *g*) et HADR. VALESIVS *h*) fratres doctiſſimi auctorem ſatyrici ab illo Taciti Petronio diſtinguunt, et argumentis parum exporatis, ille Gallieni, hic Antoninorum aetate Petronium vixiſſe opinantur. Nec defuerunt, qui ex inſigni temporum ignorantia Petronium noſtrum confuderunt cum quodam eius nominis Bononienſium ſanctiſſimo antiſtite, cuius praeclare pietatis monumenta in re chriſtiana circumferuntur. Petronianorum familia ordinis equeſtris fuit: et PLINIVS *i*) meminit P. Petronii

g) Iudicio de aetate Petronii. *h*) De eadem diſſert. epiſtol. ad Wagenſeilium. *Equidem exiſtimo*, inquit, *eum potius circa Antoninorum principatum vixiſſe, quam, vt frater meus arbitratur, Gallieni Auguſti aequalem fuiſſe: quod elegantia Petronii in aetatem Gallieni, h. e. in ſenectutem imp. Rom. ac veluti in faecem linguae Latinae, tot vndique gentium barbararum incurſionibus corruptae atque depravatae, cadere mihi non videtur.* Fruſtra: nam tunc quoque temporis, illarum vix habita ratione, fuerunt, qui ſermonis priſtinam elegantiam vindicare ſtuduerunt. Vt magis mirer CELLARIVM proleg. cur. poſt. illis ſeductum in vltimo aetatis argenteae loca collocaſſe Petronium, vt cuique integrum ſit vel reuocare ad ſuperiores, vel ad ſequiorem aetatem abiicere.

i) Hiſt. natur. l. 6. c. 29. confer. TACITVS annal. l. 3. cap. 49. et l. 6. cap. 45.

tronii equeſtris ordinis et praefecti Auguſtalis. Alius eſt procurator Norici; *k*) alius qui priſcus vocatur; *l*) alius quoque Petronius Turpilianus, Britanniae legatus, poſt triumphos interfectus. *m*) Ex illorum familia procul dubio et ille fuit Petronius, cuius GENNADIVS presbyter Maſſilienſis honorifice meminit. *n*) Sunt in catalectis Petronianis fragmenta P. Petronii Rhetoris, Petronii Grammatici, Petronii Afranii, Petronii Indici, M. Petronii Venuſiani, Petronii Antigenidis Piſaurenſis, et C. Petronii Hilarii Piſaurenſis, Petronii Apollodori Pontificis et XV. Viri Romani, et Petronii Leuitae.

§. LVI.

Omnium poetarum eloquentiſſimus et venuſtiſſimus Varronis more ligata et proſa oratione ſatyras *o*) ſcripſit, quibus perditos ſui temporis mores, Neronis praeſertim, cuius ſaevitiam ipſe expertus eſt, ſub exoletorum et cinaedorum ſpurcis figmentis, incoeſtas et execrabiles libidines notauit. Ex illis quod ſupereſt elegantiſſimum ſatyricon *p*) ita laceratum eſt ac detruncatum, vt vix Orpheum mulieres Thraciae, vel Pentheum Bacchae diſcerpſerint miſerabilius. Sic procul dubio religioſi homines, qui liberius ſcribendi genus ferre noluerunt, pro captu et ingenio ſuo res alias atque alias omiſerunt, ſpurca vt

k) Apud TACITVM hiſt. l. 1. cap. 70. *l*) Apud Tacitum annal. l. 15. c. 71. *m*) TACITVS annal. l. 14. c. 29. et 39. l. 15. c. 73. Hiſt. l. 1. c. 6. *n*) Libro de viris illuſtribus cap. 41. apud FABRICIVM bibl. eccl. pag. 20. conf. HONORIVS Auguſtodunenſis deſcript. eccl. l. 2. c. 41. ibid. pag. 83. et TRITHEMIVS de ſcript. eccleſ. c. 88. ibid pag. 26.

o) *Menippeas* vocant. confer. diſſert. de virili aetate Lat. linguae part. 1. cap. 4. §. 4. pag. 274.

p) Fragmenta huius ſatyrae, vt in MStis legitur, ſunt ex libro XV. et XVI.

Digitized by Google

vt videbantur expurgarunt, et ſatyram integram miſere lacerarunt. *q*) Illa vero non auctoris, ſed ſeculi et virorum in rep. principum flagitia fuerunt: quae et D. gentium Apoſtolus PAVLVS *r*) ſcriptor coaeuus et ſacer notauit, vt ſatyrici huius ſummam referre videatur. *Feminae*, inquit, *immutauerunt naturalem vſum, in eum qui eſt contra naturam. Similiter et maſculi, relicto naturali vſu feminae, exarſerunt in deſideriis ſuis inuicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes: et mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes. Et ſicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea, quae non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes,*

q) Ita nec imperito CONR. RITTERSHVSIVS ad Phaedri l. 4. fab. 13. coniicit, Petronii Satyricon truncatum et laceratum ab aliquo pio exſcriptore, qui loca obſcoena omiſerit. Quo et epiſtola ſua de Petronio P. PITHOEVS reſpicit, vbi *mihi quidem*, inquit, *certe caſtrare non libuit, ne quod imperitis iſtis ſectoribus et mangonibus accidit, ſimul et euitarem.* Sed obiicit FABRICIVS v. CL. bibl. Lat. l. 2. c. 11. p. 386. vnde tot obſcoeni ſales in illis quae ſuperſunt fragmentis? Illos inculti homines non intellexerunt, et obuios vel graſſiores tantum eliminarunt. Aliter SALMASIVS praefat. ad Ampelium: *conſueuerant multi ſtudioſi ſi quem auctorem legerent, retento lectionis ordine, quicquid ex eo indicarent excerpendum, in codicem ſuum regerere, et ſibi ſeruare. Vnde factum vt haec in bibliothecis priuatorum reperta ſaepe a librariis pro integris auctorum operibus deſcripta fuerint, ac ad poſteritatem aliis ſubinde ea excipientibus ac deſcribentibus propagata. Ita conſeruatus eſt elegantium nequitiarum curioſis Petronius Arbiter.*

r) Epiſt. ad Rom.

tes, *inſipientes*, *incompoſitos*, *ſine affectione atque foedere*, *ſine miſericordia* etc. Haec vero Sp. S. Romanos monere et hortari voluit, cum in omnibus vitiis vulgo volutarentur, flagitia quaeuis impune contra ipſam naturam patraret, et impuriſſimus omnium Nero imperator luxuriae ſaeuientis puerum Sporum, exectis teſticulis, in muliebrem naturam transformare conaretur, nec genera libidinum vel turpitudinis omnia numerari poſſent. Nec omnino vanum eſt magni cuiuſdam theologi dictum, caput primum ad Romanos ſine Petronii ſatyra intelligi non poſſe. Idem ſanctus Romanorum Apoſtolus *s*) ab ingruentibus vitiis abſtrahere conatur hoc modo: *nox praeceſſit*, *dies autem appropinquauit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum*, *et induamur arma lucis. Sicut in die honeſte ambulemus*, *non in commeſſationibus et ebrietatibus*, *non in cubilibus et impudicitiis*, *non in contentione et aemulatione*: *ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum*, *et carnis curam ne feceritis in deſideriis.* Fuiſſe ergo oportet miſerrimam vitae conditionem et ſummam impudicitiam, quam, vt ſolent ſatyrici, graphice ſtuduit ad nauſeam vſque et dedignationem deſcribere Petronius. In illa quae hodie ſupereſt, ſatyrici parte (longe vero maxima periit) inuehit 1. in artium profeſſores, qui ſtudioſam iuuentutem corrumpere non vereantur. 2. Cauſſarum forenſium notat patronos, eorumque calumnias atque rapacitatem deſcribit. 3. Sacerdotum infandas libidines taxat. 4. Tranſitum ad luxum conuiuiorum facit, quem ſub Trimalchionis nomine et lautitiis perſtringit. 5. De ſcelerata paedagogorum nequitia parentes ſerio monet. 6. Artificum inertiam accuſat. 7. Publicarum balnearum turpi-

s) Rom. cap. 13.

Digitized by Google

turpitudinem exponit. 8. Negotiatorum, mercatorum, et eorum qui diuitias quaerunt, fortunas profert: atque feminarum leuitatem obiter reprehendit. 9. Caſtigat mulierum laſciuiam et inſanum amorem, quo peregrinos adoleſcentes ambire ſoleant vltro, et laceſſere donis. 10. In fraudes et impoſturas exulum, natale ſolum euertentium inuehitur. 11. Stilum exacuit in teſtatorum inſaniam, quod turpes atque nefarias conditiones teſtamentis adiiciant. Neque Graecorum pepercit, qui prauos ſuos mores *t*) atque nouam libidinem ſecum adduxiſſe videbantur. Adeoque, vt facere ſolent palliati comici, geſta finxit pleraque eſſe in vrbe Graeca: quo peregrinam turpitudinem ſuorum animos vitasque occupaſſe demonſtret. Certas vbique perſonas introduxit, et maxime ſolicitam dedit operam, vt τὸ πρέπον, i. e. cuiuſque mores conuenientes notasque velut proprias exprimeret. Sunt vero perſonae ſequentes *Aeſius*; *Agamemnon* ſcholaſticus; *Albutia* amica; *Aſcyltos* adoleſcens; *Bargates* ſeruus; *Carpus* ſeruus. *Chryſis* ancilla. *Circe* amica. *Corax* tonſor. *Doris* amica. *Embaſicoetas* cinaedus. *Encolpius* fabularum dux. *Endymio* puer. *Enothea* Priapi ſacerdos. *Eumolpus* poeta. *Gnithon* puer. *Gorgias* aduocatus. *Licas* mercator. *Lycurgus*. *Manicius*. *Menelaus* ſcholaſticus. *Pannychis* puella. *Philumena* meretrix. *Polienus* fabularum dux. *Proſelenus* anus. *Pſyche* ancilla. *Quartilla* Priapi ſacerdos. *Trimalchio* diues. *Tryphena* vxor. Sub illis perſonis adſcititiis Petronius, auctor nitidiſſimus et faceriſſimus omnium elegantiarum arbiter, Neronis et Quiritium res obſcoenas, turpes libidines, et facinora inceſta deſcripſit. Ea ſatyra, niſi res, quibus

 refer-

t) Confer. D. PAVLI Apoſtoli epiſtola ad Galatas cap. 5, Priori ad Corinthios cap. 6.

referta eſt tota, ſpurcae ac nimium laſcivae pluribus diſplicerent, nihil purius, nihil venuſtius, nihil elegantius, in toto Latio extaret. Satyricum vulgo inſcribitur: BVRMANNVS, V. Cl. et Petronii editor accuratiſſimus, vero contendit, forma Graeca inſcribendos eſſe potius libros Satiricôn: quod veriſimile faciunt alia pari modo accipienda, vt Hygini poeticon aſtronomicon, Fulgentii Mythologicon, Ouidii metamorphoſeon et halieuticon etc. Cum multis aliis MORHOFIVS *v*) arbitratur illum ſatyricum, iam tum morientem loco teſtamenti conſcripſiſſe. Idem vero BVRMANNVS eruditiſſime probat, apud TACITVM *x*) per codicillos, quibus exoletorum et feminarum ſtupra atque libidines ſub mortem conſignauerit, hoc ſatyricon opus intelligi non poſſe. Nihil certe codicilli aut teſtamenti illud refert, ad omnium notitiam in vulgus editum: et ſecretiſſimum oportet aliquid fuiſſe, quod Petronius mori iuſſus obſignatum Neroni miſit.

§. LVII.

Laudatae illius ſatyrae perexiguum primo fragmentum prodiit: donec inſigne aliud Petronii fragmentum accederet, quod integram fere coenam Trimalcionis deſcribit. E bibliotheca Nicolai Cippici Tragurii in Dalmatia Marinus Statilius, ſeu, quod verum eius nomen eſt, Petrus Petitus, Tragurienſis iureconſultus, illud eruit: Paulus Frambottus vero, typographus Patauinus primum edidit 1664. 8. ipſo repertore inſcio, iuſſu oratoris Veneti, qui tum Romae degebat. Eruditorum alii theſaurum hunc auide arripuerunt; alii velut indignum Petronii foetum, nequid ſibi paterentur imponi, reiecerunt, atque rem illam in vtramque partem diſputarunt. Exem-

v) Polyhiſt. lit. l. 4. c. 12. §. 10. *x*) Annal. l. 16. c. 19.

Exemplum Nicolaus Heinſius miſit ad Ioh. Schefferum, qui mox illud cum ſuis notis et indice recudi curauit, ac praeliminari diſſertatione genuinum eſſe fragmentum aſſerere ſtuduit. Mox et Thom. Reineſius illud edidit Lipſiae cum ſuis atque Schefferi notis: ille non omnia quidem ſuppoſita, ſed tamen a barbara manu quaedam eſſe agnoſcit. Tilebomenius, quem per anagramma Iacobum Mentelium eſſe, PLACCIVS *y*) docuit, genuinum agnoſcit eſſe hoc recens inuentum Petronii fragmentum. Hadrianus Valeſius, Ioh. Chriſtoph. Wagenſeilius et plures alii *z*) pro ſuppoſito habuerunt, de Statilii et codicis manuſcripti fide dubitantes. Quibus acceſſerunt Placcius, *a*) Ioh. Frid. Gronouius, *b*) et Franciſcus Vauaſſor, *c*) qui inter alia ad Ludouicum Borbonium, Principem Condeum ſcribit:

Aſſuitur comti ſatiris male cento Petroni,
Nec fraudem, Princeps ingenioſe, vides?
Hic nihil e Latio, nihil almas ſpirat Athenas etc.
Fragmentum ne crede; duplex Petronius eſt hic,
Aduena Romano Dalmata ſeruus hero eſt.
Iſte ſonum et linguam nunc primum diſcet herilem,
Incipit iſte aliquid iam Latiale loqui.
Proficiet, ſpes eſt etc.

Ipſe vero Marinus Statilius Traguriensis ideo ſcripſit apologiam ad patres conſcriptos reip. literariae, qua Petronio fragmentum iſtud aſſerit. Tandem productus eſt codex ille manuſcriptus Dalmaticus Romae, et eius ſcriptura ſatis antiqua obſeruata. Haec teſte MORHOFIO *d*) Schef-

y) De pſeudon. p. 266. *z*) Vid. Ephemerides Pariſ. an. 1666. n. 15.
a) L. c. *b*) Libro nouo obſeru. p. 198.
c) Epigramm. l. 2. epigr. 81. ſeqq.
d) Polyhiſt. liter. l. 4. c. 12. §. 10.

Schefferus ad eum ſcripſit anno 1669. menſe Martio his verbis: *Ego nihil habeo, quod nunciem, niſi hoc vnicum, quod ſcribam non meis, ſed Clar. Falconerii verbis, ex epiſtola Romae exarata ante ſex hebdomadas ad Nobil. Nicol. Heinſium. Exciderat, inquit, pene, quod Cl. Schefferum ſcire praecipue intereſt, allatum huc tandem e Dalmatia Petroniani fragmenti codicem, quem, conſtanti eruditorum omnium ſuffragio, ante* 300. *circiter annos ſcriptum fuiſſe conſtat: vt inde validiſſimum argumentum peti poſſit, ad eorum opinionem euertendam, qui id fragmentum ſuppoſititium aſſerere praecipiti iudicio conati ſunt. Nemo enim erit, cui perſuadeant, ea aetate quenquam fuiſſe, cui Petronii laruam geſtare atque in auctore ſuppoſito paruo edendo, qui ea tempeſtate, vt credibile eſt, vix eruditioribus notus fuerit, gloriam quaerere in mentem venire potuerit.* Poſt tot tantasque virorum illuſtrium lites, iam plerique illius fragmenti auctorem agnoſcere Petronium haud dubitant, atque notant, eum hic de induſtria quaedam putida et affectata, imo ſordida inſeruiſſe, illis videlicet perſonis digna, quas loquentes producit. Nunc ergo fragmentum illud ſuo loco apud Petronium inſertum et omnino neceſſariis Doctiſſimorum Virorum, ipſius Burmanni commentariis illuſtratum legimus. Hoc ipſum fragmentum Tragurianum de libera coena Trimalcionis, ſatis accurate expreſſum, vna cum verſione Gallica, e regione textus Latini poſita, quam plurimis etiam adiectis annotationibus Labaurius edidit *e*) tanquam hiſtoriam Neronis ſecre-

e) *Hiſtoire ſecrete de Neron* vel Neronis Caeſaris hiſtoria ſecreta, ſeu coena Trimalcionis, ex ſatyra Menippaea Petronii, in linguam Gallicam conuerſa, et notis hiſtoricis illuſtrata, a Domino Labaur. Pariſiis 1717. 12. Confer. Acta Erud. Lipſ. 1718. pag. 169. ſeqq.

Digitized by Google

ſecretam; non quaſi ἀνέκδοτα et hactenus incognita de hoc imperatore prodat, ſed quod ſub nominibus, perſonis, et actionibus fictis, priuatam Neronis inter aulicos vitam, incontinentem illam et plane deridiculam, moresque perditos, cum ipſius imperatoris, tum collibertorum et ſodalium eius, quaſi in tabula depingat et repraeſentet. Ita pluribus doctisque argumentis, ſub larua Trimalcionis Neronem a Petronio occultari probat: nummosque faciem Neronis, et inuerſa parte Trimalcionis nomen exhibentes, profert.

§. LVIII.

Eo felici rerum ſucceſſu, et alii fuerunt, qui integra Petronii opera ab ſe inuenta iactitaſſent. Praeter iſtud laudatum modo Petronii fragmentum, non ſolum multa alia, ſed totum ſatyricon, cum Alba Regalis anno 1688. a Chriſtianis expugnaretur, erutum, atque ſibi a Du Pinio quodam, nobili Gallo ſub Imperatore ſtipendia merente, communicatum Franciſcus Nodotius, itidem miles, Roterodami 1693. 12. in publicam lucem prodire iuſſit, non ſine confidentiſſima criticorum prouocatione, quos ſibi perſuadet non temere nouum iſtud inuentum reiecturos eſſe. Sic quoque Gallus alius, interpres ſatyrici opinatur, cuius verſio cum Latino Nodotii textu Amſtelodami (licet titulus Coloniam habeat) 1694. 12. prodiit. Poſtea Nodotii Petronius iterum iterumque recuſus eſt: quem criticorum cordatiores plerique reiiciunt. Et BVRMANNVS Vir Cl. *f*) pro ſubdititio habet, ac nullam plane iſtius in nitidiſſima editione ſua rationem habet. Ac PETRVS FRANCIVS haud immerito Nodotiana ſupplementa alloquitur: *Salue*

f) In praefat. et in notis p. 92. 217. 316. alibi.

Salue nec Latio, libelle, naſo,
Nec lingua facili, nec elegante.

Fraudem nimis apertam agnouerunt LEIBNITZIVS, *g*) IOH. FRID. CRAMERVS, *h*) IAC. PERIZONIVS, *i*) et RICH. BENTLEIVS. *k*) Anonymus quidam idiomate Gallico Pariſiis 1694. 12. obſeruationes edidit in Petronium Albae Graecae repertum, et multis argumentis eum pro genuino partu agnoſcendum minime eſſe demonſtrauit. Illi quidem NODOTVS anti-criticam Petronianam appoſuit itidem Gallice: *La contre critique de Petrone, ou reponſe aux obſeruations ſur les fragmens trouuez a Belgrade en* 1688. *auec la reponſe a la lettre ſur l' ouurage et la perſonne de Petrone, a Paris* 1700. 8. vbi ipſe auctor ſibi promittit, quod lectores, qui Petronii ſtudio ducuntur, in hoc libro cum voluptate ſint contemplaturi *le triomphe des nouueaux fragmens.* Sed nihil praeter verba, parum ingenii et argumentorum profert, quibus pſeudo Petronium ſuum tueri poſſe videatur. Et olim increbuerat fama, Petronii ſatyricon plenius apud Muretum extare: quod falſum breui poſt deprehenſum eſt. *l*) Nec credere fas eſt, quod SCIOPPIVS *m*) de Baudio narrat, Pariſiis daemonem conſuluiſſe de reconditis theſauris, de Petronio praeſertim, vtrum integer alicubi extaret. Idem fabulantur de Dan. Eremita. *n*) Et LEO ALLATIVS inter alia, quae de eruditis daemonem conſulentibus in limine libri de patria Homeri con-

g) In literis ad Tentzelium. *h*) In vindiciis nominis Germanici contra quoſdam obtrectatores Gallos.

i) In Curtio vindicato p. 53. *k*) Differt. Angl. ſcripta de epiſtolis Phalaridis p. 10.

l) Vid. Ephemerid. Pariſ. ann. 1666. 12. April.

m) In amphotidibus Scioppianis p. 116. *n*) Vid. IOH. FABRICIVS in hiſtoria biblioth. ſuae part. 3. pag. 465.

congeſſit, alicuius meminit, qui nefariis ſacris ex impuro ſpiritu fuerit ſciſcitatus, vtrum Petronius, et vbi integer ſupereſſet?

§. LIX.

Praeter Tacitum atque Plinium ex veteribus noſtri poetae mentionem fecerunt TERENTIANVS MAVRVS: *o*)

Et condere inde Carmen
Multi ſolent poetae.
Horatium videmus
Verſus tenoris huius
Nuſquam locaſſe iuges.
At Arbiter diſertus
Libris ſuis frequentat.

Alibi: *p*)

—— quo memorant Anacreonta
Dulces compoſuiſſe cantilenas:
Hoc Petronius inuenitur vſus.

PLVTARCHVS *q*) eum profert, vt Neroni adulatus fuerit. SERVIVS: *r*) *nomina in tor communia ſunt, vt hic et haec balneator: licet Petronius vſurpauerit, balneatricem dicens.* HIERONYMO *s*) placet illud inprimis Arbitri, *non bene olet, qui bene ſemper olet.* MACROBIVS *t*) Arbitrum noſtrum miratur ſe multum exercuiſſe eo fabularum genere, quo argumenta fictis caſibus amatorum referta exornarit. FVLGENTIVS *v*) laudat Petronianam, Albutiam, et omnem eius ſatyram intelligit, quae modum imponere poſſit furentibus. Ea vero parte manca eſt, qua ſtili acu-

o) De iambico dimetro claudo, apud Purſchium pag. 2438.
p) Sexto hendecaſyllaborum. *q*) De adulator. et amic. diſc. p. m. 266. *r*) Aeneid. l. 12. *s*) Epiſt. ad Demetr.
t) In ſomnium Scipionis l. 1. c. 2. *v*) Mytholog. l. 1. praef.

acumen ſubiit. fortaſſis illa a TACITO *x*) notata et multorum amoribus famoſa Albucilla. Summis eum laudibus ornat quoque IVLIVS ROMANVS: *y*)

Petronii carmen diuino pondere currit,
Quo iuuenum mores arguit atque ſenum.
Quare illo prae ſe gaudet laſciua puella,
Ac quoque delicias frigida ſentit anus.
Nam ſubter diri ſcripſitque Neronis amictu
Arbiter arbitrio dictus et ipſe ſuo.

§. LX.

ADRIANO TVRNEBO teſte *z*) Memmius Petronium ſub ſera et clauſtro habuit, ne quem foris obſcoenus et laſciuus ſcriptor impura ſua petulantia contaminet. Et quod ipſe *a*) iudicauit orationis venuſtatem ſpurciſſimis amoribus inquinauit. MORHOFIVS *b*) *impuriſſimum*, inquit, *ſatyricum moriens iam loco teſtamenti conſcripſit, in quo principis flagitia ſub nominibus exoletorum feminarumque, laſciuiſſima ſcriptione, ſed terſa tamen nitidaque perſtrinxit. —— Quanquam autem non integer ſuperſit Petronius, ſed primo exiguum tantum eius fragmentum prodierit, idque immani laſciuarum ſpurcitierum ingluuie ſcatens, mirum tamen, quam multi Chriſtianorum reſtituendo illuſtrandoque turpi nequitiarum promocondo inſudarint, bonasque interdum horas male perdiderint.* RAMSREZIVS ſcriptor Hiſpanus eum impuriſſimae puritatis auctorem vocat.

§. LXI.

Subobſcoena ſunt, fateor, atque nefarii amoris aliorumque ſcelerum plena Petronii quotquot ad nos peruenere fragmenta. Arceantur flagitia et peſſima, quae ſuis

x) Annal. l. 6. c. 47. ſeq. *y*) Epigram. *z*) Aduerſ. l. 2. cap. 20.
a) Aduerſar. l. 19. c. 6. *b*) Polyhiſt. liter. l 4. c. 12. §. 10.

ſuis oculis et auribus vſurpare conſueuit in dies diſcendi cupida iuuentus, per ciuitatem vtriuſque ſexus exempla. Res fuerit ſalua caſtaque ſemper non caſti ſcriptoris pagina. Sine literis homines plerique voluptatibus indulgent, quamcunque hauriunt nequitiam, et eleuſinia ſacra ſaepius profanare diſcunt. Et boni malorum laſciuiam ſcriptis proditam fugientibus legunt oculis, nec deteriores fiunt. c) Quemadmodum rebus optimis ad ſua ſcelera abutuntur homines vani: ſic leuiſſimae quaequae prudentioribus atque cautis prodeſſe poſſunt. E ſpinis colligimus roſas. Et Virgilius olim, cum legeret Ennium, probe nouerat a ſtercore diſcernere aurum, vt doctior euadat. Eum imitabimur in Petronii lectione, qui vbi laſciuus, petulans, mollis, ſuo lectori non magis nocebit, quam Ennius Maroni, vbi rudis, aſper et incultus. Noſter vero indicare vitia voluit, vt fugiantur, et ſuam omnium optime luſit fabulam. Et neſcio, Veneremne impudicitia et voluptate nefaria inuiſam deturbarit magis, an ornauerit: cum inter ridenda flagitia ipſe nullas dicendi veneres nullasque elegantias praetermiſit: vt eloquentiſſimorum apud Latinos familiam ducat, ac vere ſit elegantiarum arbiter: quicquid ſeueriores obloquantur Catones, vt Helleſpontiaco eum faciant parem Priapo. Satyricus hominum flagitia ſatyrice perſtrinxit:

 quod

c) Ita LIPSIVS de Petronio epiſtol. quaeſt. l. 3. epiſt. 2. *Abeſſet tantum nuda illa nequitia: qua tamen nihil offendor; ioci me delectant, vrbanitas capit: cetera nec in animo, nec in moribus meis magis labem relinquunt, quam olim in flumine veſtigium cymba. Vt vina appoſita vinoſum mouent; inuinium, vt antiqui loquebantur, non mouent: ſic iſta animum iam ante improbum fortaſſe incient; caſto et caſtigato non adhaerent.*

quod et Lucilius, Horatius, Varro, Iuuenalis, Perſius, Martialis, plures alii fecerunt. Neque Suetonius, Dio, Lampridius, Oroſius, Xiphilinus, hiſtorici alii, honeſtiora deſcribere potuerunt, quam Nerones, Domitiani, Heliogabali perpetrarunt. Eademque D. Paulus Apoſtolus in epiſtolis paſſim praeſertim vero ad Romanos principio pari libertate memorat et reprehendit. Vtinam in vita hominum communi, in conſuetudine vniuerſa et quotidiano vſu non plena eſſent obſcoenitatum omnia! vtinam in mortalium animis non eſſet vitiorum ſtabulum atque perennis libidinum ſentina! Adeo nos non laboraremus. Ductare meretricem, alludere ad ſcortum, adulterari heram, medium amplecti puerum, deflorare virginem: haec ſunt, quae cum homines verecundi apud Petronium legunt, iraſcuntur et aegre ferunt: quaſi idem non quotidie vulgo videre, audire, experiri ſoleant. Et nos amamus verecundiam, et nihil peccamus, ſi cum ſacris atque acerrimis morum cenſoribus prauam populi conſuetudinem, res foedas, vitam inquinatam, turpitudinem et quae non verentur patrare flagitia, ad redarguendam conſuetudinem, nominamus. Ipſe, vt ingenio erat ſagaciſſimo, maleuolorum praeoccupauit iudicia, eaque verſibus elegantiſſimis eluſit:

Quid me conſtricta ſpectatis fronte Catones,
Damnatisque meae ſimplicitatis opus?
Sermonis puri non triſtis gratia ridet:
Quodque facit populus, candida lingua refert.

Ita mos fuerat ſeculi, in quod incidit poeta, vt ipſe culpa vacet: qui cum aliorum haberet exempla, id ſibi non licere neſciebat aperte fateri, quod vulgo cum Principe omnes facere non verebantur; ea quidem turpitudine, riſu, deteſtatione, vt ſpes reliqua eſſet fore, vt homines

nes ab ea tam perverſa et foeda conſuetudine abhorreant; atque ſatyra ſaluberrimos fructus reportare queat. Cum vero minorem in ſua cauſſa auctoritatem habeat poeta, qui crimen a ſe amoliri ſtudet: in partes vocemus alios, vt Muſam nulli ſuam nocere doceant. CATVLLVS: *d*)

— — Caſtum decet eſſe pium poetam
Ipſum, verſiculos nihil neceſſe eſt.

OVIDIVS: *e*)

Crede mihi, diſtant mores a carmine noſtri,
Vita verecunda eſt, Muſa iocoſa mihi.

MARTIALIS: *f*)

Laſciua eſt nobis pagina, vita proba.

Quocum omnino conuenit illud D. ADRIANI in Voconium ſuum: *g*)

Laſciuus verſu, mente pudicus erat.

Ipſe AVSONIVS *h*) Vir conſularis, morum antiquorum et priſcae grauitatis, Diui Paulini amicitia inprimis clarus, in eandem ſententiam ſcripſit:

Noſtra ſimul variis certant epigrammata nugis,
Stoicus has partes, has Epicurus agit.
Salua mihi veterum maneat modo regula morum,
Ludat permiſſis ſobria Muſa iocis.

Licetne bonos etiam nobis imitari medicos, qui ex nocentibus vel herbis, vel animalibus, vtilia poſſunt conficere pharmaca? Nobisne licet etiam prudentibus diſcernere quaelibet, ac reſeruare quae ſunt ex ſingulis optima? Virtus magis elucet e vitiorum tenebris evoluta. Ne meſſores quidem omnes protinus abiiciunt manipulos propter-

d) Carm. 16. Ad Aurelium et Furium. v. 5. *e*) Triſt. lib. 2. v. 353. *f*) Lib. 1. epigr. 5. *g*) Teſte APVLEIO apologia I. *h*) Epigr. 9.

Digitized by Google

propterea, quod auena, lolium, aliaque frugum vitia tritici admixta ſunt ſpicis. Nulla nobis obſcoenitas ſcripta eſt, quibus maior animus, eaque ſtudiorum elegantia: vt venerandae antiquitatis gemmas colligentibus quiſquiliae aut res profanae quae ne tanti quidem ſunt, aliquo modo peſiſtere, noſtraſque curas morari poſſint. Ad nos quid illa ſeculi turpitudo? Haec nulli prorſus condatiorum impedimento eſſe debet, quo minus ſcriptoris eligantiam diligat, lectitet, imitetur: quo tandem veteris latii nitorem, venuſtatem, omnesque virtutes ingenue et praeter peſſimum ſeculi vſum referre diſcat. Nec immerito rurſum monet OVIDIVS: *i*)

Omnia peruerſas poſſunt corrumpere mentes:
Stant tamen illa ſuis omnia tuta locis

— — — — — — — — —

Nec tamen eſt facinus verſus euoluere molles:
Multa licet caſtae non facienda legant.

§. LXII.

De dictionis elegantia ſummorum criticorum nemo dubitat. IANVS GVLIELMVS *k*) ad Petrum Pithoeum ſe conuertens, *non*, inquit, *de nihilo Petronium amas, vernulae et Latinae vrbanitatis puriſſimum fontem. Nam floralia ſacra quod celebrat ſine fuco atque fallaciis, more Romano, non tam ſeueri eſſe debemus, vt quod in aliis ferimus, quia neceſſe eſt, in hoc vno damnemus, qui illis apertior fortaſſis eſt, at non inhoneſtior.* Alibi: *l*) *te conſulo, A. Oiſele, quem Arbitri ſtudioſum opinor, vel quia mundiſſimi in ſermone nitoris eſt, vel quia* etc. IVSTVS LIPSIVS *m*) ſcriptorem vocat terſum et venuſtum, et niſi quod

i) Triſtium lib. 2. v. 301. *k*) Plautin. quaeſt. in Epidic. c. 5.
l) In Moſtellar. c. 4. *m*) Antiquar. lect. l. 1. c. 8.

quod in re illa voluptatum nimis Latine interdum loquatur, cetera laudatum. Ad P. Pithoeum ſcribit: *n) vt in vita, ſic in ſtudiis iuuat ſeueritati adſperſa comitas. Ea cauſſa frequenter ſoleo a grauioribus libris animum quaſi in ludum mittere ad ſcriptores amoeniores. Quo in numero Petronium repono, quicquid dicant iſti frontis ſeuerae. Et tua fide P. Pithoee, vidiſtin quidquam venuſtius, argutius, poſt natas Muſas? non ego.* FRANCISCVS RAPHELENGIVS *o*) amoeniſſimae eruditionis et eruditiſſimae feſtiuitatis auctorem vocat. Sic quoque LILIVS GREGORIVS GYRALDVS, *p*) licet fragmenta ad nos tantum peruenerint, eademque parum caſtigata, multae tamen eruditionis hominem fuiſſe: quem in taxandis moribus cum acrem, tum feſtiuum maxime, et iocis ſeria miſcentem videamus. Ipſe GVIRANDVS ALOSIANVS, *q*) qui in turpitudinem rabidi et nefandi Cupidinis, a Petronia expoſitam, quam maxime inuehitur, de faecati ſermonis puritiam agnoſcit ac merum leporem, priſcas negotiorum quoque formulas multas et elegantes. CASP. BARTHIVS *r*) eum vocat Neronianarum libidinum arbitrum, qui de ſcriptis etiam voluerit ſuis ſummam prudentiam, exquiſitiſſimam ſapientiam et elegantiſſimam eloquentiam inter propudioſiſſimas libines elucere. Quomodo vero, vt ſummus ille criticus addit, illudere potuerit dictis ſcriptisque vanitati curarum humanarum, *homo voluptatibus corpore, animo virtuti deditus*, ego, vt quid ſentiam ingenue fatear, intelligere non poſſum.

§. LXIII.

Non diffitemur tamen, quod PETRVS BVRMANNVS *s*) quo-

n) Epiſtol. quaeſt. l. 3. epiſt. 2. *o*) In praefat. edit. Petronianae.
p) Dial. de poet. in vita Petronii. *q*) Epiſtola ad Arnaudum.
r) Ad Claudian. p. 28. *s*) Praefat. editionis ſuae.

Digitized by Google

propterea, quod auena, lolium, aliaque frugum vitia tritici admixta ſunt ſpicis. Nulla nobis obſcoenitas ſcripta eſt, quibus maior animus, eaque ſtudiorum elegantia: vt venerandae antiquitatis gemmas colligentibus quiſquiliae aut res profanae quae ne tanti quidem ſunt, aliquo modo peſiſtere, noſtrasque curas morari poſſint. Ad nos quid illa ſeculi turpitudo? Haec nulli prorſus condatiorum impedimento eſſe debet, quo minus ſcriptoris eligantiam diligat, lectitet, imitetur: quo tandem veteris latii nitorem, venuſtatem, omnesque virtutes ingenue et praeter peſſimum ſeculi vſum referre diſcat. Nec immerito rurſum monet OVIDIVS: *i*)

Omnia peruerſas poſſunt corrumpere mentes:
Stant tamen illa ſuis omnia tuta locis

— — — — — — — —

Nec tamen eſt facinus verſus euoluere molles:
Multa licet caſtae non facienda legant.

§. LXII.

De dictionis elegantia ſummorum criticorum nemo dubitat. IANVS GVLIELMVS *k*) ad Petrum Pithoeum ſe conuertens, *non*, inquit, *de nihilo Petronium amas, vernulae et Latinae vrbanitatis puriſſimum fontem. Nam floralia ſacra quod celebrat ſine fuco atque fallaciis, more Romano, non tam ſeueri eſſe debemus, vt quod in aliis ferimus, quia neceſſe eſt, in hoc vno damnemus, qui illis apertior fortaſſis eſt, at non inhoneſtior.* Alibi: *l*) *te conſulo, A. Oiſele, quem Arbitri ſtudioſum opinor, vel quia mundiſſimi in ſermone nitoris eſt, vel quia* etc. IVSTVS LIPSIVS *m*) ſcriptorem vocat terſum et venuſtum, et niſi quod

i) Triſtium lib. 2. v. 301. *k*) Plautin. quaeſt. in Epidic. c. 5.
l) In Moſtellar. c. 4. *m*) Antiquar. lect. l. 1. c. 8.

Digitized by Google

quod in re illa voluptatum nimis Latine interdum loquatur, cetera laudatum. Ad P. Pithoeum ſcribit: *n*) *vt in vita, ſic in ſtudiis iuuat ſeueritati adſperſa comitas. Ea cauſſa frequenter ſoleo a grauioribus libris animum quaſi in ludum mittere ad ſcriptores amoeniores. Quo in numero Petronium repono, quicquid dicant iſti frontis ſeuerae. Et tua fide P. Pithoee, vidiſtin quidquam venuſtius, argutius, poſt natas Muſas? non ego.* FRANCISCVS RAPHELENGIVS *o*) amoeniſſimae eruditionis et eruditiſſimae feſtiuitatis auctorem vocat. Sic quoque LILIVS GREGORIVS GYRALDVS, *p*) licet fragmenta ad nos tantum peruenerint, eademque parum caſtigata, multae tamen eruditionis hominem fuiſſe: quem in taxandis moribus cum acrem, tum feſtiuum maxime, et iocis ſeria miſcentem videamus. Ipſe GVIRANDVS ALOSIANVS, *q*) qui in turpitudinem rabidi et nefandi Cupidinis, a Petronia expoſitam, quam maxime inuehitur, de faecati ſermonis puritiam agnoſcit ac merum leporem, priſcas negotiorum quoque formulas multas et elegantes. CASP. BARTHIVS *r*) eum vocat Neronianarum libidinum arbitrum, qui de ſcriptis etiam voluerit ſuis ſummam prudentiam, exquiſitiſſimam ſapientiam et elegantiſſimam eloquentiam inter propudioſiſſimas libines elucere. Quomodo vero, vt ſummus ille criticus addit, illudere potuerit dictis ſcriptisque vanitati curarum humanarum, *homo voluptatibus corpore, animo virtuti deditus*, ego, vt quid ſentiam ingenue fatear, intelligere non poſſum.

§. LXIII.

Non diffitemur tamen, quod PETRVS BVRMANNVS *s*) quo-

n) Epiſtol. quaeſt. l. 3, epiſt. 2. *o*) In praefat. edit. Petronianae.
p) Dial. de poet. in vita Petronii. *q*) Epiſtola ad Arnaudum.
r) Ad Claudian. p. 28. *s*) Praefat. editionis ſuae.

Digitized by Google

quoque notauit, paſſim occurrere, in illa libri parte, vbi Petronius ipſe ſui ſermonis auctor eſt, quae ſingularia et nullo veterum exemplo probari poſſunt; imo quaedam eſſe illi aeuo communia et peculiaria. *t*) Neque adeo miramur, ea occurrere, quae in eo genere, in quo occupatur, hominibus exoletis, mulieribus, coquis, ancillis, conuiuis, famulis mercenariis et aliis, quos loquentes introducit, vſitata fuerunt. *v*)

§. LXIV.

Quoquo ſe res habeat modo, integrum Petronii opus deſideramus: et fragmenta eius tantum hodie quaedam extare dolemus. Haec vero etiam ſupereſſe, illorum ſolicitudine acceptum ferimus, qui, quod in elegantiſſimo opere placuit, ſua manu deſcribere atque in vſus priuatos ſibi ſeruare voluerunt. Nam, vt recte SALMASIVS *x*) notat, conſueuerant multi ſtudioſi, ſi quem auctorem legerent, retento lectionis ordine, quicquid ex eo iudicarent excerpendum, in codicem ſuum regerere, et ſibi ſeruare. Vnde factum, vt haec in bibliothecis priuatorum reperta ſaepe a librariis pro integris auctorum operibus deſcripta fuerint, adeoque ad poſteritatem, aliis ſubinde ea excipientibus ac deſcribentibus, propagata. Atque ita, niſi me omnia fallunt, etiam Petronius Arbiter ab elegantium nequitiarum curioſis, non tamen integer, conſeruatus eſt.

§. LXV.

Satyrici fragmenta primum edita ſunt *Venetiis* 1499. per

t) Quae BARTHIVS notauit Aduerſ. l. 12. c. 1.

v) Nodotiana ſupplementa non agnoſcimus, quae barbara multa et Petronio indigna continet. In ipſis vero etiam fragmentis Tragurienſibus dictiones inuſitatae frequentiores occurrunt.

x) Praefat. ad Ampelium.

per Bernardinum de Vitalibus, Venetum. Mox *Lipſiae* 1500. per Iacobum Thanner, Herbipolenſem, cura Hermanni Buſchii Monaſterienſis. Legitur in frontiſpicio: *Petronius Arbiter poeta ſatyricus.* Deinde: *Petronii Arbitri ſatyra, in qua vitia Romanorum reprehenduntur, incipit.* In fine: *Finis Petronii Arbitri in ſatyra integra. Impreſſum Liptzigk per Iacobum Thanner Herbipolenſem, anno ſalutis noſtrae* 1500.

§. LXVI.

Sequenti ſeculo Petronius prodiit *Pariſiis* 1520. curante Reginaldo Chalderio. In frontiſpicio: *Petronii Arbitri, quatenus extare comperitur, ſatyrae fragmentum, cuius vel hoc vnum diſtichon, quod nemini doctiorum non eſt in ore, aeſtimationem indicat et pretium:*

Quiſquis habet nummos, ſecura nauiget aura;
Fortunamque ſuo temperet arbitrio.

In calce vero: *haec ad exemplar, quod unicum habuimus, excuſa ſunt. Quiſque pro ſuo arbitrio et eruditione, quod ſibi diſplicet, reſtituat. Pariſiis pridie Cal. Maias M.D.XX.* Deinde 1575. 12. apud Patiſſonium. 1585. 8. apud Guil. Linocerium, cum Iani Douſae Patris praecidaneorum libris tribus. 1587. 12. apud Patiſſonium, cum Iani Douſae praecidaneis, additis Ioh. Richardi notis, et Dupeyratii ſpicilegio. *Lugduni* 1575. 8. apud Tornaeſium, ex recenſione Dionyſii Lebei Batillii, cum variarum lectionum libello. *Antuerpiae* 1565. 8. apud Plantin. cum Ioh. Sambuci caſtigationibus. *Lugduni Batau.* 1585. 8. cum Iani Douſae Patris praecidaneorum tribus libris. 1596. 12. cum Ioh. Woweri notis.

§. LXVII.

Felix erat ſeculum decimum ſeptimum inuentione partis haud exiguae illius ſatyrae. Nam, vt ſupra monui-

 mus,

Digitized by Google

mus, Tragurii in Dalmatia Marinus Statilius Traguri-enſis ICtus in Nicolai Cippici bibliotheca reperit antiquum codicem atque in eo nouum ſatyrae Petronianae fragmentum, integram coenae Trimalcionis fabulam complectens. Illud inſcio repertore, primum vulgauit Paulus Frambottus typographus *Patauii* 1664. 8. praefatione praemiſſa, quae rem omnem vberius edocet. Nobiliores huius ſeculi editiones *Pariſiis* prodierunt 1601. 12. ex officina Chriſtophori Beys, cum notis Pithoeorum et Douſae, et veterum poetarum catalectis. 1618. 1645. 12. cum notis et gloſſario Ioh. Bourdelotii. 1664. 1666. et 1670. 8. et antiquo codice Traguriensi, cum apologia Marini Statilii. 1677. 12. cum Ioh. Bourdelotii notis et gloſſario. *Lugduni* 1618. 8. cum variorum notis, accurante Goldaſto, qui ſymbolas ſuas ſub ficto Georgii Erhardi nomine adiunxit. *Amſtelodami* 1624. forma minore, cum Ioh. Woweri notis. 1663. 12. curante Michaele Hadrianide, cum Ioh. Bourdelotii notis et gloſſario. 1669. 8. et 1687. 8. cum variorum commentariis, accurante Michaele Hadrianide. 1670. 8. per Ioh. Blaeu, ex antiquo codice Traguriensi, cum apologia Marini Statilii. 1694. 12. cum Nodotii ſupplementis et Gallica verſione; quamuis titulus prae ſe Coloniam ferat. 1700. forma minima apud Ioh. Wolters, cum Nodotianis ſupplementis, et notis Boſchii, Reineſii et Scheferi. *Lugduni Batau.* 1604. 12. apud Raphelengium, cum Ioh. Woweri notis. 1645. 12. cum notis Ioh. Burdelotii criticis et gloſſario. *Vltraiecti* 1645. 1654. 8. Petronium cum ſelectis variorum notis Simon Abbes Gabbema in lucem emiſit. *Roterodami* 1693. 12. cum Franciſci Nodotii ſupplementis. *Geneuae* 1629. 4. curante Thoma Iuges, cum variorum notis. *Francofurti* 1610. 8. quamuis titulus Helenopolin

prae

Digitized by Google

prae ſe ferat, cum ſuis et integris variorum notis, accurante Melchiore Heimsfeldio Goldaſto. Eadem mox repetita editio 1621. 8. apud Wechelios, continet praeter vtiliſſima prolegomena, et textum auctoris emendatum, Hermanni Buſchii annotationes, Hadr. Iunii obſeruationes, incerti auctoris coniecturas, Henrici Stephani emendationes, innominati emendationes, Ioh. Sambuci notas, Franciſci Danielis Aurelii notas, anonymi notas, Petri Danielis Aurelii notas, Ioh. Tornaeſii varias lectiones, Germani Colladonii notas, Claudii Bineti notulas, Chriſtophori Richardi notas, Franciſci Pithoei collectanea, Iani Douſae praecidaneorum libros tres, Conr. Ritterſhuſii notas, Iani Douſae filii ſpicilegium, Ioh. a Wouweren animaduerſiones, Gaſp. Barthii racemationes, denique ſymbolas Georgii Erhardi Franci, quo nomine latet ipſe Melchior Haiminsfeldius Goldaſtus: cui hanc Petronii editionem Ioh. Philippus Pareus et Gotardus Althuſius Dantiſcanus gratulati fuere. 1629. 4. cum variorum notis vaſtisque Ioh. Petri Lotichii excurſibus phyſico medicis, quibus longe plurima ad rem Veneream facientia continentur. 1629. et 1643. 4. cum commentario Ioſephi Antonii Gonſalii de Salas, et Scioppii ſymbolis criticis. *Vpſaliae* 1665. 8. cum ſupplemento Traguri- enſi, et Ioh. Schefferi notis atque indice. *Lipſiae* 1666. 8. ex eodem Traguriensi codice, cum ſuis et Schefferi notis accurante Thoma Reineſio. *Noribergae* 1667. 8. Chriſtophorus Arnoldus fragmentum Petronii Traguriannm edidit, cum Ioh. Caii Tilebomeni, i. e. Iacobi Mentelii, coniecturis, Hadriani Valeſii et Ioh. Chr. Wagenſeilii diſſertationibus epiſtolicis, et aliorum clariſſimorum virorum iudiciis, quibus fragmenti iſtius fides in vtramque partem diſputata eſt. *Ienae* 1709. 12. Petronius prodi-

prodiit ab omni obſcoenitate liberatus, cum breuibus notis excerptis et poſtumis Ioh. Andr. Boſii, vbi et fragmentorum Nodotianorum toties ab aliis reiectorum ratio habetur.

§. LXVIII.

Noſtra aetate longe nitidiſſimam Petronii editionem vidimus *Ultraiecti* 1709. 4. accurante Petro Burmanno, in qua contextus auctoris emendatiſſimus in capita diſtinctus ſingulis paginis integra virorum doctorum commentaria et notas ſubſtratas habet; inter alias Nicolai Heinſii et Guil. Goeſii ineditas, frequentes item ipſius Burmanni praeſertim ad Tragurianum fragmentum. Addita ſunt quoque volumini praecidanea Iani Douſae, et Gonſali de Salas commentarius, tum variae ex prioribus editionibus praefationes, de fragmento Traguriano diſſertationes ac epiſtolae; vltimo Siren Latina, ſive locupletiſſimus vocum Petronianarum index. Nuper editus eſt Petronius *Pariſiis* 1709. 12. 2. tom. cum verſione Gallica et notis Nodoti. *Lipſiae* 1731. 8. cum fragmentis Albae Graecae anno 1688. recuperatis et Nodotii cura vulgatis. Accedunt priapeia ſ. diverſorum poetarum in priapum luſus.

§. LXIX.

C. VALERIVS *y*) FLACCVS *z*) Setinus Balbus cognominatus, quod

y) *Valerii* in gente Romana clari nominis fuerunt plurimi, dicti prius Valeſii, vt QVINTILIANVS monet inſtit. orator l. 1. c. 4. Erat Valerius Publicola conſul, eiusque frater M. Valerius; erat Valerius Coruinus, tribunus militum et ſexies conſul, Valerius Potitus, Valerius Maximus hiſtoricus, Valerius Probus grammaticus, et plures alii.

z) *Flaccus* commune multorum apud Romanos cognomen, quorum ſc. aures eſſent flaccidae. Notus eſt Horatius Flaccus, Perſius

quod e Setia eſſet, Campaniae vrbe, valde iuuenis Patauium venit in Veneta regione: vbi ſedem fixit ac habitaculum liberalioribus ſe totum conſecrans Muſis. Hinc *Antenorei ſpes et alumnus laris* a MARTIALE *a*) amicorum intimo vocatur: quod vrbem Patauinam Antenor condidiſſe credebatur. Alibi: *b*)

Cenſetur, inquit, *Apona Liuio ſuo tellus,*
Stellaque nec Flacco minus.

vbi Patauium *Apona tellus* dicitur ab *Apono*, *fonte*, vt Claudianus *c*) habet, *Antenoreae vitam qui porrigit vrbi.* Nec deſunt qui verius opinantur Flaccum ex illis poetae locis ab vrbe natali Patauinum dici. Quoquo ſe res habeat modo, noſter Patauinus ciuis ab ineunte aetate diuinam coluit poeſin, ac ſpretis diuitiis, animi magnitudinem carminibus oſtendit: cum reip. et Muſarum magna eſſet calamitas, Neronis procul dubio temporibus extremis. Ideoque vel indignabundus MARTIALIS *d*) poetam hunc magnum quidem, ſed tenui cenſu, monet, vt verſus ſcribere deſinat; cum nullus vel exiguus honos et vile praemium ſtatuatur Muſis: *e*) forum autem adeat, et vt tempora ferant, quaeſtuoſam eloquentiam ſectetur.

Pierios, inquit, *differ cantusque chorosque ſororum:*
Aes dabit ex iſtis nulla puella tibi. etc.
Praeter aquas Helicon, et ſerta, lyrasque Dearum,
Nil habet, et magnum ſemper inane ſophos. etc.
Romanum propius diuitiusque forum eſt.
Illic aera ſonant: at circum pulpita noſtra,
Et ſteriles cathedras, baſia ſola crepant.

Quan-

ſius Flaccus, Verrius Flaccus. Crebra aliorum mentio apud Ciceron. confer. PLINIVS hiſt. natur. l. 11. c. 37.

a) Lib. 1. epigr. 77. *b*) Lib. 1. epigr. 62. *c*) Epigr. 3.
d) Lib 1. epigr. 77. *e*) Conferatur IVVENALIS ſat. 7. verſ. 102.

Digitized by Google

Quanto Martialis eum ſit amplexus amore et beneuolentia, vel inde patet, quod epigrammate commemorato illum allocutus dixerit:

O mihi curarum pretium non vile mearum,
Flacce Antenorei ſpes et alumne laris.

Inprimis floruit ſub Veſpaſianis, ſed vt fieri vulgo videmus, bonae mentis ſoror paupertas fuit. Patauii degit procul a negotiis, de rebus Romanis parum ſolicitus, omniumque curarum liber, aſſiduo literarum ſtudio ſolatium, et quam potuit, maximam voluptatem inuenit. Nec adeo mirum pro ingenii bonitate, et opera indefeſſa, et iuuentutis ardore, eam carminis heroici gloriam et maieſtatem aſſecutum fuiſſe: vt poetis omnibus fere ſui temporis in hoc genere palmam praeripuerit, et vno fortaſſis minor remanſerit Virgilio. Hunc imitatus, huius facile obtinuit laudem, eaque carminis epici et ſublimioris meditatione, leuiora et quotidiana poemata, et epigrammata, meras eſſe nugas et iocos exiſtimabat, ſibi vindicans ipſam artis grauitatem, tragoedias et epopoeias. Hinc MARTIALIS *f*) optimus epigrammatum artifex, oſtendit tragoediae et epopoeiae materiam e fabulis fictis et ſomniis poetarum eſſe deſumtam: epigrammata vero ex hominum moribus eſſe: vt hinc vitiorum emendatio, illinc delectatio maior et vana admiratio oriatur. Sunt qui eum ſcripſiſſe putant, *g*) cum Fl. Veſpaſianus et Domitianus ad vrbem eſſent, Titus vero Hieroſolymam obſideret: quod ex illis verſibus eius elicere volunt: *h*)

——— verſam proles tua pandet Idumen
(Namque poteſt) Solymo nigrantem puluere fratrem,
Spargentemque faces, et in omni turre furentem.

NIC.

f) Lib. 4. epigr. 49. *g*) Vid. IOH. FRID. GRONOVII diatrib. ad Statium p. 179. *h*) Argonaut. L. 1. v. 12.

NIC. HEINSIVS quindecim viri ſacris faciundis munere functum eſſe colligit ex his eius verbis: *i*)

Phoebe, mone, ſi Cymaeae mihi conſcia vatis
Stat caſta cortina domo —

Quoquo ſe res habeat modo, aetatis maximo flore, Domitiano imperante, poſt annum Seruatoris LXXXVIII. *k*) videtur deceſſiſſe Pataui, vbi et oſſa eius condita eſſe dicuntur. Obitum eius tum QVINTILIANVS *l*) deplorauit, ac merita viri in ſuo genere excellentiſſimi conſiderans, multum, profeſſus eſt, nuper in Valerio Flacco amiſſum.

§. LXX.

Probe diſtinguendus eſt noſter a L. Valerio Flacco, qui cum M. Catone familiariſſimo ſuo cenſor fuit, atque PLVTARCHO teſte *m*) ex patritiis tanta auctoritate, vt populus illi, non velut candidato, ſed iam principi et imperitanti, paruerit. Conſules fuerunt eiuſdem nominis plurimi, ab V. C. anno CCCCXCII. L. Valerius Flaccus cum L. Octacilio Craſſo. DXIV. Q. Valerius Flaccus cum C. Manlio Lucrino. DXXVII. P. Valerius Flaccus cum M. Attilio Regulo. DLIX. L. Valerius Flaccus cum M. Portio Catone. DCII. L. Valerius Flaccus cum M. Claudio Marcello. DCXXIII. L. Valerius Flaccus cum P. Licinio Craſſo. DCLIV. L. Valerius Flaccus cum C. Mario Nepote. DCLXI. C. Valerius Flaccus cum M. Herennio. DCLXVIII. C. Mario Nepoti ſeptimum conſuli, qui decimo ſexto huius conſulatus die obiit, ſuffectus Valerius Flaccus cum L. Cornelio Cinna faſces impe-

i) Lib. I. v. 5.
k) Obſeruante DODWELLO in annalibus Quintilianeis.
l) Inſtit. orat. Lib. 10. cap. I.
m) Vita Catonis Cenſorii p. m. 118.

Digitized by Google

imperii tenuit. Poetam vero noſtrum haud vnquam fuiſſe conſulem, aduerſus Carrionem recte Barthius docuit. Fuit etiam Valerius Flaccus quidam Viterbienſis, Sixti IV. Pontificis medicus, aequalis Raph. Volaterani. *n*)

§. LXXI.

Scripſit noſter, qui hodie exſtant, Argonauticon libros octo, nec integros, carmine heroico ad Flauium Veſpaſianum. Sunt vero *Argonautica* de Argonautis, ſeu colonia naui longa, quae *Argo o*) dicebatur, in Colchos traiecta: quo Iaſon cum LIV. ſociis, lectiſſima Graeciae iuuentute, ad vellus aureum *p*) auehendum a Pelia patruo, Theſſaliae Rege miſſus eſt. Inter principes, qui cum eo profecti in Argo naui, Caſtor, Pollux et Hercules fuere. *q*) Ex Graecis hanc fabulam tractarunt Orpheus et Apollonius Rhodius, quem inprimis Flaccus noſter, haud inuita Minerua, imitatus eſt; ex Latinis ante Flaccum Argonautica Varro executus eſt, quae, quod dolendum, temporis iniuria perierunt. Inde, nec imme-

---

n) Qui eum laudat Lib. 21. Commentar. Vrban.

o) Nomen vel a ſtructore, qui Argus appellatus, vel a velocitate accepiſſe traditur: ἀργὸς enim apud Graecos ***velocem*** notat. BOCHARTVS vero a longitudine dictam oſtendit. Hanc poetae tradunt primam fuiſſe nauem, quae, vt Phaedrus loquitur, inhoſpitalis hactenus ponti patefecerit vias. Quod non de omnibus, ſed de naui longa accipiendum: longe enim ante homines in mari nauigarunt: tanto vero nunquam fuerunt vſi apparatu. vid. PLINIVS hiſt. natur. l. 7. c. 54.

p) Aureum hoc vellus recte iudicant fuiſſe venas metallicas: vnde figmentum, quod Colchi aurum e fluminibus, aſſeribus perforatis et lanoſis pellibus excipere ſoleant. vid. OVIDIVS metamorph. fab. 1. IVSTINVS l. 42. c. 2. MACROBIVS ſaturn. l. 1. c. 12.

q) De Argonautis vid. HYGINVS fab. 14. de ſignis coeleſtibus l. 2. c. 37. et SERVIVS ad Virgil eclog. 4.

immerito, quiſquam fuerit miratus, quo conſilio noſter poſt Varronem Argonautica ſibi propoſuerit ſcribenda: cum viderit iſtum iam ſatis eleganter et docte, antiquitatis vniuerſae conſpirante ſuffragio, in pari argumento fuiſſe verſatum. At doctus ille Varro ad exemplum Apollonii, teſte VALERIO PROBO, *r*) quatuor libris, breuiter hoc argumentum fuerat perſecutus, quod Flaccus tandem, vt epopoeiam redderet auguſtiorem, quantum ex iis, quae ſuperſunt, colligere poſſumus, duodenis, aut minimum decem voluminibus ſibi propoſuerat complectendum. Cum enim nec Abſyrti mortem, nec illa, quae Argonautis exinde plura in reditu obtigerunt, enarret: operis totius quartam minimum partem deſiderari oportet. Sunt *s*) ergo, qui ex Fabii deſiderio et querela de morte Valerii opinantur, eum morte immatura praeuentum fabulam abſoluere non potuiſſe. Hoc vero NICOL. HEINSIVS *t*) temerarium iudicat dictu, ſupremam poemati manum haud admouiſſe: cum opus iſtud longae aetatis iniuria, vt nunc eſt, mutilum ad nos peruenire potuerit. Certe quod ex Quintiliani verbis probent, habere non videntur. Potuit enim ille vir iuuenis et poeta incomparabilis, poſt confectum hoc opus, aliis elucubrandis incubuiſſe, quae reſpexerit Quintilianus, vel dato ingenii ſpecimine, alia atque alia per vitam longiorem exſpectauerit. *Potius eſt*, inquit Heinſius, *vt taedium laboris ſuprepſiſſe librario credam, ne reliqua deſcriberet, aut codicem ſive Gothica direptione, ſiue alio quo caſu ad poſteros mutilatum eſſe tranſmiſſum. Quae clades*

 Papi-

r) Ad Virgil. Georg. l. 2. v. 126.

s) Inter quos SCALIGER hypercritico, ſiue poetices lib. 6. pag. 839. ſeq. *t*) Praefat. editionis ſuae.

Digitized by Google

Papinianam quoque Achilleida et raptum Proſerpinae Claudianeum grauiter videtur afflixiſſe. Certe in ſeptimi atque octaui libri Valeriani vltimis plus multo mendarum occurrit, quam in reliquis: vnde de oſcitantia librarii ac ſupinitate paullatim magis ac magis labori ſuccreſcente, ſuſpicari nobis dabatur. Procul dubio hic noſter eſt Valerius Flaccus, qui ſummaria librorum, ante Plinium, confecit, vt quod quiſque deſiderauerit, ne perlegere integrum librum eſſet neceſſe, quaerat et ſciat, quo loco inuenire poſſit. *v*)

§. LXXII.

De meritis et ſummo ingenio poetae luculentum eſt FABII QVINTILIANI *x*) teſtimonium, qui praematura fata et inopinatum facundi oris ſilentium deploraturus, *multum*, inquit, *in Valerio Flacco nuper amiſimus.* Nam ſuo ſeculo inter omnes carminis genere difficillimo regnauit, adeo quidem vt nemini, poſt feliciſſimum Caeſaris Octauiani Auguſti aeuum, ornatu, grauitate, eloquentia, et numero orationis aequabili cedat. Imo dubitant, num inter ſcriptores Romanos, qui epicam poeſin excoluere, et quorum lucubrationes, in tanto elegantiae antiquioris naufragio, maiori ex parte ad poſteritatem ſaluas perueniſſe gaudemus, poſt vere diuinum et omni comparatione maiorem Virgilium, fuerit quiſquam, qui iure Valerio noſtro praeferatur. Tam concinna omnia et caſtigata nitent; tantum artis, tantum ingenii et doctrinae, tantum orationis citra tumorem exſurgentis, candidae, omnino conuenientis cum argumento ſuo renitere videtur ubique, vt proxime ad ſummam in hoc genere

v) Vid. PLINIVS hiſtor. natur. praefat. et lib. 3. c. 5.
x) Inſtit. orat. lib. 10. c. 1.

nere carminis gloriam et veras laudes accedat, et NICOL. HEINSIO *y*) iudice ſcriptor plane eximius maiorem aliquanto requirat curam, ſi pro dignitate ſit laudandus. Ecquis dubitat Heinſium de his iudicandi peritiſſimum artificem fuiſſe. *z*) BARTHIVS *a*) *pluris*, inquit, *omnino faciendum ego reor in numero Latinorum poetarum Valerium Flaccum, quam vulgo faciunt, imo non vulgo, etiam eruditi. Sonus, ſpiritus, eruditio, grauitas in eo ſunt inſignes, nec deeſt iudicium. Illud obſeruauimus, quoties per ſe aliquid canit, longe faciliorem eſſe, quam quum Apollonium preſſo pede imitatur. Neſcio enim, quomodo generoſus ille animus flacceſcit, quum ſe ipſum ad ſeculeias leges alienarum inuentionum componit et cogit.* Elegantiſſimus BROVCKHVSIVS *b*) eum vere Romani oris et ſpiritus poetam vocat.

§. LXXIII.

Secus de eo SCALIGER *c*) iudicat, qui felix quidem eius agnoſcit ingenium, magnum iudicium, et non vulgarem diligentiam: vt dignus ſit excuſatione, quod immatura morte praeuentus, acerbum nobis ſuum poema reliquerit. Eum eſſe dicit omnino duriuſculum; penitus vero nudum gratiarum comitate. Vtriuſque contrarium vbique patet: et ſi quid video, cum orationis ſuauitate grauitas et elegantia ſe facile prodit: gratiarum vero plena ſunt omnia. Principium illi non placet, quod cum Pindarus iubeat eſſe illuſtre et luculen-

Z 3 tum,

y) Praefat. edit. ſuae.

z) Ita MORHOFIVS polyhiſt. liter. I. 4. c. 13. §. 8.

a) Aduerſ. l. 26. c. 3.   *b*) Ad Tibull. pag. 237.

c) Hypercritico, ſive poetices libro 6. pag. 839.

tum, maxime ſit inſuaue. Ecquid peccauit? Ipſum audiamus poetam:

Prima, inquit, *Deum magnis canimus freta peruia nautis,*
Fatidicamque ratem: Scythici quae Phaſidis oras
Auſa ſequi, medioſque inter iuga concita curſus
Rumpere, flammifero tandem conſedit Olympo.

Ecquid dici potuiſſet melius? Et Scaliger ipſe fatetur, ſonum eſſe carminis multum, nec vulgarem artificem. Nam quum verſus magnitudo conſtet accentuum frequentia, aut longorum verborum tractu: ſeptem dictionibus primum expleuit verſum ſonorum ſane, ſed qui Scaligero nulla ratione ſatisfacit: non quod ibi quicquam vitioſum ſit: ſed quia venuſtas abſit, i. e. quia Scaligero non ſatisfaciat. Ceteris vero abunde ſatisfecit omnibus, vt ipſe MARO, *d*) qui octo vocibus initium operis diuini muniuit:

Arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris &c.

Neque concedit illos fuiſſe nautas Deorum, qui toties fuerint afflicti fatis aduerſis; pars etiam eorum in ipſa nauigatione interierint. At virum politioris literaturae amantiſſimum praeterire non poterat, fortiſſimos quosque heroes ab optimis poetis non raro Deos atque Deorum filios nominari. Neque capit, quomodo hic dicantur *prima freta peruia:* cum ipſemet in primo canat *Pharias Tyriasque carinas:* Apollonius autem naues Iaſoni obuias in ponto ſcribat. Sed facilis reſponſio eſt, noſtrum canere prima freta peruia *nautis magnis*, vt ipſe loquitur. Scaligero durum eſt quoque illud, *oras auſa ſequi:* quod non praeirent orae. Quaſi vero non eadem

d) Aeneid. l. 1. v. 1.

dem ſit omnium et optimorum ita de rebus apparentibus vel ex ſenſu hominum bene dicendi conſuetudo. Quod autem dicat *fatidicamque ratem*, neque extet in toto opere: id ipſum agnoſcit factum eſſe fati culpa: et morte affectum non expleuiſſe fabulam. Potius illam a Flacco deſcriptam fabulae partem iniuria temporum interiiſſe credimus. Neque alicuius momenti ſunt, quae praeter illa iam a nobis commemorata deſiderat. *Ignis crinem*, *ignis linguam*, et ſimilia, ſiue per metaphoram, ſiue ex Aruſpicum libris, ſcripſerit: nihil videtur contra ipſius rei naturam ſignificaſſe. Perinde eſt, dixiſſe, *et fictis dat vultum*, *et pondera dictis*; vel quod Scaliger melius opinatur fuiſſe, *verbis*. Ecquis fidem a poeta hiſtoricam poſtulabit, aut mirabitur, res alios aliter atque alios narrare, cum illis aeque ac pictoribus quidlibet audendi ſemper fuerit ſumma poteſtas? Hinc Achillem ante eam nauigationem natum Flaccus canit: Catullus in ea matris illius nuptias celebrat. Cetera vix alicuius attentionem merentur. Tantumque abeſt, vt pleraque ſint maiore cura legenda, quam quanta ſcripta fuerint.

§. LXXIV.

Edita ſunt primum Valerii Flacci argonautica *Bononiae* 1474. fol. per Vgonem Rugerium et Dominum Bertochum Regienſes. Reperit eius fragmentum, libros videlicet primum, ſecundum, tertium et partem quarti Poggius Florentinus; quod annotatum eſt in eius codice manuſcripto, et apud Laurentium Pignorium ſuum a GER. IOH. VOSSIO e) lectum hoc modo: *C. Valerii Flacci argonauticon. Hoc fragmentum repertum eſt*

e) De hiſtor. Lat. lib. 3. c. 5. pag. 550.

eſt in monaſterio S. Galli prope Conſtantiam XX. millibus paſſuum, vna cum parte Q. Aſconii Pediani. Deus concedat alteri, vt vtrumque opus reperiat perfectum. Nos, quod potuimus, egimus. Poggius Florentinus. Secuta eſt altera editio 1494. fol.

§. LXXV.

Sequenti ſeculo prodierunt argonauticon libri *Venetiis* 1523. 8. apud Aldum, cum Ioh. Baptiſtae Pii Bononienſis ſupplementis, qui libri octaui partem poſteriorem, librum nonum atque decimum ex Apollonio et aliis addidit. *Pariſiis* 1512. fol. ex Aſcenſii officina. 1519. fol. cum Pii ſupplementis, eiuſdemque et Aegidii Maſerii commentariis. 1532. 8. apud Simonem Colinaeum, ex Philippi Fugentini emendatione. *Lugduni* 1545. et 1548. 12. apud Sebaſt. Gryphium, cum Pii ſupplementis et commentationibus. *Antverpiae* 1565. 8. apud Plantinum cum Ludouici Carrionis caſtigationibus et notis. 1566. 12. ex eadem Chriſtophori Plantini officina, editio Carrionis altera, qui repetita induſtria auctorem, quae ipſius verba ſunt, ita perpurgauit, vt iam primum editus videri poſſit. *Argentorati* 1525. 8. ex Philippi Fugentini emendatione.

§. LXXVI.

Poſt Chriſtum natum ſeculo decimo ſeptimo Flacci argonautica prodierunt *Lugduni* 1604. 8. cum notis Lud. Carrionis, Andr. Schotti, et Laur. Balbi Lilienſis Hiſpani. *Coloniae Allobrogum* 1617. 8. cum notis Carrionis, Schotti et Balbi. *Lipſiae* 1630. 8. cum Lud. Carrionis, M. Antonii Sabellici, Lamperti Alardi, Chriſtophori Bulaei, et Ioh. Weitzii notis, omnium item vocabulorum indice ab Alardo concinnato. *Amſtelodami* 1680. 12. ex emendatione Nicolai Heinſii, qui et notas ſuas addi-

addidiſſet, niſi mors bibliopolae interueniſſet. *Franco-furti* 1698. 8. quae editio Pariſios natales mentitur.

§. LXXVII.

Noſtra denique aetate nitidiſſimas et emendatiſſimas Valerii Flacci editiones impetrauimus, quae prodierunt *Vltraiecti* 1701. et 1718. 12. cum Nicol. Heinſii notis, curante Petro Burmanno. *Lugduni Batau.* 1724. 4. cum integris variorum et Petri Burmanni notis. Ibidem eodemque anno 1724. 12. ſine notis, ex emendatione Petri Burmanni, qui et praefationem ſcripſit.

§. LXXVIII.

CAIVS *f*) SILIVS ITALICVS, vir conſularis, orator et poeta clariſſimus, ex antiqua Siliorum gente *g*) oriundus. Filius fortaſſis erat C. Silii illius proximo ante obitum Auguſti anno ab V. C. DCCLXV. poſt Chriſtum natum XV. tertium conſulis. *h*) Romanus ergo, non Hiſpanus natione fuit. Et errant, mea quidem ſententia longe, *i*) qui *Italici* cognomen ab *Italica* Hiſpaniae Baeticae; aut a Corfinio, Italiae in Pelignis vrbe deducunt, quae ſociali bello, velut Italiae caput, *Italica* nominata eſt. Mallem ergo *Italici* cogno-

f) Non *Caius*, ſed *Publius* nominatur a GLANDORPIO in onomaſtico, et MODIO in nouantiquis lectionibus, qui paſſim multa in Silio reſtituit.

g) Olim gens illa fuerat plebeia, ex qua primum Q. Silius quaeſtor creatus fuerat: teſte LIVIO lib. 4. c. 54. Poſtquam vero ad honores viam apertam habuit: inter nobiliſſimas Romanorum florere coepit.

h) Vid. SVETONIVS Aug. cap. 101.

i) Quod CELLARIVS quoque demonſtrauit in vita Silii, eius editioni praemiſſa; et VOSSIVS de hiſtoricis Latinis l. 1. c. 29.

cognomen Silii cum CELLARIO *k*) ex quocunque alio caſu et ipſa regione, quam oppido eius natali quodam deducere: quemadmodum SPARTIANO *l*) *Italici* ſunt Itali genere, in prouinciis negotiantes, vel etiam ſede ibi fixa commorantes. Nec obſtat MARTIALIS *m*)

Perpetui nunquam moritura volumina Sili
Qui legis et Latia carmina digna toga etc.

Nam et illa nobis noſtraque virtute ſunt omnino digna, quae ex nobiſmetipſis promanarunt: nec inde ſequitur vllo modo, carmina Silii eſſe alicuius peregrini, et digna vt in ipſo Latio eſſent nata. Digna inquam ſunt eius Latia toga et maieſtate Romani oratoris atque conſulis. Ab ineunte aetate bonarum artium in primis eloquentiae Romanae ſtudioſiſſimus fuit, ac ſatis mature ſcriptores idoneos omni conatu imitari coepit. Inter omnes maxime Ciceronem optimum in arte dicendi magiſtrum ſecutus eſt, eiusque perfectam imaginem in quacunque oratione ſibi exprimendam propoſuit. Nec, vt vulgo fieri peſſime notamus, ante proſam inire voluit ligatam dicendi rationem, quippe quae, omnium conſenſu, quibusque ſuis numeris abſoluta eſt orationis perfectio. Teſte MARTIALE *n*)

Sacra cothurnati non attigit ante Maronis,
Impleuit magni quam Ciceronis opus.

Non optimum attigit poetam, priusquam optimum oratorem expreſſiſſet: tantoque felicius progredi aliamque poſt aliam ſcientiam facilius haurire potuit. Clarius inde magis atque magis in dies Silii nomen in oratoribus, ſiue cauſſarum patronis, quas in foro frequen-

k) Loc. cit. *l*) Hadrian. cap. 12.
m) Lib. 7. epigr. 62. *n*) L. c.

quentes, nec ſine proſpero ſucceſſu egit. Multum etiam in centumuirali iudicio verſatus eſt, et ipſe iudex ſedit. Quod item MARTIALIS praedicat *o*)

Hunc (Silium) *miratur adhuc centum grauis haſta virorum,*

Hunc loquitur grato plurimus ore cliens.

Sic per honorum gradus tandem ad ſummum aſcendit faſtigium, et anno ab V. C. DCCCXX. poſt Chriſtum natum LXX. cum Valer. Turpiliano Trachala conſul factus eſt: qui annus laetiſſimus atque fauſtiſſimus erat populo, cum Nero tyrannus periret. Notante PLINIO *p*) poſtremus ex omnibus, quos Nero conſules fecerat, deceſſit: et vltimus ex Neronianis conſularibus obiit, quo conſule Nero periit. Famam laeſerat ſub Nerone ſuam, quod ſponte ſua, vel ex odio, non iuſſus ab Imperatore credebatur accuſaſſe. *q*) Quod ſi etiam iuſſus fecit, non ſine culpa fuit, quoniam accuſationes ſub tyrannis fere omnes ſolent eſſe ſuſpectae. In Vitellii *r*) imperio ſapienter atque comiter ſe geſſit, ne vel principem, vel alios offenderet. Aſiam pro conſule rexit, ex qua prouincia magnam reportauit gloriam, atque ſuadentibus annis in patriam redux, valedixit reip. et Roma in Campaniam ſeceſſit, vt honeſto frueretur otio, et inuſtam ſibi crudelitatis maculam induſtriae veteris laude ablueret. Sic tandem, vt MARTIALIS *s*) loquitur,

Emeritos Muſis et Phoebo tradidit annos:

Proque ſuo celebrat nunc Helicona foro.

 Ad-

o) L. c. *p*) Lib. 3. epiſt. 7. *q*) PLINIVS l.c.

r) Cuius etiam cum Flauio Sabino familiaribus colloquiis intererat: teſte CORN. TACITO hiſtor. l. 3. c. 65.

s) Lib. 7. epigr. 62.

Adeo quidem manſuetiori ſtudio ſe tradidit, ſuisque de Punico bello ſecundo ſcribendis libris vacauit: vt ne aduentu quidem noui principis inde moueri potuerit: cum Traianus Imperator ex bello Germanico ad remp. accederet, Nerua defuncto. Diues erat, pluresque villas in illis locis poſſidebat, bibliothecis, ſtatuis, et illuſtrium virorum imaginibus ad cultum vſque et venerationem ornatas. Praecipue duas, veterum poſſeſſorum honore atque ſtudiis pellectus, adamauit. Altera Ciceronis fuerat in agro Puteolano, quam ille academiam appellauerat; *t*) altera Virgilii in Neapolitano, quem tanti fecit, vt eius natalem religioſius, quam ſuum celebraret; monumentum *v*) vero vt templum *x*) adire ſaepius maxima cum animi voluptate ſoleret. *y*) Egregie MARTIALIS *z*) de vtroque Silii praedio ludit:

Silius haec magni celebrat monumenta Maronis,
Iugera facundi qui Ciceronis habet.
Heredem dominumque ſui tumulique larisque
Non alium mallet, nec Maro, nec Cicero.

Mos erat Romanis, vt nobiliores ſingulis ferme diebus ab amicis et clientibus, praeſertim matutino tempore, ſalu-

t) Vid. PLINIVS hiſt. nat. l. 31. c. 1.

v) Teſte MABILL. muſ. Ital. p. 112. Neapoli reperta inſcriptio breuis et concinna: *ſiſtite viatores, quaeſo pauca legite, hic Maro ſitus eſt.*

x) STATIVS quoque Silu. l. 4. carm. 4. v. 54. huius monumentum venerationis cauſſa *Maroneum templum* vocat.

y) Vid. PLINIVS l. 3. epiſt. 7. vbi pleraque a nobis relata deſcribit. MARTIALIS l. 11. epigr. 51.

z) Lib. 11. epigr. 49. confer. tr. de virili aetate Lat. ling. part. 1. c. 3. §. 22.

ſalutarentur. *a*) Ita Silius quoque, vt inter principes ciuitatis ſine potentia, ſine inuidia erat, ſalutabatur, colebatur, multumque in lectulo iacens cubiculum frequens habebat illis, qui veri et conſtantes amici ex fortuna minime pendebant. Doctiſſimis ſermonibus tranſigebat dies. Cum a ſcribendo vacaret, ſcribebat carmina; et hominum iudicia nonnunquam recitationibus experiebatur. Ea tranquillitate animi aetatis annos LXXV. transegit, vitam finiens primis Traiani annis, nec tum fataliter, ſed inedia in Neapolitano ſuo defunctus: cum enim inſanabilis clauus, ſiue calloſa extuberatio, in pede natus eſſet ſeni, eius taedio, vt ſolitum hoc tempore ex Stoica diſciplina, vitam pulcherrime actam abrupit. Ad ſupremum vſque diem fuit beatus et felix, vt PLINII *b*) verbis vtar, niſi quod minorem *c*) de liberis duobus amiſit; ſed maiorem melioremque, florentem, atque etiam conſularem reliquit. Inter amicos Silio familiaris erat Martialis, qui ſuis literis hoc ſaepius prodidit. Etiam illi dicauerat Annaeus Cornutus, Perſii poetae praeceptor, ſuos de Virgilio commentarios, ex quo decimo CHARISIVS haec ad Silii laudem pertinentia producit: *iamque exemplo tuo etiam principes ciuitatum et poetae, incipient ſimilia fingere.*

§. LXXIX.

Sunt qui poetam noſtrum ter conſulem fuiſſe credunt, MARTIALIS *d*) carmine in eum errorem adducti:

 Augu-

a) Confer. CICER. orat. Catil. 1. cap. 4. extr. SENECA epiſt. 84.

b) Lib. 3. epiſt. 7.

c) Nomine Seuerum, cuius adoleſcentis praematurum obitum MARTIALIS deplorat lib. 9. epigr. 87.

d) Lib. 8. epigr. 66.

Auguſto pia thura, victimasque
Pro noſtro date Silio, Camoenae,
Bis ſenos iubet en redire faſces
Nato conſule, nobilique virga
Vatis Caſtaliam domum ſonare.
Rerum prima ſalus et vna Caeſar,
Gaudenti ſupereſt adhuc quod optet
Felix purpura, tertiusque conſul.
Pompeio dederit licet ſenatus,
Et Caeſar genero ſacros honores,
Quorum pacificus ter ampliauit
Ianus nomina: Silius frequentes
Mauult ſic numerare conſulatus.

In illis trium quidem conſulatuum fit mentio in Silii familia, non in vna perſona. Pater conſul fuit vt ſupra vidimus. Et conſul fuit noſter poeta, qui vno conſulatu contentus a rep. receſſit: vt alibi idem MARTIALIS *e*) teſtatur. Tertius vero conſul filius erat, quem, PLINIO teſte *f*) conſularem reliquit. Et ea occaſione ſuo Martialis gratulatur amico, et hortatur Muſas, propter conſulatum Silii filio delatum, Caeſari gratias et ſacra dare velint: precatus vt tertius in eadem familia conſul proſpera et laeta experiatur omnia. Ita et Silius poeta, patre et filio conſularibus ſecum coniunctis, eandem felicitatem laudare, atque triplicem illum Pompeii et Agrippae conſulatum referre potuit. Nec aliter ſentientibus haec PLINII patrocinantur in panegyrico: *g*) *erat in ſenatu ter conſul, quum tu tertium conſulatum,* de Traiano dixit, *recuſabas.* Quae verba Lipſius et alii ad Silium Italicum referri poſſe exiſtimant, quod alius ex

e) Lib. 7. epigr. 62. *f*) Lib. 3. epiſt. 7. *g*) Cap. 58.

ex obſcuris illorum temporum faſtis haberi non poſſit. Illum vero non Silium noſtrum fuiſſe, patet ex eodem PLINIO *h*) vbi docet, poetam imperante Traiano degiſſe in Campania, literis conſecratum adeo, vt ne ad ſalutandum quidem nouum Principem reuerterit. Sed ille, quiſquis fuerit, ter conſul Romae in ſenatu erat cum Traiano tertium conſulatum recuſante.

§. LXXX.

Exſtat eius poema heroicum de bello Punico ſecundo, quod aetate iam prouectus, imperante Domitiano, ad Scipionis Africani vſque triumphum libris XVII. deſcripſit. In illis hauſta praeſertim e Liuio et Polybio materiae copia dignitasque, cum ſingulari vtilitate coniuncta apparet. Nam inter bella, quae Romani geſſerunt, nullum grauius periculis atque cladibus, nullum virtute imperatorum nobilius, nullum ipſo euentu mirabilius aut illuſtrius fuit, quam illud Punicum ſecundum, operis Siliani campus atque arena. Neque adeo illi adhaeret bello, quod Hannibalicum dicitur: quin et alia referat, v. gr. de Xantippo, Regulo, Duilio, res alias ad bellum Punicum primum pertinentes, cuius hiſtoria in Liuio periit. Florum inſtar quoque adſpergit, quae aliis temporibus geſta ſunt, vt de Scaeuola, Claelia, Camillo, trecentis Fabiis, et de bello Macedonico primo. Libro tertio inſerit encomia Veſpaſiani, Titi, Domitiani, etc.

§. LXXXI.

Merita Silii omnium optime CELLARIVS *i*) enarrauit, vbi ipſa materiae copia et dignitate, et ſingulari vtilitate nemini maximorum poetarum cedere pro-

h) Lib. 3. epiſt. 7. *i*) Praef. Silii a ſe editi.

probat. *Non argonautica*, inquit, *non Thebarum fata, non ipſa Aeneis, Romana origo, propter fabuloſam antiquitatem, anteferri argumento Silii poſſunt, ſint licet ingenioſius, quam illud, elaborata. Quantam vero lucem hiſtoriae affert? quantum vſum praeſtare ciuili prudentiae poteſt, quum duas gentes inter ſe componit, quae de orbis terrarum imperio certauerunt? Praeter res geſtas, ad veritatis legem religioſe conſignatas, etiam ad origines familiarum, vrbium, populorum, tam frequenter ſtilum flectit, vt non minus eius rei gratia, quam belli Punici, poema inſtituiſſe videri poſſit. Nec incurioſus eſt veteris mythologiae, ſed ex illa etiam aſſumſit, quibus carmen iucundius condiretur. Maxime autem geographiae ſtudioſus eſt, Italiam, Siciliam, Hiſpaniam et Africam, (vt de Graecia taceam) tam diſtincte accurateque deſcribens, vt poetarum et hiſtoricorum parem neminem; ex geographis vix habeat ſuperiorem. Et moribus decet poetas ac vitae communi prodeſſe, non tantum oblectare: in quo genere nemo auſit cum Italico contendere, qui plenus ſententiarum eſt et ſalubrium praeceptorum, quae ad virtutem ducunt: et exemplorum omnibus facile antecellentium: vt cuncta, quae philoſophi meditantur, ipſe moduli ſuauitate penetrantius in animos hominum infundat. Itaque Silium legiſſe, magna pars politioris humaniorisque doctrinae eſt:* et quae ſequuntur. Carmina ſcripſiſſe maiore cura, quam ingenio, PLINIVS iudicat: *k*) quoniam in deſcribendo bello Punico, hiſtoricum magis, quam ſuo luxuriantem ingenio poetam egit, neque, vt fidem perderet, nimium ſibi indulgere voluit. Nihilominus eum MARTIALIS *l*) *Caſtalidum* vocat *decus ſororum.* Et cum periuria barbari furoris, perfidosque Hannibalis aſtus, leuesque Poenos

k) Lib. 3. epiſt. 7. *l*) Lib. 4. epigr. 14.

Poenos ingenti preſſerit ore: magnificentiam illi et ſeueritatem tribuit, perpetuitatem alibi. *m*) Ille vero cum parcius fingeret, ac propior ſtuderet eſſe veritati, qua T. Liuium, hiſtoricorum principem expreſſit: a multis reprehenditur, quod neque ſpiritu, neque ingenio poetam referat, frigide ſaepius et cum languore narret: atque adeo neque boni hiſtorici, neque ſapientis poetae partem nedum gloriam aſſequatur. G. I. VOSSIVS *n*) *etſi*, inquit, *ad Maronis ſe exemplum componeret: nihil tamen ille ad diuini vatis maieſtatem. Imo carminum gloria etiam vincitur, non a Lucano modo, ſed etiam Papinio, Valerio Flacco, et iuniorum aliis. - - - Tum illud etiam cogitare oportet, non a prima ſe adoleſcentia huic ſtudio dediſſe: ſed iam annis grauem, atque aetate languentem: ita vt difficile omnino foret, tum demum diſcere, quo pacto liber praecipitandus ſit ſpiritus, ſic vt quodammodo furenti animo vaticinari videaris. Et tamen laudabilis induſtriae ſic quoque ſucceſſus non infelix fuit.* Poetam omnium antiquorum maxime tautologum, et ingenio poſtremum BARTHIVS *o*) vocat: quem et MORHOFIVS *p*) ſequitur, vt eum minorum gentium poetam nominet, quippe qui magis fidem hiſtoricam, quam ingenium, in ſubſidium adhibuiſſe videatur. Sic quoque SCALIGER *q*) eum poſtremum exiſtimat eſſe bonorum poetarum: quin ne poetam quidem. Non neruos, non numeros, non ſpiritum habere. Ab omni venere alienum eſſe: vt nullus

m) Lib. 6. epigr. 64. et l. 7. epigr. 62. init.

n) De hiſt. Lat. l. 1. c. 29.

o) Aduerſar. lib. 33. c. 3. et 4. Confer. ejuſd. l. 18. c. 3. l. 10. c. 24. l. 13. c. 7.

p) Polyhiſt. lit. l. 4. c. 13. §. 7. *q*) Poetices lib. 6. pag. 841.

lus inuenuſtior ſit. Totum haerere, trepidare, vacillare: vbi audeat, cadere. Silium quam lubentiſſime CELLARIVS *r*) quidem agnoſcit minorem primis fuiſſe, nec parem ingenioſiſſimis: non minus tamen laude dignum, quae ingenio defuere, induſtria penſaſſe, et vndique nitorem collegiſſe. Eum preſſe duces ſuos, inprimis Virgilium eſſe per omnia ſecutum: vnde ipſi, quod ſaepe imitantibus, acciderit, vt dum varios flores collegit, quos infereret operi ſuo, inaequabile paſſim illud reddidiſſet. Plurimis tamen locis formoſum ſatis, atque ſuis numeris abſolutiſſimum. Non eſſe negligentem colorum, digreſſionum, ſimilitudinum, earumque figurarum, quas vulgo in deliciis habere poetae ſoleant.

§. LXXXII.

Quod ad dicendi genus atque ſtilum attinet, quantum ipſi per ligatam orationem et genium illius temporis licuit, puritate ac ſermonis Romani facundia prorſus nemini illorum cedit, quos ea vel proxima vidit aetas.

§. LXXXIII.

Quamuis aetate ſua celeberrimus eſſet poeta, vt ſupra aequalium, Plinii, Martialis atque Taciti teſtimoniis aliquoties docuimus: poſt ea tempora ita tamen obliterata fuit eius memoria: vt ex omni veterum grammaticorum choro, quantum nobis quidem conſtat, non eſſet, qui mentionem eius fecerit. Vnus SIDONIVS

APOL-

r) Praefat. ad Silium ſuum. Confer eiuſd. diſſert. acad pag. 82. vbi inter alia: *Si quo inferius eſt Italici ingenium, quam Virgilii aut aequalis; id excuſationem temporis habet, quod poſt Auguſtum deficere coepit, quanquam perparuo, tamen aliquo modo, vt veteres quoque, Quintilianus et alii, conqueſti ſunt: & ſi quid deeſt antiqui nitoris, id maiori vtilitate in aliis rebus compenſauit.*

APOLLINARIS, haud obſcurus quinti ſeculi ſcriptor, in claris poetis illum numerauit. *s*) Ex quo tempore, cum ingeniorum praeclari foetus multi ſaeua barbarorum manu interiere: noſtrum ea fata manſerunt, vt ſecurius in angulis clauſtrorum, quo dudum reiectus fuerat, ſordibus ac puluere bene tectus iaceret. *t*) Ex orco tandem reuocatis literis, durante concilio Conſtantienſi, vna cum aliis libris Silii poema in turri quadam a Poggio Florentino inuentum eſt. Sic Poggius ille

— — — ſolers Germanis eruit antris
In Latium altiloqui diuina volumina Sili.

Prodierunt primum illius de bello Punico ſecundo libri ſeptendecim *Romae* 1471. 1474. 1480. fol. in domo Petri de Maximis per Conradum Schweinheim et Arnoldum Pannarz. Mox *Parmae* 1481. fol. accedit auctoris vita. *Mediolani* 1481. fol. ex Domitii Calderini caſtigatione. *Venetiis* 1483. fol. per Baptiſtam de Tortis 1492. fol. cum Petri Marſii commentariis, opera ingenioque Boneti Locatelli.

§. LXXXIV.

Seculo decimo ſexto illuſtriores Silii editiones habemus, quae typis deſcriptae ſunt *Venetiis* 1523. 8. ex Aldi officina. 1531. 8. cum Baſilii ſcholiis. *Florentiae* 1515. 8. apud Philippum Iuntam, ex Ambroſii

s) Excuſatorio ad Felicem v. 260.

t) VOSSIVS de hiſt. Lat. l. 1. c. 29. *Quodſi cognitus fuiſſet aetate Franciſci Petrarchae, non ſummus ille vir, et, ſi non vnicus, ſaltem praecipuus iis temporibus litterarum aſſertor ac vindex, laborem ſumſiſſet idem argumentum tractandi nouem illis libris, quibus Africae nomen dedit. Nam profecto quid ille ad Silium?*

Digitized by Google

Nicandri caſtigatione. *Pariſiis* 1508. 4. ſine notis. 1512. fol. cum Petri Marſii comment. ex aedibus Nicolai de Pratis. 1531. 8. cum argumentis atque ſcholiis Herm. Buſchii apud Simonem Colineum. *Lugduni* 1514. 8. per Damianum Beneſſam. 1547. 12. apud Gryphium. 1551. 12. apud eundem. 1578. et 1598. 12. apud Antonium Candidum. *Antuerpiae* 1567. 12. per Phil. Nutium. *Baſileae* 1522. 8. apud Thom. Wolfium. 1543. 8. apud Henricum Petri, cum annotationibus Hermanni Buſchii, obſcura impeditaque expedientibus. Splendida in fronte apparet auctoris commendatio haec: *Silii Italici libri XVII. bellorum, quae Romani aduerſus Poenos geſſerunt, ingenioſiſſima conſilia, euentus caſusque mire raros et varios elegantiſſimo carmine ac certiſſima fide deſcribentes. Et iis, qui linguae Latinae elegantiae ſtudent, et animi prudentiam reique militaris peritiam quaerentibus perutiles.* Lipſiae 1504. fol. cum Hertii et Buſchii argumentis, itemque ſcholiis Buſchii in margine adiectis, per Martinum Herbipolenſem.

§. LXXXV.

Sequentis ſeculi editiones vulgatae ſunt *Pariſiis* 1618. 4. cum erudito Claudii Dauſqueii commentario. *Lugduni* 1603. 1616. et 1627. 4. in corpore poetarum. 1603. 12. et 1614. 8. apud Joh. Pillehote. *Geneuae* 1611. et 1640. 4. in corpore poetarum. 1607. 12. apud Heredes Iacobi Chouet. *Lugduni Batau.* 1600. 12. apud Raphelengium, cum Dan. Heinſii crepundiis Silianis, quas duodecim, ad ſummum quatuordecim, annos natus edidiſſe perhibetur: mox Cantabrigiae recuſas. Additur illis quoque diſſertatio de verae criticae apud veteres ortu, progreſſu et uſu. 1611. 12. eiuſdem repetita editio apud eundem. *Amſtelodami* 1620.

et 1627. forma minore apud Ianſonium. 1628. 12. cum praemiſſa Silii vita per Herm. Buſchium. *Lipſiae* 1695. 12. cum elegantiſſimis Chriſtophori Cellarii notis, tabulis geographicis, ac gemino rerum et Latinitatis indice.

§. LXXXVI.

Noſtra aetate Silius tandem prodiit elegantiſſime *Vltraiecti* 1717. 4. cum variorum notis, accurante Arnoldo Drackenburgo. Apparent in editione hac, multis etiam figuris ornata, excerpta ex Franc. Modii nouantiquis lectionibus, et Caſp. Barthii aduerſariis, tum Dan. Heinſii crepundiis Silianis, et poſtumis notis Nic. Heinſii. *v*) *Londini* 1713. fol. in corpore poetarum.

§. LXXXVII.

P. PAPINIVS STATIVS *x*) Neapolitanus Patrem habuit Publium Papinium Statium, virum Graeca et Latina lingua eruditum, qui cum alios, tum etiam quoad vixit Domitianum Imperatorem optimis literis inſtituit, a quo non ſolum habitus eſt ſummo honore, verum etiam auro et corona donatus eſt. Hic primum genus inopia et egeſtate obliteratum, ita nominis celebritate nobilitauit, vt, quod contigit olim Homero, duo nobiliſſimae ciuitates, Sellae Epirotarum, et Neapolis Campanorum, de patria eius ſibi vindicanda decertarint. Ex Agellina vxore, quam habuit vnicam et ſuperſtitem ſibi, P. Papinium Statium noſtrum genuit, eiusque adoleſcentiam ipſe bonis artibus ac omni rerum varietate ad

 finem

v) Vid. Acta Erudit. Lipſ. 1717. pag. 54

x) Proprium erat ſeruorum *Statii* nomen, a *ſtando*: quod illorum eſſet ſtare et praeſtolari dominorum iuſſa. Confer. diſſertatio noſtra de adoleſcentia Latinae linguae cap. 2. §. 9.

Digitized by Google

finem vſque vitae ſedulo formauit. Annum agens tandem ſexageſimum quintum, ſomni morbo, quem lethargum vocant, inexpergeſcibilis diem obiit ſupremum, poſtquam multa et proſa et carmine ſcripſit, quorum ad noſtram aetatem omnino nihil peruenit. Filius autem, cum Patris obitum epicedio *y*) proſequeretur, gratam poſteris tanti viri memoriam conſeruauit. Haud degener Filius hic noſter poeta, quod extemporali carmina dicendi facilitate excelleret, eidem Caeſari Domitiano quoque gratiſſimus fuit: cuius inter adulatores maximus, vt poetarum ſuo aeuo longeque poſt et ante princeps, pro temporis illius conſuetudine, victum ſibi parare ſtuduit. Sed tamen ipſe illo in patrem epicedio queritur, quod *vilis honos ſtudiis.* Albano certamine, Domitianus Caeſar eadem, qua patrem, qui praeſens tum fuerat, poetam noſtrum corona et agro Albano donauit; bis eum inſigniuit auro, ſplendidoque cum ſenatoribus et equitibus Romanis ſuſcepit conuiuio: quod ipſe teſtatur carmine, quod euchariſticon inſcripſit. *z*) Sic ter Papinius Albano certamine coronatus, domi quaſi triumphans a coniuge tenerrimo affectu et ambabus vlnis exceptus fuit. Literis hoc praedicat: *a*)

— — *Ter me nitidas Albana ferentem*
Dona comas, ſanctoque indutum Caeſaris auro,
Viſceribus complexa tuis, ſertisque dediſti
Oſcula anhela meis. — — — —

Vbi

y) Siluarum lib. 5. carm. 3. Confer. LILIVS GREGORIVS GYRALDVS de Latinis poetis dialogo quarto.

z) Silu. lib. 4. carm. 2.

a) Ad Claudiam vxorem. Silu. lib. 3. carm. 5.

Vbi CASP. BARTHIVS *b*) notat, poetas eiuſmodi certamine non ſolum coronatos, verum inſuper quadam palmata, aut alia veſte ab ipſo Caeſare indutos fuiſſe. In honorem Mineruae eos agonas inſtitutos: cuius effigiem praetexta tulerit. Ex ea Domitiani Caeſaris gratia, quam extemporali in carminibus dicendis felicitate ſibi comparauit, multorum aequalium inuidiam atque odium concitauit. Vnde nec Martialis, cum adeo celebret Stellam poetam, cui noſter primum Siluarum miſit librum, tanti huius Stellae amici et ſui aequalis mentionem facere voluit. GEVARTIVS *c*) Statium putat fuiſſe perſibilatum a MARTIALE *d*) vbi ſub nomine Sabelli coenipetam ridet poetam, cui venter artis magiſter,

Laudas, inquit, *balnea verſibus recentis*
Coenantis bene Pontici, *Sabelle*,
Vis coenare, *Sabelle*, *non lauari.*

Sed tamen et ipſe, mirum quantum, Domitiano adulatus: eiusque opera tantis laudibus proſecutus eſt, vt nec Iouem, nec ſuperos omnes dicat ſoluendo futuros, ſi nomina ab illis Caeſar exigere vellet. *e*) Statii ex veteribus vnus IVVENALIS *f*) meminit, qui et illum perſtringere magis, quam laudare videtur, vbi ſtilo ſatyrico ſcribit:

Curritur ad vocem iucundam, et carmen amicae
Thebaidos, laetam fecit cum Statius vrbem,
Promiſitque diem, tanta dulcedine captos
Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi

Audi-

b) Animaduerſ. ad Statium pag. 339.
c) Papiniarum lectionum cap. 35. *d*) Lib. 9. epigr. 20.
e) Vid. MARTIAL. l. 9. epigr. 4. confer. eiuſd. l. 5. epigr. 8.
f) Satyr. 7.

Auditur, ſed cum fregit ſubſellia verſu,
Eſurit, intactam Paridi niſi vendat Agauem.

Notat enim de bello Thebano poema Statii, qui quod laeta praeberet ciuibus carmina et vocem haberet bonam, ab omnibus dilectus ipſius Principis iniiſſe gratiam; poſtquam vero grandior aetate audientium perdiderit fauorem, niſi cantionem inauditam pantomimo vendidiſſet, vnde ſe ſuſtentaret, non habuiſſe. Laboribus enim exantlatis, poſt tot victorias, cum animi non eſſet tantus vigor, quam olim, victus in agone quinquennali Caeſaris Domitiani, conceſſit aliis poetis, contra ipſum vel ad inuidiam coronatis. Quod ipſe innuit carmine ad Claudiam vxorem ſcripto, vt feſſa vrbanis negotiis ſecum Neapolin ſecederet. *g*)

— — — — *Tu*, inquit, *cum Capitolia noſtrae*
Inficiata lyrae, ſaeuum ingratumque dolebas
Mecum victa iouem. — — — —

Cum iuuenis adhuc eſſet, Claudiam, Claudii Apollinaris filiam, quae tibicini fuerat nupta, et filiam ex eo ſuſceperat, amoris impatiens, vxorem duxit. Poſtea cum ex Claudia filium haberet nullum, quendam ſibi tenerum adoptauit, quem praematura morte extinctum epicedio, vt maximam prae ſe ferret animi aegritudinem, defleuit. *h*) Vbi inter alia:

— — — — — — *Ecce lacertis*
Viſcera noſtra tenens, animaque auellitur infans:
Non de ſtirpe quidem, nec qui mea nomina ferret
Oraque: non fueram genitor. Sed cernite fletus
Liuentesque genas, et credite planctibus orbi.

Orbus

g) Silu. I. 3. carm. 5. v. 31.
h) Vid. Siluar. lib. 5. carm. 5.

Digitized by Google

Orbus ego: huc patres, et aperto pectore matres
Conueniant — — — — — —
Siqua ſub vlceribus plenis ad funera natos
Ipſa gradu labente tulit, madidumque cecidit
Pectus, et ardentes reſtrinxit lacte fauillas. etc.
Adſit et alterno mecum clamore fatiſcat.
Vincetur lachrymis, et te natura pudebit.

Vergentibus ad ſenium annis, laborum ſatur atque luxuriae Romanae, velut ad ſuaue otium, Neapolim conceſſit: quo et Claudiam vxorem, modeſtia, caſtitate et inprimis ſui mariti obſeruantia nobiliſſimam carmine *i*) vocauit: vt in patria vtrique communi, vbi maior probitas, et opaca quies, et ſordida nunquam gaudia, velut curis laboribusque exantlatis, quicquid reliquum eſſet vitae, ex animi ſententia tranſigere poſſent. In Neapolitano frequens erat apud Virgilii monumentum, ſiue vt venerationis cauſſa loquitur, templum. *k*)

— — — *Tenues*, inquit, *ignauo pollice chordas*
Pulſo, Maroneique ſedens in margine templi
Sumo animum, et magni tumulis accanto magiſtri.

Ita manes poetae venerabatur, cuius ductu pridem helicona virentem adire coeperat: et maximo ſpiritu nunc carminis maieſtatem imitari conabatur. *l*) DANTES ALIGERIVS carmine quodam prodidit, *m*) Statium Papinium religioni Chriſtianae addictum fuiſſe, atque Chriſtianis tum valde laborantibus, ob metum occulte pro

i) Silu. lib. 3. carm. 5. *k*) Silu. l. 4. carm. 4.

l) Confer. tr. de virili aetate Lat. linguae part. 1. c. 3. §. 21.

m) Confer. GYRALDVS de Latinis poetis Dialog. 4.

pro viribus opem tuliſſe: ne ſuppliciis et cruciatibus ipſe agitaretur, quibus tum miſeri affligebantur. In eam vero pietatem fuiſſe tractum Virgilii *n*) verſu ex Sibyllinis:

Iam redit et virgo, redeunt Saturnia regna.
Iam noua progenies coelo demittitur alto etc.

Nullo auctore idoneo fabulantur quidam, Statium praeacuto ſtilo a Domitiano fuiſſe confoſſum. *o*) Diem vero obiit ſupremum, ex H. DODWELLI rationibus, poſt Chriſtum natum anno XCVI. Domitiani poſtremo.

§. LXXXVIII.

Non confundendus eſt cum aliis Statiis, patre videlicet, de quo ſupra quaedam monui; et quod Danthes Aligerius fecit, cum Statio Rhetore Toloſano, cuius HIERONYMVS *p*) meminit. *Statius Surculus*, inquit, *Toloſenſis in Galliis celeberrime rhetoricam docet.* Eius vero nomen verum ex Suetonii libello de claris rhetoribus ſupereſt, vbi non *Surculus* ſed *Vrſulus* vocatur ille Statius, qui ſub Nerone floruit. *q*) Statius fuit alius poeta comicus, multo vetuſtior, qui praenomen Caelii habuit, ac noſtras in deſcribendis Latinae

n) Ecloga 4. *o*) Vid. GYRALDVS de Latinis poetis dialogo 4. Inprimis de Statii noſtri vita et rebus geſtis conſulendi ſunt annales Statiani, a praeſtantiſſimo viro H. DODWELLO Oxon. 1698. 8. editi. Confer. BARTHIVS in Stat. tom. 1. pag. 366.

p) Chronico Euſebiano Olymp. CCIX. an. 1. qui eſt Neronis ſecundus. Sic referente FABRICIO V. C. biblioth. Lat. l. 2. c. 16. p. 433. Domitius Calderinus, Frid. Morellus, Lindebrogius et alii perperam *Papinium Surculum Statium* appellarunt.

q) Confer. G. I. VOSSIVS de poetis Latinis cap. 3. p. 4. 5.

tinae linguae fatis alibi *r*) excitauit operas. Alius fuit quoque Statius Seboſus, quem PLINIVS *s*) de piſcibus citat.

§. LXXXIX.

Papinii, quae hodie extant et laudantur, opera ſunt I. Siluarum libri V. ex quibus et vehemens in eo carminis genere, et extemporale ingenium, vel vt ipſe loquitur, ſubitum calorem perſpicere licet. Sic, vt APOLLINARIS *t*) habet,

— — — *pedum minore rhythmo*
Pingit gemmea prata Siluularum.

Ex illis facile et amicos, et fortunam, et reliqua poetae fata cognoſcere poſſumus. Singulos libros ſingulis amicis, primum Stellae, alterum Meliori, tertium Pollioni, quartum Marcello, et quintum Abaſcantio, proſa oratione inſcripſit. Ex ea VAVASSOR *v*) iudicat, eum minus valuiſſe in ſoluta, quam ligata dictione. Quod adeo mirandum non eſt: cum et *Virgilium*, vt SENECAE *x*) verbis vtar, *illa felicitas ingenii oratione ſoluta reliquit; Ciceronem eloquentia ſua in carminibus deſtituit.* Ex ipſis Siluarum carminibus quaedam verſibus phalaecis vel alcaicis *y*) quaedam ſapphicis *z*) plura heroicis conſcripta ſunt. Dictio in illis magis natiua, quam in reliquis operibus: licet probe ſciam, IVL. CAES. SCALIGERVM *a*) iſtud pernegare, quoniam in ſiluis calor eſſet vagus, cuius impetu quaſi per ſaltus omnia carpat

r) De adoleſcentia Lat. linguae cap. 2. §. 9.
s) Hiſt. natur. l. 9. c. 15. *t*) In hendeca ſyllabo ad Felicem.
v) De ludicra dictione pag. 211. 228. *x*) Praef. 3. controu.
y) Vt lib. 1. c. 6. lib. 4. carm. 5. *z*) Vt lib. 4. carm. 7.
a) Poetices lib. 6. c. 6. pag. 842.

pat oratio. 2. Reliquit duodecim Thebaidos libros, multa, vt ipſe loquitur, cruciatos lima, qui proinde multis videntur eſſe duriores atque minus concinni. *b*) Antimachum argumento tantum imitatus eſt: ille enim, quod ad dictionem attinet, tumidus et laxus, hic durus et arctior vulgo eſſe praedicatur. Thebais inſcriptum opus eſt de Thebis, ſeu de bello Thebano, quod antiquius aliquanto fuit ipſo Troiano. Praeter Statium Thebaidem hexametris, vt modo dixi cecinit Antimachus et Nicander Colophonius. Argumentum recenſet DIDYMVS. *c*) Eiuſdem argumenti quoque eſt inter Senecae tragoedias quaedam auctoris incerti. Praeter Antimachum et Graecos in hoc genere ſcriptores alios, Aeneidos Virgilianae exemplum, nec inuita Minerua, ſecutus eſt: qua de ſcripſerat ipſe:

Sed longe ſequere, et veſtigia ſemper adora.

De ipſo argumento videatur BERNARTIVS *d*) qui ex diuerſis auctoribus celeberrimum illud ſemper habitum bellum Thebanum expoſuit, inter Oedipi filios, mirabili neſcio magis, an miſerabili exitu geſtum. 3. Superſunt Papinii duo Achilleidos libri. Plures deſiderantur. Nam Achilleis, de iis quae bellum Troianum anteceſſerunt, imperfecta ab auctore relicta eſt, qua longe plus doctis vide-

b) Quanta cura et ſolicitudine hos libros ad ipſam coniugis voluptatem confecerit, et quot annos impenderit illis, haud obſcure intelligimus ex carm. 5. lib. 3. Silu. ad Claudiam vxorem ſcripto.

— — — — *Tu procurrentia primis*
Carmina noſtra ſonis, totasque in murmure noctes
Aure rapis vigili. Longi tu ſola laboris
Conſcia, cumque tuis creuit mea Thebais annis.

c) Siue quicunque auctor ſcholiorum in Homeri Odyſſ. X;

d) Schol. init.

videtur potuiſſe, quam in ipſa Thebaide praeſtare. Vtramque Achilleidem et Thebaidem Imperatori Domitiano dicauit. In quibuſdam codicibus Achilleis vno complectitur libro; ab aliis contra in libros quinque diſpeſcitur: quos et ipſe VOSSIVS *e*) ſequitur; CASPARVS vero BARTHIVS *f*) refellit.

§. XC.

De ſcriptis Papinii Statii, vt ſupra quoque monuimus, doctiores critici iudicant, meliores eſſe ſiluas Thebaide et Achilliade; cura cultuque detractum vel robur orationi, vel numeros verſibus, vel gratiam vtriſque: ſecus atque SCALIGER *g*) qui magnum in vtriſque deprehendit artificem, et maiorem, vbi ille eſſe conatus eſt. Neque culpatum ab aliis tumorem admittit, cum neque metaphoris vtatur ferreis, neque inſolitis figuris et abditis ſententiis, neque in ſono et viuida oratione videatur peccare. Vno excepto Marone, ſecundum eius ſententiam *h*) poetarum heroicorum, tam Latinorum, quam Graecorum, princeps eſt, verſusque facit meliores, quam ipſe Homerus: et figuris frequentior, et officiorum, habitudinum, animorum prudentior diſtributor, et caſtigatiorum auctor ſententiarum. IOH. BERNARTIVS *i*) virilem et grauem poetam maximopere commendat, quod veſtigium eius ſemper in flore, qui delectet, vel in ſententia, quae informet. *Nuſquam non*, inquit, *electa verba, caſta Latinitas, hilaris color, agentes figurae, ſenſus acres, ſimilitudinum vitalis ſuccus, vis alta, indoles rara, mira maie-*

e) De poetis Latinis p. m. 4. 5. *f*) Aduerſ. l. 52. c. 13.
g) Poetices lib. 6. qui eſt hypercriticus cap. 6. pag. 841. ſeq.
h) Loc. cit. pag. 844. *i*) Praefat. ſchol. in Stat.

maieſtas. Denique, vt verbo dicam, quemadmodum Phrigiones e varii coloris filo vnum aliquod aulaeum texunt, ſi ex mille venerum, mille leporum floſculis, amoeniſſimi poeſeos huius conſtat hortus, opulentiſſimis metallis aequandus: quorum in alto latet vena magis magiſque reſponſura fodienti. Habeo ego et pono fidenter inter prima Romana ſcripta. Et IVST. LIPSIVS: *k*)

Quis hic Papinius? poeta magnus,
Vel dicam potius, poeta ſummus:
Certe proximus eſt poeta ſummo,
Quod mecum fateatur ipſe liuor.

Poeta non extemporalis modo, verum etiam magni ſpiritus fuit, ac pleraque ſua ſublimiori pronunciauit ore, adeo quidem, vt a carminis maieſtate nunc generoſus vates, nunc Aquilinus, nunc Alatus equus appellaretur. Enimuero cum generoſi elatique eſſet animi, nihil mediocre ſequebatur, et inprimis generi epico nauabat operam: quo vix alius ad gloriam Virgilianam acceſſit propius, ſuoque merito heroicorum poetarum, Graecorum iuxta et Latinorum, ſi Maronem excipias, princeps haberi poteſt. Non negamus eſſe in eo multa plane diuina, vt haec ſunt:

— — — — Feruent diſcurſibus arces.
Miſcentur clamore viae. Ferrum vndique et ignes
Mente vident, ſaeuas mente accepere catenas.
Conſumſit ventura timor. Iam tecta replerant
Templaque et ingratae vallantur planctibus arae.
Vna omnes eademque ſubit formido per annos.
Poſcunt fata ſenes: ardet palletque iuuentus.
Atria femineis trepidant vlulata querelis.

Flent

k) Epigr. in Statium a Bernartio emendatum.

Flent pueri: et flendi nequeunt agnoſcere cauſſas,
Attoniti, et tantum matrum lamenta timentes.

Rurſum:

– – – Nec habent extrema pudorem.
Ipſae tela viris, ipſae iram animosque miniſtrant:
Hortanturque, vnaeque ruunt: nec auita gementes
Limina, nec paruos ceſſant oſtendere natos.

Haec et alia adultis et prudentioribus eloquentiae Romanae cultoribus ſtimulo eſſe poſſunt ad ineundam rationem contemplandi poetae ingenioſiſſimi foetus et artem.

§. XCI.

Quod ad ſtilum eius attinet, placet omnino MORHOFII *l*) iudicium, qui magnam in eo quidem agnoſcit praeſtantiam ingenii, nimium tamen reprehendit tumorem, quicquid Scaliger obloquatur, et loquendi catachreſticum morem. Putat ergo, nec inconſulto, legendum eſſe cum iudicio, minime vero in prima aetate, qua ad imitationem ſint optima tantum quaeque proponenda: cum apud illum multa reperiantur audaci furore dicta, plus phantaſiae, quam iudicii, et ea quae in ſermone Romano temere imitari non liceat. Veriſſimum eſt, quod Borrichius dicit, eum inſtar Alexandri, vt magnis virtutibus, ita magnis quoque vitiis ſcatere. Nimiam in carminibus prodit audaciam ſtili, et eos dicendi modos, qui vix alicuius attentionem merentur. Sublimitate ſua, vel, vt verius dicam, tumore, vix

l) Polyhiſt. liter. l. 4. c. 13. §. 9. Cum Morhoſio facit quoque Cl. WALCHIVS hiſt. critica Lat. linguae cap. 1 pag. 63. BERNARTIVS contra praefat. ſchol. expedire hunc magnum poetam non ſolum in manibus iuuentutis eſſe, ſed etiam eorum quibus in literaria rep. ius ſpectandi in quatuordecim, imo in ipſa orchestra.

vix ſatis poteſt intelligi: cum loquitur phaebum ſaepe, et meteoris haeret oratione obſcura: vt ſcholis commendandus minime gentium videatur. Ipſe SCALIGER *m*) qui magno animo defenſionem eius ſuſcepit, multa aut aliter dicta, aut non dicta ab eo voluit eſſe: et immemor ſui miratur eius *Alpinam cupreſſum*, quae in Alpibus inueniatur nulla. Audaciam accuſat poetae poſt Virgilium in eodem genere meliora deſcribere conantis: cui propinquior eſſe potuiſſet futurus, niſi tam prope eſſe voluiſſet. Quandoquidem ſua elatus natura, ſicubi excellere conatus eſt, in tumorem excreuit.

§. XCII.

Scripta Statii prodierunt primum *Parmae* 1473. fol. per Stephanum Corallum. *Romae* 1475. fol. per Arnoldum Pannartz. 1476. fol. cum Domitii Calderini Veronenſis, ſecretarii Apoſtolici, in ſiluas commentario. *Brixiae* 1485. fol. cum Ioh. Britannici comment. in Achill. *Venetiis* 1483. et 1490. fol. cum Luctatii *n*) in Thebaidem commentariis. 1494. fol. per Barthol. de Zanis, cum Luctatii commentario in Thebaidem, et Franciſci Maturantii in Achilleidem. 1498. fol. cum Domitii Chalderini et aliorum commentariis.

§. XCIII.

Sequenti ſeculo celebriores Statii editiones ſunt *Venetianae* 1502. et 1519. 8. apud Aldum. *Pariſienſes* 1530. 8. apud Simonem Colinaeum. 1600. 4. ex diligenti recenſione Friderici Tiliobrogae, ſiue Lindebrogii,

m) Poetices l. 6. c. 6. pag. 842.

n) Luctatius, vetus ſcholiaſtes, ab aliis Lutatius, vel Luctatius Placidus, aliis Placidus Lactantius appellatur: de quo legendus eſt FABRICIVS bibl. Latina l. 2. c. 10. p. 436. VOSSIVS de poetis Latin. p. m. 45. 46.

Digitized by Google

gii, cum variis lectionibus et Luctatii, ſiue Lactantii Placidii ſcholiis antiquis in Thebaidem et Achilleidem. *Lugdunenſes* 1547. 12. apud Gryphium. 1559. 12. apud heredes Sebaſt. Gryphii. 1598. 12. cum eruditiſſimis Ioh. Bernartii annotationibus. *Antuerpianae* 1585. et 1595. 8. apud Plantinum cum iiſdem Ioh. Bernartii ſcholiis. *Baſilienſis* 1541. 8. apud Henr. Petri. *Heidelbergenſis* 1600. apud Commelinum cum Iani Gruteri notis. Et *Geneuenſis* ſupra iam notata Lindebrogii editio 1600. 4.

§. XCIV.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſeptimo prodierunt Statii opera *Pariſiis* 1602. 4. Fed. Morelli et Domitii Calderini obſeruationibus illuſtrata, cum Lindebrogii annotationum corollario. *o*) 1618. 4. cum notis Emerici Crucei, additis veteribus Luctatii ſcholiis, et recentium animaduerſionibus. 1658. 8. tribus voluminibus, cum notis Franciſci Guieti, et Gallica Michaelis Morolleſii verſione. 1684. 4. in vſum Delphini, accurante Claudio Beraldo, cum notis, paraphraſi et omnium verborum indice. *Cantabrigiae* 1651. 8. ex recenſione Thomae Stephens. *Amſtelodami* 1624. forma minore. 1630. 12. 1653. 12. accurante Ioh. Frid. Gronouio. *Lugduni Batau.* 1616. 8. cum Papinianis lectionibus Caſparis Geuartii. 1671. 8. cum ſelectis variorum notis accurante Ioh. Veenhuyſen. *Geneuae* 1605. 12. 1612. 12. cum eruditis Ioh. Bernartii ſcholiis, adiectis quoque ad Siluarum libros obſeruationibus. *Cygneae* 1664. 4. 2. volum. cum locupletiſſimis Caſp. Barthii commentariis, in-

o) Haec appendix eſt ad Statium Lindebrogii, qui prodiit Lutetiae 1600. quarto maiori.

inſperſis ad Thebaida et Achilleida commentariis et gloſſis veterum, addito quoque ſcholiaſte Luctatio, accurante Chriſtiano Daumio.

§. XCV.

Noſtra aetate *Londini* 1728. 4. Ier. Marklandus coll. S. Petri Cantabr. ſocius Statium ex vetuſtis exemplaribus recenſuit, ſuasque illi et notas, et emendationes adiecit.

§. XCVI.

M. VALERIVS MARTIALIS, genere Hiſpanus, Bilbili haud ignobili Celtiberiae vel Arragoniae oppido *p*) natus, *q*) Romam XX. annorum Iuuenis venit, vt tanto facilius optimarum artium ſtudio verſaretur. Ingenio ille quidem gaudebat feliciſſimo; agendis vero cauſſis

p) Hinc ipſe MARTIALIS lib. 1. epigr. 62. vbi de patria virorum illuſtrium:

Te, Liciniane, gloriabitur noſtra
Nec me tacebit Bilbilis.

Confer. eiuſd. l. 1. epigr. 50. et SIDONIVS APOLLINARIS Carmine 23.

q) Natales illi Martiae Kalendae, vt patet ex lib. 10. epigr. 24. l. 9. epigr. 53. et l. 12. epigr. 60. Sunt qui putant Frontonem eius fuiſſe patrem et matrem Flaccillam, ex epigr. 35. lib. 5. Sed ibi non ſuos, ſi quid video, verum Erotii puellae, quam in delitiis habuit, parentes nominat, ſuos vel libertinos olim vel ſeruos. In aliquibus LAMPRIDII editionibus de Alexandro Seuero c. 38. vbi Martialis epigrammata laudatur *Cocus* cognominatur. Quod ibi recte legi VOSSIVS de poetis Latinis p. 46. quidem negat: ſed tamen fatetur *coquum* vocari a Iohanne Sarisberienſi curialium l. 8. c. 13. Iacobo Magno Toletano in ſophologio plus XXV. locis. Vincentio Belluacenſi ſpeculi doctrinalis l. 3. c. 37. Richardo Buri in philobiblio. Et putat, inductus nullo alio fundamento, Martiali noſtro hoc nomen a paterno opificio adhaeſiſſe.

ſis cum ſemet ipſum vel imparem ſentiret, vel manſuetiorum Muſarum magis eſſet captus amore: ab ineunte aetate per omnem vitam inſtituit poeticam exercere artem, atque vt mos erat ſeculi, ex illis certaminibus ſibi laureolam promereri. Cum Romam veniſſet, Neronis maxima ſaeuiebat tyrannis: vt docta iuuentus in mediam vrbis calamitatem incideret: aduerſus quam non potuit eſſe maius quam ex literis ſolatium. Omnem ergo diligentiam atque operam ad ſcribenda epigrammata contulit: quibus inter omnes maxime excelluit, eamque cum ſalibus vrbanitatem prae ſe tulit, vt bonorum omnium ſtudia et fauorem ſibi facile conciliaret, nec ſuis iocis quemquam fuiſſe laeſum publice praedicare poſſet, ad Caeſarem Domitianum cum ſcriberet: *r*)

Quinctus noſtrorum liber eſt, Auguſte, iocorum,
Et queritur laeſus carmine nemo meo.
Gaudet honorato ſed multus nomine lector,
Cui victura meo munere fama datur.

Faciliora poetae multum atque benigniora fuerunt Titi Veſpaſiani et Domitiani tempora: quibus inprimis ille carus coepit emergere atque multis beneficiis cumulari. Nullam ex coniuge prolem ſuſcepit: laboris ergo ſui praemium atque ſolatium a Caeſare Domitiano primum petiit ius trium liberorum, et obtinuit tanto facilius, quod pridem carmina eius feſtinata et prope ex tempore fuſa Imperatori placuerunt. *s*)

Si feſtinatis, inquit, *toties tibi lecta libellis*
Detinuere oculos carmina noſtra tuos:
Quod fortuna vetat fieri, permitte videri:
Natorum genitor credar vt eſſe trium.

 Haec,

r) Lib. 5. epigr. 15. *s*) Lib. 2. epigr. 91.

Haec, ſi diſplicui, fuerint ſolatia nobis:
Haec fuerint nobis praemia, ſi placui.

Illius ſui factum eſſe compotem voti, ſequens teſtatur ad vxorem epigramma, *t*) quo ſiue neglectam, ſiue repudiatam, ſiue mortuam monet ſua Caeſari non diſplicuiſſe carmina, et praemium accepiſſe ius trium liberorum: vt ſibi vxore iam non opus ſit, nedum liberis: quippe ſi nunc prolem acciperet, ſuo domino pereundum eſſet munus, quod fruſtra dediſſet.

Natorum, inquit, *mihi ius trium roganti*
Muſarum pretium dedit mearum,
Solus qui poterat. Valebis vxor.
Non debet Domini perire munus.

Ius illud trium liberorum in Rom. rep. aiunt a trigeminis Horatiis *v*) eſſe, quod illis, qui ex matrimonio legitimo tres liberos, aut plures, ſuſceperant, multa tribuit in ſpectaculis, honoribus petendis, atque diuiſionibus publicis priuilegia; viri excuſabantur ab omnibus ciuilibus muneribus, quae patrimonii non erant, *x*) a tutelis v. gr. et curationibus. *y*) Mulieres, viuo parente, teſtamentum condere, remque ſuam ſine tutorum auctoritate adminiſtrare poterant. *z*) Illud priuilegium Caeſares aliquando ſingulari gratia ciuibus donabant, quibus ipſa natura negauerat. Rariſſime vero et pro inſigni munere, clariſſimos viros tantum hoc praemii vel honoris conſecutos eſſe: vel inde patet, quod Galba *a*) ius illud vix vni atque alteri, ac ne his qui-

t) Lib. 2. epigr. 92. confer. l. 3. epigr. 95.

v) De quibus LIVIUS l. 1. c 24.

x) L. 2. D. de vacat. muner *y*) §. 1. inſtit. de excuſat. tut.

z) PLUTARCHUS in vita Numae.

a) Teſte SUETONIO eius vita cap. 24.

quidem niſi ad certum praefinitum tempus dedit: atque cum Iunior Plinius pro Suetonio ſuo idem beneficium impetraſſet Traianus ipſe ſcripſit: *b*) *quam parce haec beneficia tribuam, vtique, mi Secunde cariſſime, haeret tibi, cum etiam in ſenatu affirmare ſoleam, non exceſſiſſe me numerum, quem apud ampliſſimum ordinem ſuffecturum mihi profeſſus ſum: tuo tamen deſiderio ſubſcripſi* etc. Martialis noſter quoque Tribunus honorarius et equeſtris dignitatis fuit, ex munere Caeſaris, non cenſu. Imo et in gratiam eius multos Caeſar Domitianus ciuitate donauit. Tanta eius fama erat, ac minime vulgaris eruditionis exiſtimatio. Quod ipſe diſertis verbis praedicat: *c*)

Praemia laudato tribuit mihi Caeſar vterque, d)
Natorumque dedit iura paterna trium.
Ore legor multo, notumque per oppida nomen
Non exſpectato dat mihi fama rogo.
Eſt et in hoc aliquid: vidit me Roma tribunum,
Et ſedeo qua te ſuſcitat Oceanus. e)
Quot mihi Caeſareo facti ſunt munere ciues,
Nec famulos totidem ſuſpicor eſſe tibi.

b) Apud PLINIVM l. 10. epiſt. 96. XIPHILINVS in Auguſto: *tum*, inquit, *Liuiae ſtatuae poſitae ſunt conſolandi eius cauſſa, eaque in numero matrum, quae tres liberos peperiſſent, ſcripta eſt. Lex enim antea ex ſenatus, nunc autem ex Imperatoris auctoritate eadem iura beneficii loco tribuit quibuſdam mulieribus, quae data ſunt eis, quae ter peperint: vt non ſubiiciantur poenis ſterilium, ſed eis omnia fere praemia tribuantur, quae mulieres foecundiſſimae conſequuntur.*

c) Libr. 3. epigr. 95. *d*) Titus et Domitianus.

e) i e. intra 14. gradus ſed eo ſpectator, vnde non equeſtrem te amouent deſignatores, qui diſponendis in theatro ordinibus praeſunt.

Martialis domus ad pilam, ſiue columnam Tiburtinam, in ſeptima vrbis regione, vt ipſe teſtatur: *f*)

Sed Tiburtinae ſum proximus accola pilae;
Qua videt antiquum ruſtica Flora Iouem.

Vbi et docemur templum Florae deae ruſticae, ac vetus capitolium Iouis e regione domus Martialis fuiſſe. In deliciis habuit praeſertim ex Frontone et Flaccilla, ſeruis olim atque defunctis, puellam Erotion, *g*) quam a pulchritudine et ſuauitate mirum quantum commendat: et immaturo fato (vernula enim ſexennis erat) extinctam luget, vt ipſe loquitur, pectus pulſans pariter et comam vellens; optansque ſui amores, gaudiumque, luſusque, oſcula et deliciae.

Inter tam veteres ludat laſciua patronos,
Et nomen blaeſo garriat ore ſuum.

Pari modo vt STATIVM *h*) ſupra tenellum, quem adoptauerat, fato defunctum deplorare vidimus. Hic illius aequalis, paria fere cum illo fortunae incommoda expertus eſt. Vterque non ſine inuidia Domitiani certaminibus vicit atque victus eſt. *i*) Vterque ſenex neglectus et penuria fere oppreſſus vrbe relicta, vt placide viueret tandem et moreretur, in patriam rediit. Domitianus quidem non felicia reddidit bonis artibus fata: Martialem tamen ſua luce ac nominis fama gaudere paſſus eſt. Nec mirum adeo poetam iſtius tyranni opera tantis laudibus perſecutum eſſe, vt nec ipſum Iouem, nec ſuperos omnes dicat ſoluendo futuros, ſi nomina ab illis exigat. *k*) Cui adulationi neſcio num vlla par vſpiam in omni antiquitate legatur. Alibi Dominum Deum-

f) Libr. 5. epigr. 23. *g*) Confer. eiuſd l. 5 epigr. 35. et 38.
h) Ex ſiluar. l. 5. carm. 5. *i*) Confer. huius capitis 5.
k) Libr. 9. epigr. 4.

umque vocat, *l*) quem teſte XIPHILINO et SVETONIO *m*) ſe appellari voluit. Sed tamen Domitiano extincto, et Nerua, anno poſt Chriſtum natum nonageſimo ſexto, illi ſuccedente, Muſis tempora feliciora gratulatus eſt, quibus nunc ſub mitiſſimo Imperatore toto Helicone frui liceat; quibus recta fides, hilaris clementia, cauta poteſtas redeant; et longi metus tandem dederint terga. Imo et miratur, qui Nerua ſub principe duro et malis temporibus eſſe bonus non dubitauerit. *n*) Et anno eum proximo ſequenti Traiano adulatus eſt, inter alia: *o*)

Omnes cum Ioue nunc ſumus beati:
At nuper (pudet, ah pudet fateri)
Omnes cum Ioue pauperes eramus.

Primis vero Traiani annis, cum aetate grandior *p*) neque in tanto honore eſſet, Bilbilim in patriam rediit ea rerum omnium inopia, vt Iunior Plinius ſecedentem viatico proſequeretur. *q*) Quod, ipſo teſte, dederat amicitiae et verſiculis, quos de eo compoſuerat, epiſtola ad C. Plinium Priſcum laudatis: *r*) Et *dedit mihi*, inquit, *quantum maxime potuit*, *daturus amplius*, *ſi potuiſſet.*

l) Lib. 5. epigr. 8.

m) In eius vita cap. 13.

n) Libr. 12. epigr. 6.

o) Lib. 12. epigr. 15. confer. eiuſd. epigr. 8. et 9.

p) Iam tum enim in celebrando natali ſuo lib. 10. epigr. 24. annos praeteritos numerauit quinquaginta ſeptem, ſibique alios octodecim futuros optauit.

q) Vid. PLINIVS lib. 3. epiſt. 21.

r) Integrum eius epigramma, quo Muſam alloquitur, ac praecipit, vt Plinii domum in Exquiliis reuerenter adeat; ipſum vero Plinium ab eloquentia laudat, qua cum ipſo Tullio contendere videatur; extat lib. 10. epigr. 19. Quocum ad Plinium ſimul ſuum librum miſit.

Digitized by Google

tuiſſet. Tametſi quid homini poteſt dari maius, quam gloria, et laus, et aeternitas? At non erunt aeterna quae ſcripſit. Non erunt fortaſſe: ille tamen ſcripſit tanquam eſſent futura. Sic Plinius temporis timebat iniuriam et fore credidit, vt Martialis aeternitate dignum opus interiret. Sed ſupereſt hodie, et quam meretur immortalitatem cum reliquis tanti poetae epigrammatibus habebit. Neque felicior poetae ſeceſſus fuit. Quamuis enim ille coniugem ſuam Marcellam, ex eadem Bilbili Hiſpanam, de comitate, prudentia, et morum ſuauitate ita commendet, *s*) vt matronis fere omnibus Romanis praeferenda, ipſi deſiderium vrbis minus eſſe iubeat, et Romam faciat ſola: imo illius hortis ita ſe capi fateatur, *t*) vt nullius cederet voluptati, ſi vel maximi Regis diuitias haberet.

Hoc nemus, hi fontes, haec textilis vmbra ſupini
Palmitis, hoc riguae ductile flumen aquae,
Prataque etc.
Munera ſunt dominae poſt ſeptima luſtra reuerſo;
Has Marcella domos, paruaque regna dedit.
Si mihi Nauſicae patrios concederet hortos,
Alcinoo poſſem dicere, malo meos.

Mox tamen praefatione libri duodecimi epigrammatum, quem in Hiſpania poſt reditum edidit triennio, non adeo ſibi gratam eſſe prouincialem ſolitudinem ſignificat, cum ſine ſolatio, et ſine excuſatione ſeceſſerit. Ciuitatis aures, quibus aſſueuerat, quaerit, et ſibi videtur in alieno foro litigare. Iudiciorum ſubtilitatem, bibliothecas, theatra, conuentus etc. deſiderat. *Accedit his*, inquit, *municipalium rubigo dentium, et iudicis loco liuor,*

et

s) Lib. 12. epigr. 21. *t*) Lib. 12. epigr. 31.

et vnus aut alter mali, in puſillo loco multi, aduerſus quod difficile eſt habere quotidie bonum ſtomachum. Nec longe poſt ille, qui aetate prouectior, taedio rerum vrbanarum affectus in patriam rediit, pratriae rurſum taedio, quod non in eo eſſet honore, quanto Romae fuerat, imo a ciuibus ſuis ſugillaretur, denique et taedio vitae interiit. Mortuum iunior PLINIVS *v*) dolet, eiusque ingenium laudat. Inter amicos eius fuerunt quoque Stella Patauinus, Decianus, Silius Italicus, Valerius Flaccus, Parthenius, Stertinius ſeu Auitus, et plures alii. Sectae procul dubio fuit Epicureae: quod vel ex vno epigrammate *x*) patet, quo Iulium Martialem ad vitam beatam, voluptuariam ſcilicet adhortatur:

Si tecum mihi, care Martialis,
Securis liceat frui diebus;
Si diſponere tempus otioſum,
Et verae pariter vacare vitae:
Nec nos atria, nec domos potentum,
Nec lites tetricas, forumque triſte
Noſſemus, nec imagines ſuperbas:
Sed geſtatio, fabulae, libelli,
Campus, porticus, vmbra, virgo, thermae;
Haec eſſent loca ſemper, hi labores.

Si quae ſunt alia notatu digna, conſulendus IOHANNES MASSONVS V.C. qui ſigillatim et omnium accuratiſſime vitam Martialis, poſt Gyraldum, Crinitum, plures alios, expoſuit.

§. XCVII.

Sunt alii Martiales cum noſtro non confundendi. *Gargilius Martialis* ſcriptor hiſtoriarum apud VOPISCVM et

v) Lib. 3. epiſt. vlt.

x) Lib. 5. epigr. 21.

Digitized by Google

et LAMPRIDIVM. SIDONIVS *y*) hiſtoriam memorat *Iuuenci Martialis.* Extant quoque epiſtolae binae, ſed ſpuriae, ſub nomine *Martialis* Lemouicenſium apoſtoli. Teſte CASSIODORO *z*) *Gargilius Martialis* de hortis ſcripſit pulcherrime, et nutrimenta olerum, et virtutes eorum diligenter expoſuit. *Martialis* medicus Eraſiſtrateus duos ſcripſit libros ἀνατομικῶν; et Galeno annum aetatis trigeſimum quartum agente ſeptuagenarius fuit. *a*) Fuit et *L. Cincius L. fil. Martialis*, cuius in veteri inſcriptione *b*) mentionem fieri videmus. Et *Martialis* quidam caedis Antonini conſcius fuit. *c*) Saepius noſter ad *Iulium Martialem* epigrammata ſcripſit. Fuit *Martialis* in Vmbria Spoletanus Epiſcopus. *d*) Alius *Turpilius Martialis. e*) *Martialis Aruernus* clarus ſeculi decimi quinti ſcriptor, *Martialis Deſchamps*, ſeculi ſequentis medicus, *Martialis Guietus* poeta, et plures alii.

§. XCVIII.

Scripſit, qui hodie exſtant, epigrammatum libros quatuordecim. Verius, ipſe duodecim epigrammatum libros edidit, quorum vltimum paulo ante obitum Priſco ſuo Romam miſit. Illis decimus tertius additur, cui *Xenia* nomen inditum, quod epigrammata τοῖς ξένοις, i. e. hoſpitibus aut amicis, appoſita fuerit: eaque cum ſint omnium elegantiſſima, mirum quantum extenuare ſolet

y) Lib. 9. epiſt. 14.

z) Diuinar. lect. c. 28. confer. PALLADIVS de re ruſtica lib. 4. tit. 9.

a) Vid GALENVS libro de ſcriptis propriis.

b) Apud SPONIVM p. 89. miſc.

c) Teſte AELIO SPARTIANO de Antonino Caracallo c. 7.

d) Vid. acta Sanctor. T. 1. Iunii p. 395. *e*) Ibid. p. 942.

ſolet. Se prima fronte Saturnalium inquit diebus, quibus pueris fas eſſet nucibus, adoleſcentioribus alea ludere, cum Muſis luſurum, et blattis prandia paraturum; eamque aleam parum quidem lucroſam, nec multum tamen eſſe damnoſam. Mox: *f*)

Omnis in hoc gracili Xeniorum turba libello
Conſtabit nummis quattuor emta tibi.
Quattuor eſt nimium: poterit conſtare duobus,
Et faciet lucrum bibliopola Tryphon.
Haec licet hoſpitibus pro munere diſticha mittas,
Si tibi tam rarus, quam mihi, nummus erit.
Addita per titulos ſua nomina rebus habebis:
Praetereas, ſi quid non facit ad ſtomachum.

Xenia enim, quae carmine adumbrantur, poculenta plerumque et eſculenta ſunt, quae ſtomacho grata eſſe debent. Eius generis quoque liber eſt epigrammatum decimus quartus, ab ἀποφέρω *apophoreta* dictus, quae ſunt dona, conuiuis, vt domum ferant, in ſaturnalibus data. Veſpaſianus, teſte SVETONIO, *g*) dabat ſicut ſaturnalibus apophoreta viris; ita et per calendas Martias feminis. *Praemia*, noſter inquit, *h*) *conuiuae det ſua quiſque ſuo.* Et carptim ſaturnaliorum madidorum celebrationem deſcribit, ac libri materia humiliori excuſata, opuſculum a breuitate diſtichorum commendat.

Verſibus explicitum eſt omne duobus opus.

Extat quoque *de ſpectaculis* epigrammatum libellus, quem Martiali noſtro adſcriptum, alii eius epigrammatum vocant librum decimum quintum; alii praemittunt reli-

 quis

f) Lib. 13. epigr. 3.
g) Veſpaſ. cap. 19. confer. TVRNEBVS aduerſ. l. 28. cap. 32.
h) Lib. 14. epigr. 1.

Digitized by Google

quis eius operibus. Sed iam dudum viri docti *i*) iudicarunt, quaedam in eo libro non conuenire Martialis tempori; multa vero parum eius poetae ingenium ſapere: vt, ſi non plane Martiali abdicandus ille ſpectaculorum libellus, videatur eſſe a variis poetis conſcriptorum in ſpectacula fratrum Titi ac Domitiani carminum collectio, quam ſuis locupletatam fortaſſe Martialis edidit. Vti et in Priapeiis factum, Auguſti Caeſaris Octauiani et Maecenatis tempore vidimus, in quibus nonnulla Catulli, Tibulli, Ouidii, Virgilii et aliorum poemata occurrunt.

§. XCIX.

Luculentum eſt de Martiale iunioris PLINII *k*) teſtimonium, quod homo fuerit ingenioſus, acutus, acer, et qui plurimum in ſcribendo et ſalis haberet et fellis, nec candoris minus. Stertinius, vir clariſſimus, quem noſter mutato nomine Aoitum vocat, tantum ipſius ingenio atque doctrinae conceſſit, vt viuenti adhuc illi, veterum more, in bibliotheca ſua imaginem poſuerit. Ac Aelius Verus Imperator, qui Caeſari Hadriano gratiſſimus fuit, ſolitus eſt ſingulari affectu proſequi lepores atque iocos huius poetae, ſuumque Virgilium vocare. *l*) Teſte PAVLO IOVIO *m*) Marcus Antonius Caſanoua, cui arguti epigrammatis palmam detulit illa ipſa Roma, ſeuerae auris iudicio ſuperba, nec vnquam in confeſſo pudore poetis adulatrix; omnino ſtuduit Martiali perſimilis eſſe: adeo quidem, vt vna praeſertim peracutae et circumductae ſententiae gloria duceretur.

i) Vid. IANI RVTGERSII var. lect. l. 5. c. 15. PETRI SCRIVERII et THOMAE FARNABII annotationes. *k*) Lib. 3. epiſt. 21.
l) Teſte AELIO SPARTIANO de Aelio Vero cap. 5.
m) Elogiis doctorum virorum pag. 142.

retur. Ipſe Theodorus Beza Vezelius, teſte RAPHAELE EGLINO *n*) eius diſcipulo, Martialem *mel merum* dictitare ſolitus eſt. Quam lubenter vero et auide mel illud linxerit, res ipſa loquitur. Nemo enim exiſtimatur ad gloriam carminis Bilbilitani, quam Beza, propius acceſſiſſe.

§. C.

Satyrae formam vt plurimum referre ſolet epigramma, cuius artifex non inſulſus Martialis fuit: quam ob rem *mordax ſine fine* a SIDONIO APOLLINARI *o*) fuiſſe dicitur. Quocum IOVIANVS PONTANVS *p*) ſentit, et *Valerius*, inquit, *Martialis*, *artificioſiſſimus epigrammatum ſcriptor*, *ita in iis quidem iocatus eſt*, *vt frequentius carpat*, *quam delectet*: *tametſi e demorſione ipſa delectatio quoque paritur*: *Adhaec dictis eius partim occultiſſima quaedam inſunt ſpicula* etc. Idem clarius paulo teſtatur OWENVS *q*) Angliae Martialis, et feliciſſimus aculeatae dictionis aemulus, vbi de poeta noſtro:

Dicere, inquit, *de rebus*, *perſonis parcere noſti*:
Sunt ſine felle tui, *non ſine melle ſales.*

Nam et ipſe MARTIALIS *r*) ait, ſe in libellis ſuis tale ſecutum eſſe temperamentum, vt de illis queri non poſſit, qui de ſe bene ſenſerit, cum ſalua infimarum quoque perſonarum reuerentia ludat. Quod ad peculia-

n) In ea, quam ſelectis Catulli carminibus praefixit, epiſtola.

o) Carm. 9.

Non Gaulicus hic tibi legetur,
Non Marſus, *Pedo*, *Silius*, *Tibullus*,
Aut mordax ſine fine Martialis.

p) De ſermone l. 3. c. 18.

q) Lib. 2. epigr. 160.

r) Libri 1. epiſtola ad Lectorem praeliminari.

Digitized by Google

liares epigrammatis virtutes, breuitatem et argutiam attinet, a IVL. CAESARE SCALIGERO *s*) ipſi praefertur Catullo. Quod LIPSIVS *t*) et MVRETVS tam aegre tulerunt, vt vix ſibi a conuiciis temperare potuerint. Sed FR. VAVASSOR *v*) hanc litem ita decidit, vt vincere Catullum, et a Martiale vinci iudicet. Ille puro ac ſimplici candore, figuris quoque elegantibus ſuperat Martialem, atque adeo toto corpore epigrammatis; Martialis vero clauſula epigrammatis et acumine, quod proprium tunc Latinorum et peculiare fieri coepit, Catullum vincit. Praeterea et hendecaſyllabi, et ſcazontes, et Iambi Catulliani multo ſunt venuſtiores, quam Martialis, vt elegiaci Catulliani duriuſculi et ſcabri.

§. CI.

Propter nimiam, qua in ſcribendis epigrammatibus vſus eſt, licentiam vel petulantiam multos etiam ex eruditiſſimis iniquiores et inuiſos cenſores habuit. RAPHAEL VOLATERRANVS *x*) relictos eius epigrammatum libros omnino reiiciendos eſſe putat, quippe qui neque elegantiae Latinae, neque moribus proſint. PAVLVS IOVIVS *y*) eum ingenioſe mordacem et impurum vocat: quem cum Marcus Antonius Caſanoua ſolum imitari voluerit: hoc effeciſſe, vt elocutioni caſta puritas, ac in numero ſaepe duro lenitas deeſſet. Eodem PAVLO IOVIO teſte, *z*) Andreas Naugerius patricii ordi-

s) Poetic. l. 3. c. 126.
t) Epiſt. quaeſt. l. 1. epiſt. 5.
v) De ludicra dictione pag. 231.
x) Commentariorum Vrbanorum lib. 17.
y) Elogiis doctorum virorum pag. 142.
z) Elogiis doctorum virorum pag. 145.

Digitized by Google

ordinis et poeta celeberrimus tam ſeuerus Martialis erat hoſtis, vt quotannis ſtato die Muſis dicato, multa eius volumina, tanquam impura, cum execratione Vulcano dicaret. Et MICHAEL VERINVS decimo octauo aetatis anno Romae defunctus iuuenis eruditiſſimus et caſtiſſimus, qui mortem obire, quam vſu venereo priſtinam valetudinem recuperare, maluit *a*) toto animo abhorruit a Martialis vel ſuperficiaria lectione, vt morum ſanctitatem ſeruaret, idemque in diſtichis haud obſcure teſtatur,

Carmina ſunt, inquiens, *fateor pulcherrima vatis Iberi*
Ad mores faciunt non tamen illa bonos.

Apud MORHOFIVM *b*) Poetam noſtrum e triuio ſcurram prae Catullo vocat Muretus. Eius epigrammata aſinis placere Lilius Gyraldus aiebat. CLAVD. VERDIERIVS, *c*) tetricus ille cenſor, Martialem paraſiten obſcurum, et poetam ſcurrilem, impudentiſſime nominauit. Neque tantum Martialis epigrammata dicteriis multis pupugerunt, verum etiam inuenti ſunt, qui longe maiori opprobrio et iniuria inſigni pro lubitu reſecare inſtituerunt, quae laſciuiora videbantur. Tot inde nati ſunt eius caſtratores, qui alto ſupercilio mira neſcio

a) Notus de eo POLITIANI verſiculis: *Ne ſe pollueret, maluit ille mori.* De ſemetipſo vero ille VERINVS diſticho 318.

Promittunt medici, cor u mihi, Paule, ſalutem
Non tanti vitae ſit mihi certa ſalus.

Alibi:

Cur, Petre, virgineum hortaris me ponere florem?
Non faciam, vel ſi hoc certa paranda ſalus.

b) De Patauinitate Liuiana cap. 9. Differt. acad. pag. 548.

c) Cenſura auctorum veterum et receptiorum.

neſcio quae de ſuo bene merendi ſtudio promittentes, nihil non modo praeſtiterunt, ſed magnum etiam bonis cum literis, tum moribus, inferre damnum deprehenſi ſunt. Primus, qui ex Martiali de caſtitate ſuſpecta loca auferre conatus eſt, *Franciſcus Syluius* fuit, ille enim Pariſiis 1514. Martialem ſuum truncatum emiſit. Hanc fortitudinem ſecutus *Conradus Geſnerus*, Medicus et polyhiſtor Tigurinus, 1544. 8. Tiguri edidit *Martialis epigrammata, recens ab omni verborum obſcoenitate, in adoleſcentium praecipue ſcholarumque vſum, expurgata, et in locos communes LXXXIV. digeſta, vna cum tribus dialogis, quibus ratio huius inſtituti redditur, et Iac. Micylli in Martialem annotationibus.* Dialogorum tertio Rhadamanthus iudex, poſteaquam cauſſa in partem vtramque eſſet a Mitione et Demea coram tribunali diſceptata, hanc tulit ſententiam: *M. Valerius Martialis principio caſtrari debet, dein ferro membratim diſcindi, ita vt nulli artus ei cohaereant amplius: mox diligenter a perito aliquo medico, quaecunque particulae vlla lue infectae fuerint, igne vrentur: reliquae de integro in corpus nouum articulatim concinnatae conglutinentur, quemadmodum Aeſculapius olim fertur ab equis diſcerpta Hippolyti Athenienſis membra, ope artis medicae, in priſtinam integritatem reduxiſſe. Quod ſi temere quiſquam huic ſententiae meae contradixerit, in illo quoque caſtrationis poenam exerceri volo.* Bona verba quaeſo. Et ego tam iniqua manu me caſtrarier ſentiam, cui placet antiquum alta voce regerere ANTIQVO? Abſit malum omen. Non licet. Sed aſſenſum mox praebuere fortaſſis formidine poenae ſanctiſſimi ordinis Ieſuitici Patres, *Andreas Fruſius* Gallus, *Edmundus Augerius*, *Matthaeus Raderus* Tyrolenſis, *Petrus Rodellus*, et *Ioſephus Iuuen-*

Iuuencius Pariſienſis, qui Martialem ab omni turpitudine vindicatum ediderunt. Iſti quamuis etiam ſuos inuenerint patronos, OLAVM BORRICHIVM, *d*) VINC. PLACCIVM, *e*) THOMAM FARNABIVM, *f*) et ipſum IOSEPHVM SCALIGERVM, *g*) qui Matthaeum Raderum Ieſuitam, caſtratorem, vt bene meritum de bono ſcriptore, et candidum Germanum laudat: longe tamen plures et acerbiores rurſum habuere cenſores ſuos. Ex ipſis pontificiis atque Hiſpanis LAVR. RAMIREZ DE PRADO *h*) in Raderum Ieſuitam, Martialis caſtratorem, inuehitur. FARNABIVS, *i*) vtut vel ludibrio dixerit, laudato et vtili exemplo caſtigare atque caſtrare nequiores poetas, Martialem edere tamen voluit integrum, ne argueretur difficilia, et quae Delio aliquo natatore atque interprete, qui Sphingem acceperit, opus habent, ſub praetextu obſcoenitatis omiſiſſe. Nec placuiſſe hoc inſtitutum MORHOFIO, diſcimus illius tetraſticho *k*) quod in Ieſuitas Oweni caſtratores ſcripſit:

Pegaſus ergo tuus factus Cantherius eheu!
Ipſeque Apollo tuus factus Appella fuit!
O ſcelus! aut illos eunuchos conuenit eſſe, aut
Marſiae ad exemplum crimina pelle luant.

In primis VAVASSOR *l*) conſulendus eſt, qui lectu digniſſima plura de hoc detruncandi ſtudio affert. LAVREN-

d) Diſſert. 1. de poetis Latinis §. 39. p. 63. 64.
e) De ſcriptoribus anonymis et pſeudonymis detectis, part. 1. c. 10. p. 79. 80. *f*) Praefat. ad Mart.
g) Epiſt. 159. ad M. Velſerum.
h) In hypomn. ad Martial. amphitheatr. epigr. 25.
i) Praefat. ad Mart. *k*) In epigrammatibus ſelectis pag. 28.
l) Lib. de epigrammate cap. 20.

RENTIVS RAMIREZ de Prado, nobilis Hiſpanus, *m*) ad Raderum Ieſuitam, Martialis caſtratorem: *age*, inquit, *vir honeſtiſſime, qui ſciebas ea eſſe inhoneſta? quod legeram, inquis. Cur legiſti vir tantae ſanctimoniae? et ſi legiſti, cur nobis inuides eam lectionem? Ego vero pati non poſſum ſuperciliosos iſtos cenſores, qui nequitias Martialis nobis adimunt, ſibi relinquunt. Satius fuiſſet, ſanctiſſime vir, vt totum Martialem intactum reliquiſſes, ne ſcilicet puriſſimae manus deligendis epigrammatibus, et interpretandis inquinarentur.*

§. CII.

Fateor poetam noſtrum, incomparabilem epigrammatis artificem, ſcurrilem interdum ac frequenter obſcoenum eſſe: num vero caſtrandus ideo, vel plane abiiciendus ſit, non video. Saepius ambigendi nobis iam fuit occaſio, num etiam id genus ſcriptorum lectio bonis moribus obeſſe poſſit. Bonis dixi moribus: nam de malis nullum dubium. Qui verecundiam amant, foeda ne attendunt quidem, tantumque abeſt vt ad mores ea reuocare et imitari velint. Sed perditi homines etiam ex innocentiſſimis ſcriptis malam ſtudent ſuſtinere mentem atque praetenſam nunc aurium reuerentiam, vel nuditate verborum, vel obſcoenitate rerum inceſtant: vt liber iſtis nullus tam bonus, qui non aliqua ex parte offenderet: cum bonis liber ſit nullus tam malus, vt non certa ratione prodeſſet. Ecquis mortalium omni ſua parte beatus? Suos quiſque patitur manes. Vbi etiam grauiſſimi et moroſi omnes conueniunt Catones, ſi vel maxime in Platonis rep. ſibi viderentur cum perfectis hominibus viuere, nihil adeo ſincerum inter

m) Hypomnemat. ad Martialis amphitheatr. epigr. 25.

inter ſe, et ab omni terrena faece decoctum habent; vt non aliquid mali, aut certe fragilitatis humanae admixtum eſſe intelligatur. Profert Aegyptus noxia multa et multa ſalubria cultori medicamenta; habet Attica vt mel optimum, ita cicutam lethalem: et in quocunque agro violae ſaepius vrticis, ſemper roſae ſpinis internaſcuntur. In libris ingenui adoleſcentes, quod in floribus et herbis apes, faciunt, ac luſtrare quidem omnia, ſed optima tantum libare ſolent. Si quis contra, quod nemo faciet probus, ingenio velit abuti, ſuoque periculo eſſe ingenioſe nequam, in ſemetipſum non in iſtos petulantiores venerandae vetuſtatis poetas, culpam conferre debet. Nam et hoc probe notari meretur, quod IOH. HENR. BOECLERVS *n*) indicat poſtquam laudauit Martialem, vt eruditum et Latiniſſimum poetam, licet nimis obſcoenum, cum alias iuuentuti magno vſui eſſet futurus: ipſum res obſcoenas, ſpurcas, laſciuas non laudare, verum potius acerbe et ſatyrice irridere. Maleuolorum inſaniam et dicacitatem ipſe praeuidit, ideoque libri primi ad lectorem epiſtola praeliminari ſcripſit: *Abſit a iocorum noſtrorum ſimplicitate malignus interpres. — — Improbe facit, qui in alieno libro ingenioſus eſt. Laſciuam verborum licentiam, i. e. epigrammaton linguam excuſarem, ſi meum eſſet exemplum. Sic ſcribit Catullus, ſic Marſus, ſic Pedo, ſic Getulicus, ſic quicunque perlegitur. Si quis tamen tam ambitioſe triſtis eſt, vt apud illum in nulla pagina Latine* i. e. ſimpliciter, aperte, ſine ambage aut fuco, *loqui fas ſit, poteſt epiſtola, vel potius titulo contentus eſſe. — — Non intret Cato theatrum noſtrum: aut ſi intrauerit, ſpectet.* Nec ipſe vn-

Ff 2 quam

n) Bibliotheca curioſa §. 16.

Digitized by Google

quam carmina laſciuiora probauit, nedum admiratus eſt. Erat eius tempore impuriſſimus poeta, Sabellus, qui varia concubitus genera deſcripſit, cuius modi figuris ſchematisque Tiberius Caeſar *o*) cubicula ſua inſtruxit: vt nefarias Aretini recentiores tabellas taceam. Ecquid MARTIALIS? *p*)

Facundos, inquit, *mihi de libidinoſis*
Legiſti nimium, Sabelle, verſus:
Quales nec Didymi ſciunt puellae,
Nec molles Elephantidos q) libelli.
— — — — — —
Tanti non erat eſſe te diſertum.

§. CIII.

De ſumma dictionis elegantia et carminis in hoc genere praeſtantia nemo dubitat. Ab ANGELO POLITIANO *r*) *argutiſſimus poeta*, et *ingenioſiſſimus Latinorum epigrammatum* auctor vocatur. Ab ADRIANO TVRNEBO *s*) *feſtiuiſſimus* et *lepidiſſimus* poeta. A IVSTO LIPSIO *t*) *acutus et capitalis Hiſpanus.* Secundum IOVIANI PONTANI ſententiam, *v*) ſunt dicta eius in

o) Confer. CASAVBON. ad Suet. Tib. c. 43.

p) Lib. 12. epigr. 43.

q) Poetria haec *ποικίλα τῆς ἀφροδίτης καὶ ἀκολασίας σχήματα* ſuis libris expoſuit. Sic quoque libros ſpurciſſimos et nefandi argumenti quidam Muſaeus ſcripſit, quos MARTIALIS Lib. 12. epigr. 97. *pathiciſſimos* i. e. molliſſimos vocat, qui certent cum libellis Sybariticis abominandae nequitiae, ab Hemitheone Sybarita conſcriptis. Confer. LVCIANVS *πρὸς ἀπαίδευτον*. et OVIDIVS triſt. l. 2. v. 417.

r) Miſcell. c. 52. et declamat. pro Quintiliano.

s) Aduerſ. l. 8. c. 4. et l. 13. c. 19.

t) De Amphit. c. 15.

v) De ſermone l. 3. c. 18.

in vniuerſum arguta et ſubtiliter conquiſita; ſententiae abſtruſae et rarae, ſalſae et aculeatae; inuentiones quammaxime acutae; verba praecipue accommodata, quaeque non modo prima fronte lectorem alliciant, verum etiam-poſt lectionem in animo tacitam quandam quaſi titillationem relinquant. IVL. CAESAR SCALIGER *x*) recte iudicat, cum peculiares epigrammatis virtutes ſint breuitas et argutia: hanc non ſemper aſſecutum eſſe Catullum; Martialem vero poetam argutiſſimum nuſquam omiſiſſe. Hinc et in hypercritico: *y*) *ne Martialem quidem transferre libet ad meliora. Multa ſunt eius epigrammata diuina, in quibus et ſermonis caſtitas, et argumenti ſpecies luculenta eſt. Verſus vero candidi, numeroſi, pleni, denique optimi. Alia foeda ne legerim quidem, tantum abeſt vt ad cenſuram vocem.* Quae totidem verbis MICH. NEANDER, *z*) poſtquam obſcoenitatem deuitandam monuiſſet, Martialis venam haud certe vulgarem praedicans exſcripſit, ac lubentiſſime Scaligero incomparabili haud ſiniſtre iudicanti aſſenſum praebuit.

§. CIV.

Martialis epigrammatum editio princeps a MICHAELE MAITTAIRE *a*) laudatur *Veneta* per Vindelinum Spi-

 ren-

x) Poetic. l. 3. c. 126. Sed IVSTVS LIPSIVS epiſtolicar. quaeſt. l. 1. epiſt. 5. *nollem*, inquit, *viro magno excidiſſet hoc iudicium iudicii diſſimile. Nihil ad Catullum Martialis, ſcio, ſed et hoc ſcio, epigrammata illa nec in triuio nata, nec omnia in triclinio. Multa foeda, obſcoena in Martiale: et mehercule in vno Catulli libello non pudiciora, ſed pauciora. Ignorat ſeculum illud, qui hoc accuſat.*

y) Poet. l. 6. *z*) In praefat. erotem. linguae Graecae pag. 194.

a) Annal. typogr. p. 71.

Digitized by Google

renſem ſine anni nota. 4. Georgio Alexandrino correctore, cum hoc epigrammate: *Raphael Zouenzonius Iſter Vindelino Spirenſi ob eius incredibilem imprimendi ſolertiam D. D.*

Conſummatiſſimus ille Martialis
Impreſſus digitis Vindelianis
Hic eſt: hic lepidus facetiarum
Princeps et ſalis Attici Latinique.
Hunc, hunc, lector, emas, tibi futurum
Praeclarum comitem domi foriſque
Iſtri conſilio tui poetae.

Et Martialis prodiit Venetiis 1470. fol. ex edit. Georgii Merulae. 1474. fol. cum Domit. Calderini comment. ad Laurent. Medicem, per Iacobum de Rubeis Gallici. 1475. fol. cum comment. Calderini per Ioh. de Colonia et Ioh. Manthem. Rurſum 1480. fol. ex edit. Merulae et 1482. fol. per Bapt. de Tortis, cum commentariis Domitii Calderini. Accedit vita Martialis, Plinii epiſtola ad Cornelium Priſcum de Valerio Martiale; item Calderini defenſio cum recriminatione in calumniatorem commentariorum in Martialem, quos nondum ediderat; additum eſt denique M. Lucii Phoſphori epigramma. Prodierunt quoque Venetiis epigrammata Martialis 1491. 1493. 1495. et 1498. fol. cum Domitii Calderini et Georgii Merulae commentariis. *Romae* 1473. fol. *Ferrarae* 1471. 4. *Mediolani* 1478. 4. impenſis Philippi de Lavagnia. 1483. fol. cum Domitii Calderini commentariis: quibus Laurentio Mediceo nuncupatis, textum auctoris non modo e quinque MSt. emendauit, verum etiam multa ex veterum Graecorum et Latinorum diſciplina produxit.

§. CV.

Digitized by Google

§. CV.

Seculo decimo ſexto Martialis epigrammata prodierunt *Venetiis* 1501. 8. apud Aldum. 1510. fol. cum Domitii Calderini et Georgii Merulae commentario. 1510. et 1517. 8. ſine notis. *Romae* 1558. 8. quam editionem Andreas Fruſius caſtrauit. *Pariſiis* 1528. 8. 1540. et 1544. 12. apud Simonem Colineum. 1554. 4. apud Vaſcoſan. 1584. 8. cum Theodori Marcilii notis. *Lugduni* in Galliis 1522. 8. 1535. 8. apud Gryphium. 1546. 8. apud eund. 1598. 16. caſtrata Andreae Fruſii editio. *Antuerpiae* 1566. 8. accurante Adr. Iunio. 1668. 8. apud Plantinum, caſtrata Edmundi Augerii editio. 1579. 12. Adr. Iunii. *Tiguri* 1544. 8. editio Conr. Geſneri recens ab omni verborum obſcoenitate, in adoleſcentium praecipue ſcholarumque vſum, expurgata, et in locos communes LXXXIV. digeſta, vna cum tribus dialogis, quibus ratio huius inſtituti redditur, et Iac. Micylli in Martialem annotationibus. *Baſileae* 1536. 8. apud Ioh. Heruagium, cum Iac. Micylli ſcholiis. 1538. 8. apud Henricum Petri. 1539. 8. cum notis Micylli apud Heruagium. 1559. 8. et 1563. 12. per Nic. Brylingerum. *Argentorati* 1515. 4. 1595. 12. ex emendatione Adr. Iunii et Theod. Pulmanni cum Ioſephi Langii omnium vocabulorum indice, apud Lazarum Zetznerum. *Francofurti* 1595. 12. editio ad MS. Palatinum caſtigata, cum Iani Gruteri notis.

§. CVI.

Seculo decimo ſeptimo prodiit Martialis *Romae* 1608. 8. caſtratus ab Andrea Fruſio. *Venetiis* ſecutae ſunt 1635. 4. Balth. Bonifacii coniecturae in Martialem. Et 1657. 4. Caeſ. Zaroti comment. de medica et philoſophica Martialis tractatione. *Pariſiis* 1601. 4. apud

Claud.

Claud. Morellum, cum Domit. Calderini, G. Merulae, Deſid. Heraldi, et Nic. Rigaltii notis. Rurſum 1607. 4. cum variorum commentariis et Ioſephi Langii omnium vocabulorum indice. 1607. 8. cum Iſ. Caſauboni praefatione. 1607. 4. cum adoleſcentis ac pene iam pueri Laurentii Ramirez de Prado commentario, in quem multa congeſta ſunt, quae iam prius ab aliis erant obſeruata, annotante SCALIGERO *b*) et MORHOFIO *c*) Vnde non mirum, ſi ex Pierii hieroglyphicis, et Raderi annotationibus, nonnulla, nec allegatis auctoribus, ſurrepta videantur. Qua de re IAC. THOMASIVS *d*) Iac. Pontani et Raderi verba profert. Et PLACCIVS *e*) integrum librum Claudii Muſamberti, ſeu, vt euoluit ille Theodori Marcilii, commentariorum in Laurentii Rameſii hypomnemata ad Martialem memorat, quibus ille traducatur. Sed tamen addit, magis audiendum eſſe l. c. Scaligerum, qui, ſi puerilem ardorem inclareſcendi, nimiumque alios vituperandi pruritum, demas, egregiam adoleſcentis indolem collaudandam putat. Imo in eam ſuſpicionem adducitur Placcius, vt non tam Rameſium adoleſcentulum atque diſcipulum, quam Franc. Sanctium, eius praeceptorem, coniiciat, illorum in Martialem commentariorum auctorem eſſe: cum et eius grammatica, quam inſcripſit Mineruam, aliquando Ramiſio fuerit tributa. 1617. fol. editio inſtructa commentariis doctorum, Domitii Calderini, Georgii Merulae, Theodori Pulmanni, Adr. Iunii, Nic. Rigaltii, Chriſtophori Coleri, Steph. Clauerii, Fed. Morelli, et Rameſii de Prado Hiſpani in librum ſpectaculorum et quatuor primos epigrammatum libros, atque

b) Epiſt. 466. *c*) Polyhiſt. liter. l. 4. c. 13. §. 11.
d) De plagio literario §. 157. *e*) De pſeudon. p. 228.

atque aduerſus hunc Claudii Muſamberti Abbauillaci commonitoriis. Habentur in illa quoque Theodori Marcilii et Deſiderii Heraldi notae, metaphraſis Graeca ſelectorum Martialis epigrammatum a Ioſepho Scaligero compoſita, Iſaaci Caſauboni praefatio, et Ioſephi Langii omnium vocabulorum index. 1680. 4. luculenta editio, quam in vſum Delphini Vincentius Colleſius adornauit. *Sedan.* 1624. 8. cum notis Thom. Farnabii. *Lugduni* in Galliis 1618. forma minore, caſtrata Andreae Fruſii editio. *Toloſae* 1680. 8. accurante Petro Rodello, qui libros quinque epigrammatum e Martiale ſelectorum vulgauit cum notis ſuis. *Londini* 1615. 8. cum notis Thomae Farnabii. *Lugduni Batauorum* 1619. 12. inſignis neque vbiuis obuia editio, ex accuratiſſima recognitione Petri Scriuerii, cum eiuſd. Iani Gruteri, Ioſ. Scaligeri, Ioh. Brodaei, Adr. Turnebi, Angeli Politiani, Iuſti Lipſii, Iani Rutgerſii et Iſaaci Pontani notis. 1656. et 1661. 8. cum integris Thomae Farnabii et ſelectis variorum notis, indice quoque rerum, verborum, ac rituum locupletiſſimo, accurante Cornelio Schreuelio, qui Martialem ſuum Ioh. Frid. Gronouio inſcripſit; eiusque ſub finem additas animaduerſiones dolet ſibi non maturius communicatas. *Amſtelodami* 1621. 1629. et 1650. 12. apud Ianſonium ex muſeo Petri Scriuerii. 1645. 12. cum notis Thomae Farnabii. 1670. 8. Cornelii Schreuelii editio, cum variorum notis. 1670. 12. ex officina Ianſſonio-Waesbergiana, cum notis Thomae Farnabii. *f*) *Francofurti* 1602.

f) De quibus parum benigne iudicat FRANC. VAVASSOR de epigrammata pag. 288.

Digitized by Google

1602. 12. cum Iani Gruteri notis. *Ingolſtadii* 1602. 8. ſine notis. et 1611. fol. cum vaſto Matthaei Raderi Ieſuitae commentario, qui et obſcoena praetermiſit pro ingenio ſuo. *Nobis* enim inquit, *non licet eſſe tam Latinis, qui Muſas colimus pudiciores.* Attamen a IOSEPHO SCALIGERO *g*) laudatur. *Valde*, inquit, *laudo operam Raderi veſtri in Martialem. Itaque me auctore multi emerunt librum illum, vt ego pretium illius excandeſcerim. Laudo, inquam, eruditionem hominis et candorem Germanicum, qui ſine vlla rubigine et maledicentia tam bene de bono ſcriptore meritus ſit.* Mox etiam Martialis prodiit *Moguntiae* 1627. folio. tertiis Matthaei Raderi curis illuſtratus. *Goslar.* 1612. 12. *Coloniae Agripp.* 1624. 12. *Dilingae* 1626. 12. obſcoenis reſciſſis.

§. CVII.

Noſtro denique et recentiſſimo ſeculo Martialis prodiit *Amſtelodami* 1701. 8. editio, quam Vincentius Colleſius, cum paraphraſi et variorum notis, in vſum Delphini adornauit, numiſmatis antiquis illuſtrata a Ludouico Smids, Med. D. *Londini* 1701. 8. eadem editio in vſum Delphini a Colleſio adornata. 1716. 12. accurante Mich. Maittaire, apud Iac. Thonſonum.

§. CVIII.

Eiuſdem aetatis TERENTIANVS MAVRVS *h*) eſt, natione Afer, ille cuius MARTIALIS *i*) meminit, quemque in Aegypto Syenes praefectum fuiſſe ait, vbi No-

g) Epiſt. 159. ad M. Velſerum. Conferatur ipſius Velſeri epiſtola 21.

h) Ita libri inſcriptio, et Maurum ſe patria fuiſſe ipſe teſtatur, apud Heliam Putſchium pag 2427. v. 3.

Maurus item quantos potui cognoſcere Graios.

i) Lib. 1. epigr. 87.

Nouium vicinum ſuum, at micropſychum, *k*) queritur, vt ſordide viveret, tam longe a ſe abeſſe,

— — — *quam Terentianus,*
Qui nunc Niliacam regit Syenen.

Hinc celebris ille grammaticus et poeta in fronte editionis, quae cum notis Nic. Briſſaei Montiuillarii Pariſiis prodiit, *l*) vocatur *Terentianus Maurus Niliacae Syenes praefectus.* Saepius et ille Septimii Poetae *m*) meminit, qui procul dubio Septimius Seuerus eſt, ad quem in quarto Syluarum Statii carmen lyricum exſtat. Martiali ergo proximum eſſe oportet, qui ſe non diu poſt hunc Septimium ſcripſiſſe duobus locis teſtatur. Nam *n*)

Dulcia, inquit, *Septimius qui ſcripſit opuſcula nuper.*

Et alibi: *o*)

Nemo tamen culpet, ſi ſumo exempla nouella,
Nam melius noſtri ſeruarunt metra minores,
Septimius docuit quo ruris opuſcula libro etc.

Nec ſibi conſtat LILIVS GYRALDVS, *p*) qui cum dixiſſet, non liquido ſe comperiſſe, quando Terentianus Maurus vixerit, mox ea ſubiungit floruiſſe tempeſtate, qua Latinae literae in Africam migrauere: hoc autem factum ait tempore Septimii, quem ipſe alibi facit Statii Papinii aequalem; item tempore Apuleii, qui ſub

 diuis

k) i. e. parui et abiecti animi auarum, qui neminem inuitat, neque agitat conuiuia. Diuites enim eo tempore, inprimis vicinos frequenter ſolebant ad caenam vocare: quod qui non faciebat, *micropſychus* vocabatur.

l) 1531. 4. apud Sim. Colineum.

m) Cum alibi, tum vbi de tertia tome hendecaſyllabi agit, apud Putſchium pag. 2441. *n*) Apud Putſchium pag 2424.

o) Apud Putſchium pag. 2427. v. 5.

p) Hiſtoriae poetarum dialogo 10. pag. 364.

diuis fratribus vixit; Adhaec tempore Seueri, qui ſub imperio Septimii Seueri fuit; porro tempore Cypriani, qui Valeriani imperium attigit; denique concludit, fuiſſe non multo ante tempora Conſtantinorum: ita vt ſpatium ab eo aſſignatum annos contineat fere ducentos. Nec ſibimet ipſi conſtat G. I. VOSSIVS, *q*) qui aetatem Terentiani agnoſcit Martiali eſſe proximam, ſiquidem is ille ſit, cuius, quod ſupra notatum, mentionem fecerit. Mox vero Terentianum Maurum putat eſſe eum, ad quem librum ſuum περὶ ὕψυς ſcripſit Longinus: eum compellat, vbi comparationem inſtituit Demoſthenem inter atque Ciceronem, ac Terentiano ait ſe accuratius iudicium relinquere, vt Latine doctiori. Rurſum *r*) Traiani temporibus ſcribit fuiſſe proximum, et Syenes in Aegypto praefectum, Terentianum illum Maurum, cuius de re metrica elegans extat opus. Dionyſius vero ille Longinus Caſſius, cuius plane aureolam habemus περὶ ὕψυς i. e. de ſublimitate commentarium, dicauit librum ſuum Poſthumio Terentiano, et vixit poſt Martialem annos fere ducentos, imperante Aureliano, circa annum reparatae ſalutis CCLXX. Malchi Porphirii praeceptor, et Zenobiae, orientis Reginae, a conſiliis et in ſtudio Graecae linguae magiſter: quem, quod epiſtolae, a Zenobia ad Aurelianum Imperatorem ſcriptae, auctor extitiſſet, Caeſar occidi imperauit graui omnibus, vt VOPISCVS *s*) refert, ſupplicio. Non magis ergo ille conuenit cum Niliacae Syenes praefecto, a Martiale celebrato, quam Terentianus,

q) De poetis Latinis c. 3. pag. 47.

r) De poetis Latinis cap. 4. init. pag. 50.

s) Diuo Aureliano cap. 30.

nus, vir conſularis et martyrologio incluſus. *t*) Sic bonus quandoque dormitat Homerus. Ab ENNODIO *v*) citatur, et ſaepius a PRISCIANO grammatico. *x*) Cum ſenex eſſet *y*) ad Baſſinum filium et generum Nouatum *z*) ſcripſit de literis, ſyllabis, pedibus et metris carmen, vario poematis genere temperatum et elegans, multa eruditione conditum, et mira ingenii ſuauitate commendatum. Vnde eum Muretus ſuauiſſimum grammaticorum vocat. Prima huius carminis Terentiani editio prodiit cum Auſonio *Mediolani* 1497. fol. Emendatum ſuisque animaduerſionibus illuſtratum eſt poſtea a Georgio Merula, Iano Parrhaſio, Nicolao Briſſaeo, Iacobo Petreuino, Iacobo Micyllo, atque aliis. Sic ſaepius prodiit ſeorſim, atque in corpore poetarum. *a*) Pro-

t) De quo VOSSIVS conſulendus lib. 3. de hiſtor. Lat. pag. 743.

v) Lib. 8. epiſt. 29. Magna bibliotheca patrum tom 6. part. 1. p. 235.

x) Lib. 6. apud Putſchium pag. 694. Lib. 7. pag. 741. Lib. 13. pag. 961. De metris comicis ibid. pag. 1321.

y) Nam ipſe operis praefatione

Sic noſtrum, inquit, *ſenium quoque*,
Quia iam dicere grandia
Maturum ingenium negat,
Nec ſpirans animas fibrae;
Anguſtam ſtudii viam
Et callem tenuem terit.

z) De ſyllabis, apud Putſchium pag. 2390.

Haec prius Baſſine fili, et tu gener, Nouate mi,
Perpolite, quam poteſtis, crebriore limula.
Non pater tanquam, ſocerque ſed velut ſim extrarius;
Intueri vos oportet, an ſatis ſit literis
Singulis diſcreta recte, quae cuique eſt, natiuitas.

a) Corpus omnium veterum poetarum Latinorum, ſecundum ſeriem temporum digeſtum, et quinque libris diſtinctum, praefixa vnius cuiusque poetae vita, duobus voluminibus prodiit Geneuae 1611. 4.

Prodiit etiam cum Victorino de orthographia 1584. 8. Et inter grammaticae Latinae auctores antiquos, ab Helia Putſchio collectos, Hanouiae 1605. 4.

§. CIX.

DECIMVS *b*) IVNIVS IVVENALIS liberti cuiuſdam locupletis filius aut alumnus, ex Aquino Volſcorum oppido oriundus. Quod ipſe videtur innuere: *c*)

— — ergo vale, noſtri memor: et quoties te
Roma tuo refici properantem reddet Aquino etc.

Declamauit ad mediam fere aetatem, magis animi cauſſa, quam vt ſcholae aut foro ſe praepararet. Deinde quod viueret primum triſtibus Domitiani temporibus, *d*) poetices ſtudio ſe contulit ad ſatyras conſcribendas. Inter alia vrbis indigna et praepoſtera, quae exagitauit ſcelera, quoque Paridis pantomimi et hiſtrionis apud Domitianum potentiam gratiamque nimiam carpere non veritus eſt his propemodum verbis: *e*)

— — Cum fregit ſubſellia verſu,
Eſurit, intactam Paridi niſi vendat Agauen.
Ille et militiae multis largitur honorem.
Semeſtri vatum digitos circumligat auro.
Quod non dant proceres, dabit hiſtrio — —
— — — — — —
Haud tamen inuideas vati, quem pulpita paſcunt.
Quis tibi Maecenas? quis nunc erit aut Proculeius,
Aut Fabius? quis Cotta iterum? quis Lentulus alter?

Vt

b) *Decimum* non *Decium* ſcriptoris huius praenomen eſſe, inter alios docet LVD. CARRIO emendat. l. 1. c. 1.

c) Satyr. 3. circa fin. confer. vetus ſcholiaſtes.

d) Non Neronis: vt auctor vitae Iuuenalis, et vetus ſcholiaſtes ad ſatyr. 7. v. 92. falſo tradiderunt.

e) Satyr. 7. v. 86. ſeqq.

Digitized by Google

Vt mirum nemini poſſit videri, quamuis id genus ſcripturae induſtrie excoluerit, diu tamen ne modico quidem auditorio quicquam committere auſum fuiſſe. *f*) Nihilominus Paride inſtigante, a Domitiano, per honorem militiae, vrbe ſummotus atque, in iocularem eius quod Paridi exprobrarat vltionem, praefectus cohorti, ad pentapolin in extremis Aegypti et Libyae finibus ablegatus eſt. *g*) Hinc SIDONIVS APOLLINARIS: *h*)

Non qui tempore Caeſaris ſecundi
Aeterno incoluit Tomos reatu:
Nec qui conſimili deinde caſu,
Ad vulgi tenuem ſtrepentis auram,
Irati fuit hiſtrionis exul.

Sed falluntur, qui tradunt, poetam iam octogenarium in exilio mox angore ac taedio vitam cum morte commutaſſe. *i*) Conſtat enim vel ex ipſis eius ſatyris, poſt obitum Domitiani, Romam reuerſum carmina ſua non ſine ſummo frequentis auditorii applauſſu recitauiſſe. Ecquis non videt, eum ſatyra ſeptima ab exordio feliciora Traiani tempora notaſſe? Is enim Caeſar tum ſolus triſtes reſpexit camoenas, atque ſpem nouam bonis artibus praebuit. *k*) At inquies, in ea ſatyra, quod modo dictum

f) Auctor vitae Iuuenalis. *g*) SVIDAS in lexico.

h) Carmin. ad Magnum Felicem IX. 270.

i) Auctor vitae Iuuenalis.

k) Fallitur quoque Vetus Scholiaſtes ad Iuuen, Satyr. 7. v. 1. vbi haec notat: *de ſterilitate ſtudiorum, loquitur. Neronem palpat. Talis autem eſt ſenſus: poeticae artis periiſſet induſtria, niſi propter egeſtatem in ſtudia diuerſa tendentibus Caeſaris ſubueniſſet humanitas.* Idemque inferius v. 92.

Praefectos Pelopeia facit, Philomela tribunos.

de

dictum fuit, ſtomachum Paridi iam mouerat, ſuique exilii ſcripſerat cauſſam. Ita ſe res omnino habet. Et eſt quod Auctor vitae Iuuenalis anonymus ait, mox magna frequentia, magnoque ſucceſſu bis terue auditum fuiſſe: vt ea quoque, quae prima fecerat, inferciret nouis ſcriptis: eademque carmina citat. Imo et eum Adriani tempora attigiſſe media fere, et carmina ſcripſiſſe, hcec ipſius verba probant: *l*)

— — *Stupet haec, qui iam poſt terga reliquit*
Sexaginta annos, Fonteio conſule natus?

L. Fonteius Capito cum C. Vipſano Aproniano Conſul fuit anno V. C. DCCCXI. quinto Neronis: poſt LX. annorum ſpatium ergo oportet eum adhuc ſcripſiſſe anno V. C. DCCCLXXI. Adriani quarto. *m*) Vnde HENRICVS DODWELLVS V. C. *n*) contendit Iuuenalem ſub Adriano demum ſatyras edidiſſe, et anno poſt Chriſtum natum CXIX. ab eo Caeſare in exilium miſſum fuiſſe. De eius morte parum conſtat, niſi quod octogenario maiorem in exilio vitam finiſſe arbitrantur. MARTIALIS *o*) eius ceu valde familiaris meminit.

§. CX.

Exſtant hodie Iuuenalis ſatyrae XVI. in quinque libros digeſtae, ita vt *primus* quinque priores, *ſecundus* ſex-

de Nerone accipit, et propter hunc verſum in exilium a Nerone Iuuenalem miſſum eſſe ſcribit. Ad ſatyr. 4. vero traditur a Domitiano relegatum fuiſſe ſub ſpecie honoris in Aegyptum, ad cohortis curam: vt ſatis appareat, gloſſularum compilationem eiuſdem auctoris non eſſe.

l) Satyr. 13. v. 16.

m) Confer. LIPSIVS l. 4. epiſt. quaeſt. epiſt. 20.

n) Qui Iuuenalis vitam perſequitur in annalibus Quintilianeis.

o) Lib. 7. epigr. 23. et lib. 12. epigr. 18.

Digitized by Google

ſextam, *tertius* ſeptimam, octauam et nonam, *quartus* decimam, vndecimam atque duodecimam, *quintus* quatuor reliquas contineat. Satyra I. Perſtringit alios poetas ſaepius ſuas recitantes tragoedias: et cauſſas exponit, quibus commotus, ab inſtituta tragoedia ad ſatyram tranſierit. II. Hypocriſin reprehendit in philoſophis, iudicibus, ſacerdotibus, ducibus ac nobilibus, qui de inferorum ſuppliciis impie ſentientes, ab ipſis gentibus victis ſoleant corrumpi, et alios corrumpant. III. Deſcribit vrbis incommoda, inducens Vmbritium, aruſpicem illius aeui peritiſſimum *p*) et virum optimum, ex vrbe Roma Cumas migrantem, ſuique diſceſſus cauſſas exponentem, quod ſcilicet Graecorum et aliarum gentium, quae in vrbem confluxere, adulationes, vitia et artes malae obtineant: vt ciui honeſto amplius ſit ibi nullus locus. IV. Libidinem et luxuriam Criſpini ſimul, atque ridiculum Domitiani ſuper rhombo piſce concilium deſcribit. V. Paraſitum abſtrahit a diuitum conuiuiis: quod in iſtis contumelioſe tractentur, neque deliciis, quae honoratiſſimis quibusque apponuntur, perfrui liceat. VI. Vt matrimonium Poſtumo diſſuaderet, acriter in omnia mulierum vitia inſurgit; inprimis earum laſciuiam, ſuperbiam, inuerecundam ſcientiarum affectationem atque in maritos imperium ſatis ignominioſum atro carbone notat. VII. Feliciora poetis, praeſertim Teleſino, Traiani Caeſaris tempora gratulatur: quibus interea dolet, ſtudia liberalia Romanis aliis curae non eſſe. VIII. De natalium claritate agit; neque a maioribus docet veram nobilitatem

p) Quem vocat PLINIVS h. n. l. 10. c. 4.

tem deriuari traducem, verum in ſua virtute conſiſtere: vt ab ſceleratis fruſtra parentum fumoſae imagines oſtentari ſoleant. IX. Cinoedos, eorumque obſcoenam turpitudinem aperte nimis perſtringit. X. Inuehitur in vana et ridicula mortalium vota: cum expetunt diuitias, honores, famam, formam, vitamque longam: quibus ſaepenumero, ſi vel maxime voti fierent compotes, peſſundantur. Contra puram ab Diis petendam eſſe mentem, qui, quid cuique conueniat, optime norint. XI. Ad Perſicum ſcribit in eos, qui praeterquam quod res domeſtica patiatur ſua, luxurioſius viuunt, atque pretioſas comparant epulas: cum ſumtus pro ſuarum cuiusque facultatum modulo faciendi eſſent. XII. Ad Coruinum ſcribens de Catulli reditu heredipetarum impudentiam accuſat. XIII. Conſolatur Caluinum animo aegrum, quod ſibi ab amico depoſitum fuiſſet denegatum. Malam ergo fidem accuſat ac fraudes Romanis iam viitatiſſimas. Sed nihil eiuſmodi a Deo impunitum iri. XIV. Mala parentum exempla reprehendit, quibus liberi ad omnia vitia trahantur. XV. Ridet ſacra Aegyptiorum, qui religione praepoſtera colunt feras, iugulant homines, et quibus ipſa numina creſcunt in hortis. XVI. Satyra vltima, quam plerique Iuuenali abiudicant, *q*) militiae commoda et priuilegia laudat ſimul ironice, atque nimiam militum inſolentiam perſtringit.

§. CXI.

In Satyra Romana Iuuenalis fere omnes et ipſum Horatium, ſi linguae caſtitatem, illius aeui propriam exci-

q) Vid. GROTIVS ad Luc. III. 14. RVTGERSIVS var. lect. p. 338. Alii hanc, atque praecedentem de ſacris peregrinis, cum exularet, Iuuenalem in Aegypto ſcripſiſſe opinantur.

excipias, longe ſuperauit. Nec vana FABII *r*) de noſtro, qui eius aetate vixit, vt ipſi religio eſſet nominare nolentem, coniectura fuit, vbi *ſunt*, inquit, *clari hodieque*, praeter Horatium atque Perſium, *et qui olim nominabantur*. Haec vero ipſius PORPHYRIONIS, vel quiſquis eſt, in Horatium veteris Grammatici ſententia: *Satyra Horatii inter Lucilii ſatyram et Iuuenalis eſt media. Nam et aſperitatem habet, qualem Lucilius, et ſuauitatem, qualem Iuuenalis.* Ex recentioribus duorum dabimus, ſed maximorum, virorum iudicia. IVLIVS CAESAR SCALIGER: *s*) *Iuuenalis ardet, iugulat. Perſius inſultat. Horatius irridet.* Alibi: *t*) *Iuuenalis autem candidus, ac ſatyricorum facile princeps. Nam eius verſus longe meliores, quam Horatiani: ſententiae acriores: phraſis apertior.* IVSTVS LIPSIVS: *v*) *Iuuenalem poetam, a Scaligero patre, in ſatyra praepoſitum Horatio, vidi qui indignaretur. At ille, me iudice, inter multa certi et elegantis iudicii, nihil verius protulit.* Paulo poſt: *De Iuuenali vere iudicat. Ardore, altitudine, libertate, id eſt ſuo quodam genere ſupra Horatium eſt: quod ipſum maxime ſatyrae proprium videtur. Tangit vitia, obiurgat, inclamat: raro iocos, ſaepius acerbos ſales miſcet. Quae omnia in Horatio contra, qui placidus, lenis, quietus, monet ſaepius, quam caſtigat. Sed ita praeclare tamen hoc ipſum: ut in ea parte et arte nihil poſſit ſupra eum.* De ſatyris ſuis PERSIVS *x*) ipſe diuinando quaſi praedicere poterat: *quis leget haec?* quod paucos lectores habiturus ſit, neque poema auſterum eius

 quiſquam

r) Inſtit. orator. l. 10. c. 1.
s) Poetic. l. 3. c. 98.
t) Poetic. l. 6. c. 6.
v) Epiſt. quaeſt. epiſt. 9. ad Theodorum Pulmannum.
x) Satyr. 1. v. 2.

Digitized by Google

quiſquam attendere ſatis velit. Iuuenalis vero carmina arripuerunt auide: vt nemo non iſta per otium ſibi valde familiaria reddere ſtuduerit. Quod AMMIANVS MARCELLINVS *y*) quoque teſtatur: *quidam deteſtantes vt venena doctrinas, Iuuenalem et Marium Maximum curatiore ſtudio legunt, nulla volumina praeter haec in profundo otio contrectantes* etc.

§. CXII.

Iuuenalis editiones habemus plurimas. *Romae* 1474. fol. prodierunt eius ſatyrae cum Domitii Calderini Veronenſis commentario, ad Iulianum Medicem, Petri Coſmi filium; accedit vita Iuuenalis ex antiquorum monumentis; in fine operis defenſio aduerſus Brotheum Grammaticum calumniatorem commentariorum Martialis cum recriminatione. 1474. fol. prodierunt quoque Angeli Sabini paradoxa in Iuuenalem, per Georgium Sachſel de Reichenthal et Bartholomaeum Golſch de Hohenbart clericos. *Venetiis* 1475. fol. per Iacobum de Rubeis, cum Domitii Calderini commentario. 1478. fol. per Gabrielem Petri, cum Georgii Merulae Alexandrini (qui Domitii Calderini aduerſarius fuit) enarrationibus. 1482. 1483. et 1485. fol. per Baptiſtam de Tortis, cum Calderini commentario. 1483. fol. per Thomam de Alexandria cum eodem Calderini commentario. 1487. fol. per Bartholomaeum de Zanis de Porteſio, cum Calderini commentario. 1492. 1493. 1497. et 1498. fol. per Ioh. de Cereto de Tridino, cum Antonii Mancinelli, Domitii Calderini, Georgii Vallae, et Georgii Merulae commentariis. *Taruiſii* 1478. fol. per Barthol. de Confoloneris, cum Georgii Merulae Ale-

y) Lib. 28.

Digitized by Google

Alexandrini enarrationibus; addito eiuſdem commentario in Ciceronis orationem pro Ligario. *Pinarolii* 1479. fol. per Iacobum de Rubeis. *Mediolani* 1483. fol. per Leonhardum Pachel et Vldericum Scincenzeler ſocios, cum Domitii Calderini Veronenſis commentario. *Vicentiae* 1480. fol. per Henr. Liberarium, cum Calderini commentario. *Brixiae* 1486. fol. cum Georgii Merulae Alexandrini enarrationibus. *Norimbergae* 1497. fol. cum Antonii Mancinelli commentariis. *Lipſiae* 1497. fol. Reliquas editiones plerasque notatu dignas ſupra enarrauimus, vnde triceſima et ſequentibus tribus paragraphis, vbi editas notauimus ſatiras Perſii: quorum Iuuenalis noſter vulgo vno libro prodire conſueuit. Omnium praeſtantiſſima Iuuenalis et Perſii editio eſt, quae cum integris variorum notis *Vltraiecti* 1685. et *Lugduni Batauorum* 1697. 4. accurante Henrico Chriſtiano Henninio, prodiit. In ea poetae vita ex codice Iſaaci Voſſii auctior, et diſſertatio Nic. Rigaltii de ſatira Iuuenalis praemittitur. Tum poetae verſibus per ſingulas paginas veterum ſcholia ex editione P. Pithoei, et integer Iſaaci Grangaei commentarius ſubiiciuntur. Seorſim comparent commentarii Ioh. Britannici, et ſcholia Coelii Secundi Curionis, cum excerptis enarrationibus Georgii Merulae. Hinc notae et caſtigationes Theodori Pulmanni, P. Pithoei, Nic. Rigaltii: commentarii Domitii Calderini, et ſelecta ex quaeſtionibus Angeli Sabini ſuper Iuuenale, ex Georgii Vallae, Antonii Mancinelli, Iodoci Badii Aſcenſii commentariis, ſcholiisque Adr. Turnebi, Eilhardi Lubini, Bernhardi Autumni, et Thomae Farnabii. Has obſeruationes excipit ſylloge notarum ab Henninio excerptarum e ſcriptis vtriuſque Voſſii, Ioſ. Scaligeri, Salmaſii, Graeuii,

Octauii Ferrarii, Barthii, Bocharti, Sam. Clauerii, Ludouici Dorleans, Ioſ. Ant. Gonſalii de Salas, Scioppii, Rutgerſii, I. F. Gronouii, Nic. Heinſii, Ezech. Spanhemii, Iac. Ouzelii, Philippi Rubenii et aliorum. Deinde Almeloueenii et ipſius Henninii ſpicilegia ſequuntur cum peplo notarum ad veterum ſcholia, concinnato ex Pithoei, Rutgerſii, Almeloueenii, Henninii et aliorum obſeruationibus. Succedit denique index omnium vocabulorum ad hanc editionem accommodatus.

§. CXIII.

Illuſtrium poetarum latus claudat SVLPITIA poetria, z) nobilis, imperante Domitiano, Romana matrona: quam non minus caſtitas et in Calenum maritum amor atque fides, quam elegantia et lepor ingenii commendauit. Fuit enim ſpiritus excitati femina, Muſarum amica, docta, et inprimis diuinae poeſeos amantiſſima: vt ipſa non modo verſus ſcriberet plurimos; verum etiam ſui ſexus raro exemplo prima Romanis mulieribus eſſet ſtimulo palmam Graecis difficillimo quoque carminis genere praeripiendi. Gloriatur ergo: a)

— — — *quot denique millia luſi,*
Primaque Romanas docui contendere Graiis,
Et ſalibus variare nouis — — —

Non quod prima fuiſſet ex Romanis feminis, quae animum diſciplinis et famam ſcriptis tradidiſſet: plures enim

z) Quod eius ſatyra iam tum eſſet Auſonianis poematibus inſerta: FVLGENTIVS mytholog. l. 1. praefat. *Sulpicillam Auſonianam* vocat, eiusque loquacitatem cum Petroniana Albutia componit. a) Satyrae v. 7.

enim matronae erant doctae, ac ſaepius cum maritis de gloria ſcientiarum et artis certabant. Cornelia Gracchorum mater literis immortalem ſibi nominis famam comparauit. Verſus ſub Auguſto Cornificia ſcripſit. Clara ſunt Leliae, Muciae, Liciniae nomina. Polla Argentaria, Lucani poetae coniux, tantis erat animi et doctrinae dotibus inſtructa, vt coeptos permultos a viro verſus ipſa ſtili grauitate et elegantia perficeret. Quod etiam Plinius de Calpurnia ſua teſtatus eſt. Et Statii vxor Claudia conſtans et amabilis in Parnaſſo vincentis mariti comes fuit. Sulpicia vero omnium prima ſcribens amorum libros conabatur componere iambos, phalaecos et ionicos; ſuoque teſtabatur exemplo, Romanarum ingenia Graecis non inferiora eſſe, ac propius nunc ad Sapphon accedere, quae carmine lyrico praeſertim apud Graecos inclaruit. *b*) Charitum hanc pulcherrimam, quindecim iam annos Caleno ſtabili iunctam matrimonio, laudat maritumque omnes inter felicem atque fortunatum praedicat MARTIALIS *c*)

O molles tibi quindecim, Calene,
Quos cum Sulpicia tua iugales,
Indulſit Deus et peregit annos!
— — — —
Vixiſti tribus, o Calene, luſtris:
Aetas haec tibi tota computatur,
Et ſolos numeras dies mariti. etc.

Nihil venuſtius. Illud temporis ſpatium putat omnem eius continere vitam, quo tam ſuauiter et iucunde vixerit

b) Nam et MARTIALIS l. 10. epigr. 35. de Sulpicia;
Hac condiſcipula, vel hac magiſtra
Eſſes doctior et pudica Sappho.

c) Lib. 10. epigr. 38.

Digitized by Google

xerit cum Sulpicia ſua, ſine cuius amabili conſortio tranſancta iuuentus cum praeſenti felicitatis ſtatu conferri nequeat. Vnde cum bona forma feminae coniuncta virtus excitatumque et feſtiuum ingenium patet: quae nec Bacchi, nec Apollinis, aut ipſius Iouis thalamos praeferret Caleno ſuo. Vnde MARTIALIS alibi: *d*)

Durus Sulpitiam Phaon amaret
Fruſtra: namque ea nec tonantis vxor,
Nec Bacchi, nec Apollinis puella
Erepto ſibi viueret Caleno.

Cum arte excelleret poetica ad maritum ſcripſit amorum et epiſtolarum libros: de quibus MARTIALIS: *e*)

Omnes Sulpiciam legant puellae,
Vni quae cupiunt viro placere.
Omnes Sulpiciam legant mariti,
Vni qui cupiunt placere nuptae.
— — — — —
— — *Caſtos docet et pios amores,*
Luſus, delicias, facetiasque.
Cuius carmina qui bene aeſtimarit,
Nullam dixerit eſſe ſanctiorem.

Hi libri omnes perierunt temporum iniquitate, praeter duorum verſiculorum reliquias, apud veterem Iuuenalis ſcholiaſten *f*) conſeruatas:

Ne

d) Lib. 10. epigr. 35.

e) L. c. SIDONIVS APOLLINARIS carm. ad Magnum Felicem v. 258.

Non Getulicus hic tibi legatur,
Non Marſus, Pedo, Silius, Tibullus,
Non quod Sulpitiae iocus Thaliae
Scripſit blandiloquum ſuo Caleno.

f) Ad ſat. 6. v. 535.

Ne me cadurcis deſtitutam faſciis
Nudam Caleno concubantem viderit.

Qui verſus petulantes ſunt atque laſciui. Miratur ergo BOXHORNIVS *g*) Martialem adeo praedicare caſtos ab illa deſcriptos amores: cum etiam praeter decorum ſit, ſi femina viro palam amorem ardoremque ſuum teſtetur. Caſtos ergo Sulpitiae verſus eſſe Martiali reſpectu ſuarum nequitiarum. Sed illa iam ſuo elocata viro, literas ad illum ſcripſit amatorias, quibus amorem et beneuolentiam teſtaretur. Quod caſte fieri potuit: vt caſtus eſt coniugalis amor, quem commendare ſtuduit. Contra quam OVIDIVS: *h*)

— — *cum ſit noua grata voluptas;*
Et capiant animos plus aliena ſuos.
Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris:
Vicinumque pecus grandius vber habet.

Non illa inſanos Medeae deſcripſit amores, non ſcelera defendit; nec ipſa credidit, nec aliis credendas ingerit thori alieni voluptates atque ineptias; quod ex illa poetae aliquando laſciuioris commendatione ſatis conſtat. Eo ſcribendi genere phalaecos et iambos et ſcaſontes vſurpauit: ita enim haud longe ab initio Satyrae

— — *Quare nec carmine curro Phaleco*
Nec trimetro iambo, nec qui pede fractus eodem
Fortiter iraſci didicit duce clazomenio.

Teſtatur iam ſe totam Muſis addictam conſtituiſſe, omiſſis phalecis, iambis, ioniis aliiſque carminum generibus, vires ſuas in heroici maieſtate experiri: vt rigido Domi-

g) Comment. ad Sulpitiae ſatyram p. 27.
h) Artis amatoriae l. 1

Domitiani de exigendis philoſophis edicto valde laceſſita ſcriberet fabulam atque ſatyram, ad deploranda quae venerint, triſtiſſima tempora: cum Muſae, innocentiſſimae Deae, non contemnerentur modo, verum etiam artes bonae cum profeſſoribus ſuis pellerentur. Atque ita relictis eo tempore amatoriis, quo vix cuiquam bono ridere licebat, in tyrannum et omnium ſcientiarum hoſtem ſtringere coepit ſtilum elegantiſſima ſatyra, quae hodie ex illius operibus ſola *i*) ſupereſt de corrupto ſtatu reip. temporibus Domitiani, praeſertim cum edicto philoſophos vrbe exegiſſet. Secundum SCALIGERVM *k*) in ea multum dexteritatis, ad ſatyricam amarulentiam aſpirantis. Numeri vero, vt in eo genere poematis, non contemnendi. *Igitur*, inquit, *vt tam laudabilis heroinae ratio habeatur: non auſim obiicere ei iudicii ſeueritatem.* Olim haec ſatyra falſo tributa fuit Auſonio. *l*) Sed poetriae vindicata et M. Z. Boxhornii commentario illuſtrata prodiit in poetis ſatyricis minoribus de corrupto reipubl. ſtatu *Lugduni Batau.* 1633. 12. Reperitur quoque in libello, quo continen-

i) Nam de amatoriis ex Tibulli libro 4. vindicatis valde dubitamus.

k) Poetices l. 6. p. 838. BOXHORNIVS comment. in Sulp. ſatyr. pag. 23. *Satyra Sulpitiae Romanae tam erudita, elegans, et neruoſa eſt, tantique eo nomine a viris maximis ſemper habita, vt non tantum cum eius generis virorum ſcriptis poſſit contendi, ſed et nonnullis eorum debeat praeferri. Feminae quidem opus eſſe nolim inficiari. At vero ita ſemper exiſtimaui, ad ſapientiae arcana et haec ſtudia literarum nullius induſtriae aditum praecludi. Vt virtutis ita eruditionis omnes capaces. Nec ſexum fas eſt, nec naturam ea in parte calumniari. Saepe feminarum animis maſculam quandam et diuinam mentem, erectosque ſpiritus ſupremus ille ingeniorum artifex incluſit.*

l) Vid. BARTHIVS aduerſ. l. 19. c. 16.

tinentur epigrammata et poemata veterum, e bibliotheca Petri Pithoei edita *Pariſiis* 1590. 16. Et cum Pithoei notis ſubiecta eſt Iuuenali, quem cum veterum ſcholiis et ſelectis variorum notis Schreuelius edidit. BOXHORNIVS *m*) ſibi perſuadet, cum Sulpitiae poemata fere Auſonio, Tibullo, et Iuuenali in veteribus libris a philologis ſubiecta fuerint: deleto Sulpitiae nomine plurima eius poemata Auſonio atque Tibullo adſcripta eſſe. Et BARTHIVS *n*) excepto carmine ad Meſſallam panegyrico librum quartum Tibulli ſuſpicatur eius auctoris non eſſe, verum Sulpitiae et Caleni illius coniugis: cui et BROVCKHVSIVS aſſentit.

§. CXIV.

Ad poetas huius aetatis referendi quoque fuiſſent, LVCIVS IVNIVS MODERATVS COLVMELLA, Gaditano-Hiſpanus, diligentiſſimus rei ruſticae ſcriptor, in quo omnia adeo caſta et elegantia, vt pluribus ſui temporis auctoribus palmam praeripuerit. Floruit autem ſub Claudio Imperatore. Scripſit ille quidem XII. libros ſuos de re ruſtica maximam partem proſa oratione: non minus tamen excellebat quoque in ligata, et decimum librorum, qui eſt de cultu hortorum, ſat politis verſibus nobis reliquit: vt merito inter claros ſui ſeculi poetas numerari poſſit. Scripſit etiam, vt ipſe teſtatur, *o*) contra aſtrologos aliquot libros. Et PALLADIVS RVTILIVS Taurus, Columellae haud ineptus imitator, quem ſub Hadriano vixiſſe Ludouicus Viues contendit; Scioppius vero, acerrimus ille ingeniorum

 cenſor,

m) Comment. in Sulp. ſat. pag. 26.

n) Aduerſ. l. 59. c. 16. confer. PLACCIVS de ſcript. anon. et pſeudon. parte 2. p. 265. 266.

o) Lib. 11. c. 1.

Digitized by Google

cenſor, ſcriptoribus aetatis aureae annumerare non dubitauit. Adeo luculentus, comtus et elegans eſt. Scripſit de re ruſtica. Sed diuinam quoque poeſin attigit, edito carmine de arborum inſitione, quod Paſiphilo inſcripſit.

CAPVT IV.

De claris, Latina lingua ſeneſcente, Poetis, quorum monumenta periere.

§. I.

Memoria ſeruatur Lutorii Priſci, Aelii Saturnini, atque Alphii Flaui. 2. *Deſcribitur Aemilius Scaurus.* 3. *Cominius.* 4. *Lentulus Gaetulicus.* 5. *Rhemnius Palaemon.* 6. *Pomponius Secundus.* 7. *Annaeus Cornutus.* 8. *Nero Caeſar.* 9. *Caeſius Baſſus.* 10. *Attius Labeo.* 11. *Euodus.* 12. *Curiatius Maternus.* 13. *Saleius Baſſus.* 14. *Curtius Montanus.* 15. *Titus Caeſar.* 16. *Domitianus Caeſar.* 17. *Scaeua memor.* 18. *Turnus.* 19. *Aruntius Stella.* 20. *Codrus.* 21. *Luſtricus Brutianus.* 22. *Canius Rufus.* 23. *Licinianus.* 24. *Victor Voconius* 25. *Apollinaris.* 26. *Votienus.* 27. *Paſſienus Paulus.* 28. *Verginius Romanus.*

§. I.

Et alii recenſendi fuiſſent, quorum ſcripta iam nulla habemus. Tiberio imperante obiit C. LVTORIVS PRISCVS, eques et magni nominis poeta, qui teſte DIONE CASSIO *a*) in Germanici mortem inſigne carmen compoſuit, magnamque pro eo pecuniam accepit. Denique accuſatus eſt, quod per morbum Druſi carmen

a) Lib. 27.

Digitized by Google

men in eum ſcripſiſſet; eiusque rei cauſſa a Senatu condemnatus obiit. Eodem teſte *b*) AELIVS SATVRNINVS carmina famoſa in Tiberium Caeſarem ſparſit, eoque nomine damnatus, praeceps de Capitolio datus eſt. ALPHIVS FLAVVS, Ceſtii auditor et M. Senecae aequalis, qui cum praetextatus eſſet, tantae opinionis fuit, vt populo Romano puer eloquentia notus eſſet. Semper de illius ingenio Ceſtius et praedicauit, et timuit. Aiebat tam immature magnum ingenium non eſſe vitale. Tanto concurſu hominum audiebatur, vt raro poſt illum auderet Ceſtius dicere. Ipſe omnia mala faciebat ingenio ſuo: naturalis tamen illa vis eminebat: quae poſt multos annos tametſi deſidia obruta et carminibus eneruata, vigorem tamen ſuum tenuit. *c*) Eundem VOSSIVS *d*) putat eſſe cum ALPHIO AVITO, et dictum *Flauum Alſium Auitum.* Hic ſcripſit duos libros virorum excellentium, de quibus TERENTIANVS MAVRVS *e*) vbi de iambico dimetro:

Plerumque non carmen modo,
Sed et volumen explicat:
Vt pridem Auitus Alphius
Libros poeta pluſculos
(Vſus dimetro perpeti)
Conſcripſit excellentium.

Liber excellentium ſecundus a PRISCIANO *f*) citatur.

§. II.

M. AEMILIVS SCAVRVS ſcripſit tragoediam, cui nomen *Atreus.* In ea quidam ex ſubditis monebat ex

Ii 3 Euri-

b) Lib. 58. *c*) Haec SENECA lib. 1. controu. 1.
d) De poetis Latinis c. 2. pag. 39.
e) De metris, apud Putſchium pag. 2437.
f) Lib. 8. apud Putſchium pag. 823. et lib. 11. pag. 947. et lib. 18. pag. 1136.

Euripide, vt ſtultitiam ferret imperantis. Hoc ſchemate iudicabat Tiberius ſe notari: et hic, dicebat, Atreus de Scauro faciet Aiacem. Mox confiсto crimine de conſuetudine cum Liuilla, poetam eo adegit, vt ſibimetipſi manus afferret. *g*)

§. III.

C. COMINIVS, eques Romanus, probroſum ſcripſit in Tiberium carmen. Attamen imperator illi, propter fratris, qui ſenator erat, preces pepercit. *h*)

§. IV.

Tiberii et Claudii temporibus vt hiſtoria, ſic et carmine inclaruit CN. LENTVLVS GAETVLICVS, vir conſularis et Germaniae ſuperiori praefectus. Propter Seianum, quod eius filium ſibi generum deſtinaſſet, accuſatus ſemet animoſa epiſtola defendit. Poſt Tiberii obitum Caio, vel ex militari beneuolentia, ſuſpectus enecatur. *i*) Praeter hiſtorica, ſuo loco inferius memoranda, etiam poemata ſcripſit. Hinc MARTIALIS: *k*) *ſic ſcribit Catullus, ſic Marſus, ſic Pedo, ſic Gaetulicus.* Eius et PROBVS grammaticus *l*) meminit; SIDONIVS quoque APOLLINARIS, *m*) vbi nomen eius amicae ait Caeſennia fuiſſe.

§. V.

Etiam Claudii temporibus clarus fuit Q. RHEMNIVS PALAEMON *n*) grammaticus et poeta, qui teſte SVE-

g) DIO CASSIVS lib. 58.
h) TACITVS annal. lib. 4. cap. 31.
i) DIO CASS. lib. 59. TACITVS annal. l. 4. c. 42. l. 4. c. 46. et l. 6. c. 30. *k*) Lib. 1. praefat.
l) In Virgil. Georg. 1. vbi tres eius hexametros affert.
m) Lib. 2. epiſt. 10. et carm. 9. *n*) HIERONYMVS eum refert ad olymp. CCVI. annum IV. qui Claudii eſt nonus.

Digitized by Google

SVETONIO *o*) poemata fecit extempore, ſcripſitque variis, nec vulgaribus metris. Nec ab re VOSSIVS *p*) ſotadica, galliambica et id genus alia intelligit. Eadem enim MARTIALIS *q*) innuit, vbi errorem ridet iſtorum, qui magnum quiddam exiſtimant praeſtari ab illis, qui difficillima ſcribunt poemata: non ob reconditam eruditionem, ſed ob intortos quoſdam numeros et coactos, quibus in poeſi nihil laborioſius eſſe poteſt. Has ergo nugas difficiles appellat et ineptias, ſtudio et labore comparatas:

Nec retro, inquit, *lego ſotaden cinaedum,*
Nuſquam Graecula quod recantat Echo,
Non dictat mihi luculentus Attis
Mollem debilitate Galliambon.
— — — — —
Turpe eſt difficiles habere nugas,
Et ſtultus labor eſt ineptiarum.
Scribat carmina circulis r) Palaemon:
Me raris iuuat auribus placere.

§. VI.

Caii et Claudii Caeſarum temporibus floruit P. POMPONIVS SECVNDVS, vir conſularis et tragicus poeta, cuius vitam Plinius deſcripſit: *s*) et ipſe, *nobili exemplo*, inquit, *docuimus*, *referentes vitam Pomponii Secundi vatis.* Eumque alibi *t*) *conſularem poetam* vocat. QVINTILIANVS *v*) *eorum*, inquit, *quos vide-*

o) In illuſtribus grammaticis cap. 23.
p) De poetis Latinis p. 42. *q*) Lib. 2. epigr. 86.
r) i. e. turbae aut plebeiae recitantem vndique cingenti coronae.
s) Vid. PLINII hiſt. natur. l. 14. c. 4. confer. PLINII Iunioris lib. 3. epiſt. 5. *t*) Lib. 7. cap. 19.
v) Inſtit. orator. l. 10. c. 1.

Digitized by Google

viderim, longe princeps Pomponius Secundus, quem ſenes parum tragicum putabant, eruditione ac nitore praeſtare confitebantur. Videre illum certe poterat Fabius, qui ſenex admodum ſuos inſtitutionum oratoriarum libros conſcripſit. Aliquando, eodem teſte *x*) praefationibus inter Pomponium atque Senecam tractatum, num vt *expectorat* et *exanimat* dicitur, ita etiam recte Attius dixerit, gradus eliminat. Vtrumque et TERENTIANVS MAVRVS *y*) coniungit:

In tragicis iunxere choris hunc ſaepe diſerti
Annaeus Seneca et Pomponius ante Secundus.

In recitationibus hic tragoediarum ſcriptor, ſi quid forte familiarior amicus tollendum, ipſe retinendum arbitraretur, dicere ſolebat, *ad populum prouoco:* atque ita ex populi vel ſilentio, vel aſſenſu, aut ſuam, aut amici ſententiam ſequebatur. Tantum ille populo dabat. *z*) Tiberio adhuc imperante, illi obiectabatur Aelii Galli amicitia, qui punito Seiano, in hortos Pomponii quaſi fidiſſimum ad ſubſidium perfugiſſet. Neque aliud periclitanti fuit auxilii, quam in fratris conſtantia, qui vades exſtitit. Attamen, vt TACITVS *a*) loquitur, multa morum elegantia et ingenio illuſtri dum aduerſam fortunam aequus tolerat, Tiberio ſuperſtes fuit. Citatur a CHARISIO, *b*) PRISCIANO, *c*) CLEDONIO, *d*) TERENTIANO, *e*) MARIO VICTORINO, *f*) et

x) Inſtit. orat. l. 8. c. 3. *y*) De metris, apud Putſchium pag. 2430. *z*) PLINIVS lib. 7. epiſt. 17.

a) Annal. l. 5. cap. 8. *b*) Inſtit. grammat. lib. 1. apud Putſchium pag. 111. lib. 2. pag. 192.

c) Lib. 3. pag. 615. lib. 10. p. 902.

d) Apud Putſchium p. 1896. *e*) Ibid. pag. 2426.

f) Artis grammat. lib. 3. apud Putſchium p. 2563.

et aliis. Sigillatim operibus, *ad Thraſcam*, *g*) in *auctorato*, *h*) in *coena*, *i*) capella, *k*) epigrammate, *l*) lare familiari, *m*) lenone, *n*) in Maccis geminis prioribus, *o*) in Macho milite. *p*)

§. VII.

Claudii et Neronis tempore fuit ANNAEVS CORNVTVS, celebris philoſophus, grammaticus et poeta, Lucani et Perſii praeceptor, qui teſte HIERONIMO *q*) olympiadis CCXI. anno tertio, ab V.C. IↃCCCXX. in exilium a Nerone eiectus eſt, et mox, quod SVIDAS habet, cum Muſonio interfectus. Vetus Perſii vita, quae procul dubio deſumta eſt ex Suetonii de claris poetis libro, haec docet: *Cornutus illo tempore tragicus fuit, ſectae poeticae.* Sed legendum eſt *Stoicae.* Plura inferius paulo inter grammaticos de eo notabimus.

§. VIII.

In eundem cenſum et ipſe NERO Caeſar venit, qui, vt ſupra demonſtrauimus *r*) mirum quantum poeſeos laudem affectauit. Vt magnus poeta laudatur a MARTIALE. *s*) Etiam ab ineunte aetate ad poeticam pronus carmina libenter ac ſine labore compoſuit: et ipſo teſte

g) A CHARISIO inſtit. grammat. l. 1. apud Putſchium p. 100.
h) Ab eodem lib. 1. p. 37. PRISCIANO lib. 5. p. 642. l. 15. p. 1010. *i*) A CHARISIO lib. 1. p. 107.
k) Ab eodem l. 1. p. 59. *l*) A PRISCIANO l. 3. p. 602.
m) Ab eodem l. 6. p. 686. *n*) A CHARISIO l. 1. p. 60. vbi notat eum neutraliter *caſeum molle* dixiſſe.
o) Ab eodem l. 2. p. 187. vbi *primiter* eum dixiſſe notat.
p) Ab eodem l. 1. p. 99. et 101. *q*) Chronico Euſebiano.
r) Cap. 2. §. *s*) Lib. 8. epigr. 70. et lib. 9. epigr. 27.

teſte TRANQVILLO, *t*) non vt quidam putant, aliena pro ſuis edidit. Venerunt enim in manus illius pugillares et libelli cum quibuſdam notiſſimis verſibus, ipſius Neronis chirographo ſcriptis: vt facile appareret, non translatos, aut dictante aliquo exceptos: ſed plane quaſi a cogitante atque generante exaratos. Ita multa et deleta, et inducta, et ſuperſcripta inerant. TACITVS *v*) contra, ne ludicrae tantum imperatoris artes noteſcerent, ait, ſtudium affectaſſe carminum, contractis, quibus aliqua pangendi facultas; allatos vel repertos verſus compilaſſe: quod ſpecies ipſa carminum doceat, non impetu et inſtinctu, nec ore vno fluens. Nec dubitauit etiam priuatis ſpectaculis operam inter ſcenicos dare. Vt SVETONIVS *x*) habet, tragoedias cantauit perſonatus: heroum Deorumque, item heroidum ac Dearum, perſonis effictis ad ſimilitudinem oris ſui, et feminae, prout quamque diligeret. Inter cetera cantauit *Canacem parturientem*, *Oreſtem matricidam*, *Oedipodem excaecatum*, *Herculem inſanum*. Satyrica edidit varia, inter quae *Luſcio*, poema in Clodium Pollionem ſcriptum: *y*) et aliud in Regem Mithridatem. *z*) Sic ipſe mollior Nero carminibus ſuis molles perſtrinxerat. Hunc SENECA *a*) nobis conſeruauit Neronis verſum;

Colla Cytheriacae ſplendent agitata columbae.

§. IX.

t) Neron. cap. 52.

v) Annal. l. 14. c. 16. Confer. l. 13. c. 3. vbi a puero, inquit, carminibus aliquando pangendis, ineſſe ſibi elementa doctrinae oſtendiſſe. Videatur et PERSII ſatyra prima.

x) Neron. cap. 21. *y*) Apud SVETONIVM Domit. cap. 1.

z) SVETON. Neron. c. 24.

a) Natur. quaeſt. l. 1. c. 5.

Digitized by Google

§. IX.

Neronis aetate fuit etiam CAESIVS BASSVS, poeta lyricus, ad quem Perſius ſatyram ſextam ſcripſit, vbi quaerit vbinam locorum ſit, quid agat, quibus ſtudiis intendat animum, quam ſuo viuat contentus: mox vitae ſuae rationem exponit et mentem aequam: inſurgit denique in eos, quibus non eadem mens eſt, nec idem vitae inſtitutum. Hoc ergo ſatyrae initium:

Admouit iam bruma foco te, Baſſe, Sabino?
Iamne lyra, et tetrico viuunt tibi pectine chordae?

Vnde diſcimus, iam tum in agro Sabino fuiſſe, quo ſeceſſerit hiematurus, vt lyricis carminibus vacaret. Illis ſubiungit ſtatim:

Mire opifex numeris veterum primordia vocum,
Atque marem ſtrepitum fidis intendiſſe Latinae,
Mox iuuenes agitare iocos, et pollice honeſto
Egregios luſiſſe ſenes?

Hinc argumentum cognoſcimus eorum, quae Baſſus cecinerit. Mirum innuit ac peritum artificem fuiſſe ad aptanda citharae numeris argumenta ſeria et grauia, vel maſculam fortemque poeſin; qualis fuit Pindari, qui, vt HORATIVS ad Piſones loquitur, diuos pueroſque deorum, et pugilem victorem cecinit. Ecquid vero veterum primordia vocum intendiſſe? Licetne inde coniicere, eundem fuiſſe Baſſum illum, qui de origine verborum ſcripſit, ac ſaepius A. GELLIO *b*) citatur ſub *Gabii Baſſi* nomine. Equidem facillimam puto Caeſii in Gabium mutationem fuiſſe. Vidit eum FABIVS QVINTILIA-

b) Noct. Attic. l. 3. c. 19. l. 5. c. 7. et l. 11. c. 17. Pl. vid. apud VOSSIVM de hiſt. Lat. l. 1. c. 22. pag. 115. ſeq. De Gabio Baſſo vid. etiam PLINIVS lib. 10. epiſt. 32. 33.

Digitized by Google

TILIANVS, *c*) et quanti eum fecerit, vel inde patet, quod eum cum Horatio componere non dubitauerit. *Lyricorum*, inquit, *Horatius fere ſolus legi dignus. Si quem adiicere velis, is erit Caeſius Baſſus, quem nuper vidimus. Sed eum longe praecedunt ingenia viventium.* Ex Caeſio Baſſo DIOMEDES *d*) citat hoc carmen Moloſſicum:

Romani Gallis deuictis ſunt victores.

Lyricorum librum ſecundum citat PRISCIANVS, *e*) atque ex eo: *Calliope princeps ſapienti pſallerat ore.* Et RVFFINVS *f*) Baſſii memorat ad Neronem de iambico.

§. X.

Sic quoque Neronis aetate fuit ATTIVS LABEO, quem PERSIVS *g*) notat:

Nae mihi Polydamus et Troiades Labeonem
Praetulerint. — — — —

Vbi Cornutus, vel quiſquis eſt ille vetus interpres, teſtatur, eum Homeri Iliada et Odyſſeam, verbum ex verbo, ridicule ſatis tranſtuliſſe, quod verba potius quam ſenſum ſecutus ſit. Eius eſt ille verſus:

Crudum manduces Priamum, Priamique piſinnos.

Vt HOMERI *h*) exprimeret:

Ὠμὸν βεβρώθοις Πρίαμον, Πριάμοιο τε παῖδας.

Vbi *piſinnos*, mira licentia, pro *liberis* poſuit.

§. XI.

c) Inſtit. orat. l. 10. c. 1.

d) Lib. 4. confer. VOSSIVS de poetis Latinis pag. 44. De hiſtoricis Latinis lib. 1. c. 22. p. 115.

e) Lib. 10. apud Putſchium pag. 897. *f*) Apud Putſchium pag. 1707. *g*) Satyr. 1. init. Praenomen eius fuiſſe *Atti*, eadem ſatyra ſignificat, v. 50.

— — *Non hic eſt Ilias Atti*
Ebria veratro. — —

i. e. elleboro, quod cerebrum purgat et acuit.

h) Iliados Δ.

§. XI.

Eodem tempore floruit EVODVS Rhodius, poeta epicus, cuius ſcripta nulla iam Suidae, qui illius meminit, temporibus ſupererant. Fuit etiam quidam ANTISTIVS SOSIANVS praetor, qui factitatis in Neronem carminibus probroſis, C. Suetonio et L. Teleſino coss. exilio multatus, *i*) tandemque ad mortem damnatus eſt. *k*)

§. XII.

Veſpaſiano imperante CVRIATIVS MATERNVS, orator et poeta, omiſſis forenſium Muſarum anguſtiis, in quibus ſatis ſuperque ipſi ſudatum eſt, ſanctiorem et auguſtiorem ſacrae poeſeos eloquentiam colere coepit. Et cum eum maxime tot amicorum cauſſae, tot coloniarum et municipiorum clientelae, quibus vix ſufficeret, in forum vacent; tragoedias ſcripſit ac recitauit, in quibus memorantur Cato, Medea et Thyeſtes. Catonis recitatione potentium animos offendiſſe dicebatur, tanquam in eo tragoediae argumento ſui oblitus, tantum Catonem cogitaſſet. *l*)

§. XIII.

Eiuſdem aetatis eſt SALEIVS BASSVS itidem orator et incomparabilis poeta, de quo auctor dialogi de cauſſis corruptae eloquentiae *m*) vel, quem producit loquentem, Secundus: *quis neſcit, neminem mihi coniunctiorem eſſe et vſu amicitiae, et aſſiduitate contubernii,*

 quam

i) TACITVS annal. l. 16. c. 14.

k) Ibid. c. 21. confer. eiuſd. l. 13. c. 28.

l) Vid. auctor dialogi, an ſui ſeculi oratores antiquis, et quare concedant: qui vulgo Taciti operibus annectitur. cap. 2. ſeqq.

m) Cap. 5.

quam Saleium Baſſum, cum optimum virum, tum abſolutiſſimum poetam? Porro ſi poetica accuſatur, non alium video reum locupletiorem. Securus ſit, inquit Aper, et Saleius Baſſus, et quiſquis alius ſtudium poeticae et carminum gloriam fouet, cum cauſſas agere non poſſit. Et FABIVS QVINTIL. *n*) laudat vehemens et poeticum ingenium Saleii Baſſi, nec ipſum ſenectute maturum. Sed pauperem fuiſſe, vel ex ipſa arte miſerum, innuit rurſum auctor dialogi de cauſſis corruptae eloquentiae: *o*) *quis*, inquit, *Saleium noſtrum egregium poetam, vel, ſi hoc honorificentius eſt, praeclariſſimum vatem deducit, aut ſalutat, aut proſequitur? Nempe ſi amicus eius, ſi propinquus, ſi denique ipſe in aliquod negotium inciderit, ad hunc Secundum recurret, aut ad te, Materne, non quia poeta es, neque vt pro eo verſus facias. Hi enim Baſſo domi naſcuntur, pulchri quidem et iucundi. Quorum tamen hic exitus eſt, vt cum toto anno, per omnes dies, magna noctium parte, vnum librum extudit et elucubrauit, rogare vltro et ambire cogatur; vt ſint qui dignentur audire: et ne id quidem gratis. Nam et domum mutuatur, et auditorium exſtruit, et ſubſellia conducit, et libellos diſpergit: et vt beatiſſimus recitationem eius euentus proſequatur, omnis illa laus intra vnum aut alterum diem* et quae ſequuntur. Sed memoranda in eum Veſpaſiani Imperatoris liberalitas, qui, procul dubio vt eius ſubleuaret inopiam, quingenta ſeſtertia donauit. Nam vbi haec modo laudatus dialogi auctor *p*) recenſet, *pulchrum id quidem*, ſubiungit, *indulgentiam principis ingenio mereri; quanto tamen pulchrius, ſi ita res familiaris*

n) Inſtit. orat. l. 10. c. 1. *o*) Cap. 9.
p) De cauſſis corruptae eloquentiae cap. 9.

Digitized by Google

liaris exigat, ſe ipſum colere, ſuum genium propitiare, ſuam experiri liberalitatem?

§. XIV.

Sub Veſpaſiano floruit etiam CVRTIVS MONTANVS, orator et poeta, quem Marcellus *q*) maxima vi accuſauit, et nimium mites Romanos arguit eſſe patres quod eum, deteſtanda carmina factitantem, eludere impune finerent. Nec defuerunt *r*) qui Montanum probae iuuentae, neque famoſi carminis, quia protulerit ingenium, extorrem agi. Ex ſenatoribus fuit, qui, referente Caeſare de reſtituendis Galbae honoribus, et Piſonis memoriam cenſuit celebrandam eſſe. *s*) Eius aduerſus Aquilium Regulum oratio eſt apud TACITVM: *t*) et PLINII *v*) ad eum ſcripta epiſtola, qua Pallantis liberti monumentum cum indignatione ridet.

§. XV.

TITVS Caeſar ipſe in fingendis poematis promtus et facilis *x*) ad extemporalitatem vſque, vt loquitur EVTROPIVS *y*) *cauſſas Latine egit, poemata et tragoedias Graece compoſuit.* Neque ex illo iudicandum, a carminibus Latinis abſtinuiſſe: minime gentium, et linguam promiſcue vtramque adhibuit. Id enim SVETONIVS *z*) innuit, qui *Latinae*, inquit, *Graecaeque linguae, vel in orando, vel in fingendis poematibus, promtus.* De arte poetica teſtatur quoque PLINIVS: *a*) *quanto tu ore patris*

q) Apud TACITVM annal. l. 16. c. 28.
r) Apud eundem l. 16. annal. cap. 29.
s) TACITVS hiſt. l. 4. c. 40. *t*) Hiſt. l. 4. c. 42.
v) Lib. 7. epiſt. 29. *x*) Teſte SVETONIO eius vita cap. 3.
y) Lib. 7. *z*) Tito cap. 3.
a) Ille ſenior, praefatione, quam ad eum ſcripſit, hiſtoriae naturali praemiſſa.

Digitized by Google

tris laudes tonas! quanto fratris amas! quantus in poetica es! o magna foecunditas animi! quemadmodum fratrem quoque imitareris excogitaſti. Vnde VOSSIVS *b*) putat, exemplo fratris Domitiani, licet natu minoris, ad poeticam ſe contuliſſe.

§. XVI.

DOMITIANVS certe, quod diſſertationis capite altero docuimus, mirum quantum poeticam ſimulauerit artem. Nam et SVETONIO *c*) teſte, nunquam hiſtoriae aut carminibus cognoſcendis, operam vllam dedit, ipſumque ſtilum, vel maxime neceſſarium neglexit: et omnia alieno formauit ingenio. Attamen, vt idem SVETONIVS *d*) loquitur: *ſimulauit mire modeſtiam, inprimisque poeticae ſtudium, tam inſuetum antea ſibi, quam poſtea ſpretum et abiectum: recitauit etiam publice.* Eandemque ſententiam TACITVS *e*) confirmat, et *ſimplicitatis*, inquit, *ac modeſtiae imagine in altitudinem conditus: ſtudiumque literarum et amorem carminum ſimulans, quo velaret animum, et fratris aemulationi ſubduceretur, cuius diſparem mitioremque naturam contra interpretabatur.* Haec nos fides hiſtorica docet. Suam contra alii produnt adulationem maximam, qui eum literatorem et poetam ſummum vocare non dubitant. Quos inter QVINTILIANVS *f*) eſt, cui Domitianus ſororis ſuae nepotum delegauit curam: vt de Martiale, Valerio Flacco, et aliis triſtia eius tempora et ingenium laudantibus, nihil dicam. Sed VOSSIVM *g*) miror, contra tot hiſtoricorum

b) De poetis Graecis cap. 9. pag. 73.
c) Eius vita cap. 20. *d*) l. c. cap. 2.
e) Hiſt. l. 4. c. 86. *f*) Prooem. lib. 4. inſtit. orat.
g) De poetis Latinis cap. 3. p. 48.

rum fidem, illi non modo excellentem tribuere artem, verum etiam Arateam translationem adſcribere ideo, quod Germanici nomen a victa gente meruerit. Illum vero Caeſarem Germanicum longe alium fuiſſe notauimus. *h*)

§. XVII.

Domitiano imperante celebris fuit SCAEVA MEMOR, poeta tragicus, qui arte ſua ſtatuam meruit. Vnde MARTIALIS: *i*)

Clarus fronde iouis, Romani fama cothurni,
Spirat Apellea redditus arte Memor.

FVLGENTIVS, *k*) cum dixerit, *ſuppetias* auxilium ſignificare, Memoris poetae citat tragoediam Herculis, atque ex illa haec verba: *ferte ſuppetias, optimi comites.* Et tragicus ille eſt, cui Ioſephus Scaliger Octauiam tragoediam tribuit, quae vulgo cum aliis Senecae adſcripta hodie exſtat.

§. XVIII.

Memoris frater erat TVRNVS, itidem celebris, at ſatyricus poeta. MARTIALIS enim: *l*)

Contulit ad ſatyras ingentia pectora Turnus:
Cur non ad Memoris carmina? frater erat.

Ceſſit ergo carminis gloriam fratri, nec aemulum ſe illi ingerere voluit: potius excellere carminis genere alio, et ſcribere ſatyras. Quanto fuerit in pretio, vel inde patet, quod ipſe MARTIALIS *m*) a Caeſio gloriatur

h) De virili aetate Latinae linguae part. 1. cap. 4. §. 12.
i) Lib. 11. epigr. 10. *k*) De vocibus antiquis.
l) Lib. 11. epigr. 11.
m) Lib. 7. epigr. 96.

tur ſe diligi, proximumque Turni nobilibus legi libellis. Et RVTILIVS: *n*)

Nec Turnus, inquit, *potior*, *nec Iuuenalis erit.*

Vtriuſque fratris et vetus Iuuenalis ſcholiaſtes, *o*) et SIDONIVS APOLLINARIS *p*) meminerunt.

§. XIX.

ARVNTIVS STELLA Patauinus, *q*) elegiographus haud incelebris et diues. Vnde MARTIALIS *r*) venuſte iocatur in gemmas Stellae, quibus vel ora, vel nomina puellarum erant inſcripta. Alios grauia ceruicibus onera, alios humeris et brachiis geſtare pueros, ſi vel ſeptem, vel octo;

Res, inquit, *non difficilis mihi videtur:*
Vno cum digito, *vel hoc*, *vel illo*,
Portet Stella meus decem puellas.

Siue vno digito portauerit decem annulos, totidem puellarum pignora; ſiue decem puellarum effigies nominaue vno habuerit inſcripta: fortaſſis Muſarum et Hianthidis ſuae: vt olim Pyrrhi gemma cum nouem Muſis Apollinem continebat. At prius vero videtur ſimilius. Nam et Stellae muſam elegantiſſime celebrans idem MARTIALIS *ſ*)

Sardonychas, inquit, *ſmaragdos*, *adamantas*, *iaſpidas vno*
Verſat in articulo Stella, *Seuere*, *meus.*

Mul-

n) In itinerario. *o*) Satyr. 1. *p*) Carm. 5.

q) MARTIALIS l. 1. epigr. 62.
Cenſetur Apona Liuio ſuo tellus,
Stellaque, *nec Flacco minus.*

r) Lib. 5. epigr. 12. *ſ*) Lib. 5. epigr. 11.

Multas in digitis, plures in carmine gemmas
Inuenies: inde eſt haec, puto, culta manus.

Amicam eius MARTIALIS *t*) Hianthida, STATIVS *v*) Violantillam vocat, et eius nuptias celebrat: quod item MARTIALIS *x*) facit, breuibus felicitatem praedicans, quod Venus Hianthida inexorabilem diu atque duram connubio ſtabili tandem iungens poetae, cape, dixerit, munus, quo non potui dare maius. Aetate minorem, at ſtudiis parem fuiſſe Statio, ipſius docemur epithalamio: *y*)

Me certe non vnus amor ſimplexque canendi
Cauſſa trahit, tecum ſimiles iunctaeque Camoenae
Stella mihi multumque pares bacchamur ad aras,
Et ſacram doctis haurimus ab omnibus vndam.
At te naſcentem gremio mea prima recepit
Parthenope, dulcisque ſolo tu gloria noſtro
Reptaſti. — — — — —

Domitiani de Sarmatis victoriam carmine deſcripſit; multisque Catullum imitatus eſt. Hinc vt Catullus Lesbiae, ſiue Clodiae ſuae paſſerem, ita et Stella Hianthidos, ſiue Violantillae ſuae columbam cantauit. *z*) Haec vero MARTIALIS *a*) adulatio eſt, tanto praeſtare columbam Stellae paſſeri Catulliano, quanto columba eſt maior paſſere.

§. XX.

Et CODRVM huius temporis faciunt *b*) Theſeidos auctorem, qui fuerit a IVVENALE *c*) deriſus. Sed

 illud

t) Lib. 6. epigr. 21. et l. 7. epigr. 13. *v*) Siluar. l. 1. carm. 2.
x) Lib. 6. epigr. 21. *y*) L. c. v. 258.
z) Confer. MARTIALIS lib. 7. epigr. 13. *a*) Lib. 1. epigr. 8.
b) Certe VOSSIVS de poetis Latinis cap. 3. pag. 49.
c) Satyr. 1. init.

Semper ego auditor tantum? nunquamne reponam,
Vexatus toties rauci Theſeide Codri?

Digitized by Google

illud mihi verum poetae nomen fuiſſe non videtur: quod contra ſatyrae eſt naturam, cum vitiis ſimul etiam nominare perſonas. Cadrus quidam memoratur VIRGILIO: *d*) illius nomen Iuuenalis, more ſatyricorum, tribuit vili et clamoſo poetae, cuius raucedinem ex recitationibus ferre non potuit. Sic et alibi *e*) malorum poetarum tragoedias carpit,

Halcyonem BACCHI, *Thebas et Terea* FAVSTI.

Rurſum: *f*)

— — — — — *poſcimus, vt ſit*
Non minor antiquo RVBRENVS *Lappa cothurno,*
Cuius et alueolos, et laenam pignorat Atreus.

Vbi propria pro appellatiuis haud obſcure vſurpauit nomina, quibus malos poetas ſignificare voluit: a VOSSIO *g*) ad haec tempora immerito relatos. Nec aliud de THEODORO *h*) conſtat, quem itidem VOSSIVS *i*) nullo argumento non ſolum inter celebres numerat huius temporis poetas, verum etiam Iudaeum fuiſſe putat.

§. XXI.

LVSTRICVS BRVTIANVS, Vir bonus, cuius, a familiari ſuo accuſati, exemplo Tironem, prouinciam ſortitum, PLINIVS *k*) hortatur, ne cuiquam nimis fidat. Eodem teſte, Iuſtiſſimum integritatis teſtimonium illi redditum, quem et conſtantiae gloria ſit ſecuta. *Nam defenſus expeditiſſime, accuſauit vehementer; nec minus acer, quam bonus et ſincerus apparuit.* Hunc poetam

d) Ecloga 7. Vbi et SERVIVS conſulendus eſt.
e) Satyr. 7. v. 12. *f*) Satyr. 7. v. 71.
g) l. c. *h*) Apud MARTIALEM lib. 11. epigr. 94. Neque eundem notat ſequens epigramma de Iudaeo poeta ſcriptum.
i) De poetis Latinis c. 3. pag. 49. *k*) Lib. 6. epiſt. 22.

Digitized by Google

tam elegiacum et optimum epigrammatum auctorem Graecum MARTIALIS *l)* ipſi Callimacho, poetae nobiliſſimo, praefert; et optat, ſi Latina ſcripſerit epigrammata, vt ipſe ab eo ſecundus numeretur.

§. XXII.

CANIVS RVFVS, poeta Gaditanus, *m)* in deliciis, vt MARTIALIS *n)* loquitur, triſtem aethiopem habuit: cum infauſtum Romanis fuerit alias primo mane, aut in quolibet principio, aethiopi, aut ſimiae, aut claudo, eunuchoue occurrere, propter deformitatem et imperfectionem. *o)* Facetus fuit, ac riſum aliis ciere, ipſumque perpetuo ridere conſueuit. Vnde MARTIALIS: *p)*

Vis ſcire quid agat Canius tuus? ridet.

Eundemque riſu continuo diſtentum comparat *q)* cum Pane Deo, qui ridentis imagine apud Terentum in campo Martio viſebatur. *r)* In matrimonio THEOPHILAM habuit, poetriam, quam, vt ſui ſexus ornamentum, a ſingulari caſtitate et exquiſita doctrina MARTIALIS *s)* ita quidem commendat, vt par ingenio et eruditione, moribus melior, ipſam Sappho longe verecundia ſuperarit.

§. XXIII.

LICINIANVS, Bilbilitanus poeta, patriam cum MARTIALE communem habuit, vnde ille *t)* poſtquam

l) Lib. 4. epigr. 23. *m)* MARTIALIS l. 1. epigr. 62.
Gaudent iocoſae Canio ſuo Gades.

n) Lib. 7. epigr. 86.

o) Confer. IVVENALIS ſat. 6. v. 601. OVIDIVS faſt. l. 1.

p) Lib. 3. epigr. 20. *q)* Lib. 1. epigr. 70.

r) Panis fabulam exponit NATALIS COMES mythol. l. 5. c. 6.

s) Lib. 7. epigr 68. *t)* Lib. 1. epigr. 62.

quam Catulli, Maronis, et aliorum poetarum patriam indicaſſet, extremo addit:

Te, Liciniane, gloriabitur noſtra
Nec me tacebit Bilbilis.

Sic et alibi *v*) ad eum ſcribit:

Vir Celtiberis non tacende gentibus,
Noſtraeque laus Hiſpaniae,
Videbis altam, Liciniane, Bilbilim,
Equis et armis nobilem.

Ex eodem epigrammate intelligimus, poetam illum exantlatis Romae laboribus ad Celtiberos rediiſſe. Eaque occaſione Martialis depingit illi omnia loca, quae viſurus ſit: vt propoſita eorum amoenitate, commilitonem ſuum ad vitam ruſticam et genialem ducat: quod

Non impudenter vita, quod reliquum eſt, petat;
Cum fama, quod ſatis eſt, habet.

§. XXIV.

VICTOR VOCONIVS Romanus, ordinis equeſtris, cui pater ſatis clarus, mater e primis citerioris Hiſpaniae. Ipſe flamen dialis fuit, qui maximae dignitatis. Hunc iunior PLINIVS, *x*) quum literis ſimul incumberent, arcte familiariterque dilexit. In vrbe, in ſeceſſu, vbique contubernales, conſueuernnt ſeria iocosque miſcere. Vtroque amico et ſodali nihil fidelius, nihil iucundius excogitari potuit. Nam et Plinio tribuenda, quae hic alter idem de Voconio ſuo praedicat: *mira in ſermone, mira etiam in ore ipſo vultuque ſuauitas. Ad hoc ingenium excelſum, ſubtile, dulce, facile, erudi-*

v) Lib. 1. epigr. 50.

x) Ipſo teſte lib. 2. epiſt. 13. ad Priſcum, cui de meliori nota Voconium commendat.

Digitized by Google

eruditum in cauſſis agendis. Epiſtolas quidem ſcribit, vt Muſas ipſas Latine loqui credas. A Traiano illi ius trium liberorum impetrauit, mox et ſenatorium ordinem. *y*) Ad eum extat Plinii epiſtola, *z*) qua illi ſubdolos M. Reguli cauſſidici mores oſtendit. Haud obſcure illum MARTIALIS *a*) inter poetas ſui temporis celebriores recenſet, eiusque puerum Teſtilum *tormentum dulce* vocat. Teſte APVLEIO *b*) Imperatoris Hadriani amicitiam quoque carminibus ſuis meruit, adeo quidem vt poetae tumulum verſibus ſit veneratus, memorans inter alia de eo:

Laſciuus verſu, mente pudicus erat.

§. XXV.

Non item conſtat, num poetis excellentioribus huius temporis annumerandus ſit APOLLINARIS, quocum et valde familiariter vixit, et frequens literarum commercium habuit idem PLINIVS. *c*) Certe vir magnus in rep. fuit, et doctrina clarus. Doctiſſimum fuiſſe, MARTIALIS *d*) docet, cuius elegans ad librum ſuum eſt apoſtrophe, vt Apollinari placeat; ſic enim poſſe aliorum iudicia contemni. Sin damnauerit, fore, vt relegatus ad ſalariorum ſcrinia, chartam pueris praebeat in tergo arandam. Diſcimus etiam inde, ſtilum inprimis ſibi Atticum elegiſſe:

Si vis, inquit, *auribus Atticis probari,*
Exhortor moneoque te, libelle,
Vt docto placeas Apollinari.

Nil

y) Vid. PLIN. l. 10. epiſt. 3. *z*) Lib. 1. epiſt. 5.
a) Lib. 7. epigr. 28. *b*) Apologia 1.
c) Vid. eius l. 2. epiſt. 9. et lib. 5. epiſt. 6.
d) Lib. 4. epigr 87.

Nil exactius eruditiusque eſt;
Sed nec candidius benigniusque etc.

Et alibi *e*) ſcazontem ſuum iambumue claudicantem monet, vt in Apollinaris ſinum confugiat, vbi tutum fore librum ſibi perſuadet.

§. XXVI.

Doctus quoque, incertum an poeta, VOTIENVS erat, cuius MARTIALIS *f*) meminit: cumque patria Narbonenſem fuiſſe teſtatur:

Docti, inquit, *patria Narbo Votieni.*

§. XXVII.

Sed Plinii temporibus PASSIENVS PAVLVS poeta fuit. Splendidus ille eques Romanus, et inprimis eruditus elegos ſcripſit. Quod illi quidem, teſte PLINIO, *g*) gentilitium. Fuit enim municeps Propertii, quem etiam inter maiores ſuos numerauit. Idem refert de eo, cum recitaſſet aliquando, vt mos erat honoris cauſſa veniam recitandi ab auditorum ſpectatiſſimis petere, ad Iabolenum Priſcum ſe conuertentem dicere ita coepiſſe: *Priſce iubes?* Hunc reſpondiſſe: *Ego vero non iubeo.* Vnde riſus hominum et ioci; recitanti vero aliquantum frigoris et timiditatis acceſſiſſe. Omnium accuratiſſime genus, mores et ingenium eius deſcribit PLINIVS epiſtola ad Seuerum: *h*) *magna me ſolicitudine affecit Paſſieni Pauli valetudo, et quidem plurimis iuſtiſſimisque de cauſſis. Vir eſt optimus, honeſtiſſimus, noſtri amantiſſimus; praeterea in literis veteres aemulatur, exprimit, reddit; Propertium in primis, a quo genus ducit, vera ſoboles, eoque ſimillima illi, in quo ille praecipuus. Si elegos*

e) Lib. 7. epigr. 15.
f) Lib. 8. epigr. 72.
g) Lib. 6. epiſt. 15.
h) Lib. 9. epiſt. 22.

elegos eius in manum ſumſeris, leges opus terſum, molle, iucundum, et plane in Propertii domo ſcriptum. Nuper ad lyrica deflexit, in quibus ita Horatium, vt in illis illum alterum, effingit. Putes, ſiquid in ſtudiis cognatio valet, et huius propinquum. Magna varietas, magna mobilitas. Amat, vt qui veriſſime; dolet, vt qui impatientiſſime; laudat, vt qui benigniſſime; ludit, vt qui faceriſſime: omnia denique tanquam ſingula abſoluit. Pro hoc ego amico, pro hoc ingenio, non minus aeger animo, quam corpore ille, tandem illum, tandem me recepi. Gratulare mihi, gratulare etiam literis ipſis, quae ex periculo eius tantum diſcrimen adierunt, quantum ex ſalute gloriae conſequentur.

§. XXVIII.

Eiuſdem aetatis quoque VERGINIVS ROMANVS fuit, probitate morum, ingenii elegantia, et operum varietate inclutus. Scripſit mimiambos, vt decet, inprimis tenuiter, argute, venuſte, atque in hoc genere eloquentiſſime. Scripſit etiam comoedias, Menandrum, Plautum, Terentium aliosque ſecutus. Alias quoque edidit, ad exemplar veteris comoediae ſcriptas, tam bene, vt ipſe exemplar eſſe poſſit. Comoediae veteris norma et exemplum Ariſtophanes, vt nouae Menander. Et vetus quidem illa plus libertatis ſibi ſumſit, non fictas, ſed geſtas ciuium res perſecuta. Teſte PLINIO, *i*) qui haec recenſet, *non illi vis, non granditas, non ſubtilitas, non amaritudo, non dulcedo, non lepos defuit. Ornauit virtutes, inſectatus eſt vitia, fictis nominibus decenter, veris vſus eſt apte.* Eoque nomine Cani-

i) Lib. 6. epiſt. 21.

Caninio ſuo ſpem facit, fore, vt librum, non legendum modo, ſed ediſcendum, ſi quando ſemel ſumſerit, nunquam deponat.

CAPVT V.
De clarioribus decreſcentis Latinae linguae grammaticis.

§. I.

Grammaticis praeſertim linguae cura incumbit. 2. *Inmerito, ſi recte ſuo funguntur officio, ab illis, qui Senecam habent auctorem, reprehenduntur.* 3. *Dignitas et munera grammaticorum hoc ſeculo non contemnenda.* 4. *Ineptiis abripiuntur multi, vt meliores accuſent.* 5. *Hyginus deſcribitur.* 6. *Eius ſcripta notantur.* 7. *Poeticon aſtronomicum.* 8. *Fabulae recenſentur.* 9. *Hygini grammatici non ſunt gnomatica.* 10. *Nec forſan, quae illi adſcribuntur, alia.* 11. *Stilus examinatur.* 12. *Editiones ſeculi decimi quinti.* 13. *decimi ſexti.* 14. *et decimi ſeptimi recenſentur.* 15. *Caius Meliſſus.* 16. *Marcus Pomponius Marcellus.* 17. *Remmius Palaemon.* 18. *Marcus Valerius Probus.* 19. *Eius ſcripta.* 20. *Annaeus Cornutus.* 21. *Eius ſcripta.* 22. *Terentianus Maurus.* 23. *Aſconius Pedianus.* 24. *Eius ſcripta.* 25. *Quae illi falſo tributa.* 26. *Superſtites in Ciceronis orationes eius commentarii.* 27. *Stilus.* 28. *Editiones ſeculi decimi quinti.* 29. *decimi ſexti.* 30. *et decimi ſeptimi recenſentur.*

§. I.

Linguae cuſtodes ſunt grammatici, *a*) quorum maxime intereſt, ſartam tectam habere optimam dicendi facul-

a) Ita eos vocat SENECA epiſt. 95. ENNODIVS vero Grammaticam

facultatem; illibatas ſeruare elegantiores literas, enutrire quaſcunque diſciplinas, atque in primis facundiam ornare: qua mediante omnium excellentiſſime norunt cogitare ad laudem, loqui ſine vitio, et abſonum orationis errorem ita cauere, vt boni mores crimen externum deteſtantur. Vnde Rex Athalaricus, apud CASSIODORVM: *b*) *Eſt grammatica magiſtra verborum, ornatrix humani generis, quae per exercitationem pulcherrimae lectionis, antiquorum nos cognoſcitur iuuare conſiliis.* Ipſe CASSIODORVS: *c*) *grammatica eſt peritia pulchra eloquendi, ex poetis illuſtribus oratoribusque collecta. Officium eius eſt, ſine vitio dictionem proſalem metricamque componere. Finis vero elimatae locutionis vel ſcripturae, inculpabili placere peritia.* De officio et dignitate grammatici ſatis in ea diſſertatione dictum, quam de virili aetate Latinae linguae ſcripſimus. *d*) Et errant mea quidem ſententia valde, qui elegantiae omnis expertes, nobiliſſimam artem ad ſcholarum piſtrina detrudere non verentur. *e*) Docuimus iam tum, auguſtos eſſe huius artis terminos, quae omnium pene diſciplinarum complectatur arcana, per vniuerſam eruditionem diffuſa de quacunque cauſſa vel quaeſtione reſpondeat, atque adeo ſibi omne ſcriptorum ſubiectum habeat. FABIVM QVINTILIANVM huius aeui diligentiſſimum eloquentiae praeceptorem audiamus: *f*) *grammaticae*, in-

ticam ceterarum artium nutricem. DIOMEDES praef. artem merae Latinitatis, puraeque eloquentiae magiſtram.

b) Lib. 9. epiſt. 21. *c*) De arte grammat. princip. confer. SENECA epiſt. 88. et 108.

d) Part. 1. cap. 5.

e) Confer. IOH. WOWER de polymathia cap. 19.

f) Inſtit. orator. lib. 1. cap. 4.

quit, *non eſt ſatis legiſſe poetas, excutiendum omne ſcriptorum genus, non propter hiſtorias modo, ſed verba, quae frequenter ius ab auctoribus ſumunt. Tum nec citra muſicen grammatice poteſt eſſe perfecta, cum ei de metris rhythmisque dicendum ſit. Nec ſi rationem ſiderum ignoret, poetas intelligat: qui (vt alia mittam) toties ortu occaſuque ſignorum in declarandis temporibus vtuntur. Nec ignara philoſophiae, cum propter plurimos in omnibus fere carminibus locos, ex intima quaeſtionum naturalium ſubtilitate repetitos, tum vel propter Empedoclem in Graecis, Varronem ac Lucretium in Latinis, qui praecepta ſapientiae verſibus tradiderunt. Eloquentia quoque non mediocri eſt opus, vt de vnaquaque earum, quas demonſtrauimus, rerum dicat proprie et copioſe.* Adeone parum eſt inter bonos grammaticos numerari: quod nomen pleriſque tam odioſum, vt mallent quiduis aliud audire, et ingentes trepidare Titi, quam bene loqui.

§. II.

Neque ſatis mirari poſſum, etiam hoc ſeculo, Auguſteo proximo, homines fuiſſe, et inter hos SENECAM philoſophum, quos dixeris acerbiſſimos huius diſciplinae contemtores fuiſſe. Quanquam, ſi accuratius Senecae ponderemus ſententiam, non tam philologiam, quam ſui temporis philoſophiam, quae tota in philologiam degenerauit, accuſare videatur. Ipſius videamus verba: g) *philoſophi quantum habent ſuperuacui, quantum ab vſu recedentis? Ipſi quoque ad ſyllabarum diſtinctiones, et coniunctionum ac praepoſitionum proprietates deſcenderunt, et inuidere grammaticis. Quicquid in illorum artibus ſuperuacuum erat, tranſtulere in ſuam. Sic*

g) Epiſt. 88.

Sic effectum eſt, vt diligentius ſciant loqui, quam viuere. Quaſi vero vtrumque non poſſit eſſe coniunctum: aut ex philoſophorum praeceptis neceſſario prodeant omnes boni. Idem: *h*) *In ſuperuacuis ſubtilitas teritur. Non faciunt bonos iſta, ſed doctos. Apertior res eſt ſapere, imo ſimplicior. Paucis opus eſt ad mentem bonam literis.* Recte, et ſapere, et bonam habere mentem is poteſt, qui literarum plane rudis in ciuitate, vel in agro vitam incolit inopem ſuaque manu alimentum quaerit. Iterum vero iterumque miramur, haec ſtudia ne Senecae quidem placuiſſe, qui ſui temporis acerrimus vindex videri voluit: vt pateretur ſimul eſſe bonum atque doctum, qui illud ſibi facile perſuadere poterat, nobiliſſimum inter probitatem et eruditionem eſſe vinculum, vt alia vix ſine alia recte ſubſiſtat. Fuit in Seneca philoſopho, vt QVINTILIANVS ait, *i*) ingenium facile et copioſum, plurimum ſtudii rerumque multarum cognitio: vt ipſe vnus omnium πολυμαθέστατος audire, et in quacunque diſciplina principatum tenere maluiſſet. Tractauit omnem fere ſtudiorum materiam. Orationes, poemata, epiſtolas et dialogos, praeter iſtas omnibus notas commentationes philoſophicas ſcripſit. Et ſolus fere in adoleſcentum manibus verſari amabat, atque etiam optimis praeferri, non ſine multorum detrimento. Nam erat corrupta valde et pernitioſa eius eloquentia tanto magis, quod dulcibus laboraret vitiis, nimium ſibi placeret ipſi, ac rerum pondera minutiſſimis ſententiis frangere non vereretur. Cum ergo humanitatis ſtudia, quae vere ingenioſa vocat, ipſe parum accurate didicerit, vt ſolus ſapere videatur, ea contemnit.

h) Epiſt. 106. *i*) Inſtit. orat. l. 10. c. 1. extr.

temnit. *Sapientia*, inquit, *non eſt in literis. Res tradit, non verba.* Eademque epiſtola: *k*) *grammaticus circa curam ſermonis verſatur, et, ſi latius euagari vult, circa hiſtorias. Iam vt longiſſime fines ſuos proferat, circa carmina. Quid horum ad virtutem viam ſternit? Syllabarum enarratio, et verborum diligentia, et fabularum memoria, et verſuum lex ac modificatio? Quid ex his metum demit, cupiditatem eximit?* Alibi: *l*) *illud admoneo, auditionem philoſophorum, lectionemque ad propoſitum beatae vitae trahendam: non vt verba priſca, aut ficta captemus, translationes improbas figurasque dicendi, ſed vt profutura praecepta, et magnificas voces, et animoſas, quae mox in rem transferantur.* Centeſima epiſtola Lucilium reprehendit, quod philoſophi compoſitionem accuſarit. *Vis illum*, inquit, *aſſidere puſillae rei, verbis? Ille ſe rerum magnitudini addixit.* Rurſum: *m*) *Quis*, inquit, *accurate loquitur, niſi qui vult putide loqui? Circa verba occupatus es: iamdudum gaude, ſi ſufficis rebus.* Et inter alia non vult multum operae verbis impendi oportere. Quaſi vero delectus verborum et orationis cura, quae origo eloquentiae, philoſophiam aliasque diſciplinas impediat. Quoquo ſe res habeat modo, quod reprehendit Seneca, ipſe exercet, ac quinquageſima octaua epiſtola ſolicite magis quam decet, ac longe vltra grammatici otioſiſſimi acumen, diſquirit de verbis Latinis, eorundemque inopia; quantum illorum ſitus occuparit; quam multa ſubducta ſint, vt religioſe tandem *eſſentiae* vocabulo vtatur. Vnde facile patet, quam facundus Seneca philoſophus ſit aduerſus vitia ſua. Illa vero CICERONIS *n*) vera ſententia

k) Epiſt. 88. *l*) Epiſt. 108. *m*) Epiſt. 75. *n*) De finibus l. 3.

Digitized by Google

ſententia eſt, philoſophicas res dicere ornate velle, puerile; plane autem et perſpicue expedire poſſe, docti et intelligentis viri. Quomodo autem perſpicue et plane poſſit aliquis dicere ſine verborum cognita proprietate atque delectu, ego prorſus non video. Perperam ergo Seneca negat philoſopho competere ſermonis curam: quae certe neminem dedecet, tanto minus, quod ipſa nos ratio iubet purgare linguam, vt animus ſenſusque ſuauior et iucundior efficiatur. Recte PLVTARCHVS: *o*) ἄριστα λέγεται παρὰ τοῖς φιλοσόφοις, τὸ τοὺς μὴ μανθάνοντας ὀρθῶς ἀκούειν ὀνομάτων, κακῶς χρῆσθαι καὶ τοῖς πράγμασιν. *Optime a philoſophis dici, qui vocabula non recte intelligere diſcunt, eos in rebus falli.* IVL. POLLVX: *magnam ſapientiae partem, ſcire quo quaeque nomine appellentur.* Et ARRIANVS: *p*) ἀρχὴν παιδεύσεως τὴν τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψιν. *Qui velit attingere philoſophiam, ei in primis initio rerum vocabula conſideranda et inueſtiganda.*

§. III.

Neque contemnenda hoc ſeculo fuit principum virorum circa grammaticam et rationem ſermonis Latini cuſtodiendam cura. Tiberii Caeſaris aliquoties laudauimus induſtriam, qui de ſua lingua elegantiori ſeruanda adeo ſolicitus: vt grammaticos conuocarit, qui de voce non Latina iudicarent; et aequo animo tulerit Marcum Pomponium Marcellum, contra ſententiam Atteii, negantem, ita Caeſarem verbis, vt hominibus, ciuitatem dare poſſe. Ea quidem re veteres imitatur Romanos: *q*) imo curam Athenienſium admirandam in proprieta-

o) περὶ ἴσιδος καὶ ὀσίριδος.

p) Diſſert. Epicteti.

q) Vid. comment. de virili aetate L. L. part. 1. c. 1. §. 34.

prietate et elegantia ſermonis. Hos enim, teſtatur SVIDAS, r) cum aliquando inopia premerentur, et pecunia egerent, eamque peregrinus quidam promiſiſſet, beneficio eius vti noluiſſe, quia ſcilicet σολοικίζων, δανειῶ dixerat. At cum emendaſſet errorem, et δανείσω dixiſſet, eum paſſi ſunt nummis ſuis egeſtati ſuccurrere. Quam quidem praepoſteram et ſuperſtitioſam anxietatem Athenienſibus merito relinquimus iſtis, quibus maior religio verbornm, quam ſui commodi et publicae vtilitatis ratio. Nam elegantiae exiſtimabant violari famam, ſi vel vnicum ſoloeciſmum ignoſcerent alicui; quaſi ad imperii ſummam purus et emendatus ſermo pertineret. Atque etiam, PLVTARCHO s) teſte, cum Demetrius Athenas obſidione preſſiſſet, et deſtitutae commeatu diutius famem tuliſſent, victorem admiſerunt; qui ciuibus inedia infirmis frumentum dedit. Hanc liberalitatem ſuam cum ad populum referret, imprudenti forte barbariſmus excidit. Ex illis vero, qui ad concionem confluxerant, ſuggeſſit aliquis erranti Demetrio, quomodo vitium corrigeret: quod emendationis indicium I϶϶ medimnis remunerauit. Quid? quod etiam hoc ſeculo Tiberius Claudius Caeſar non veritus eſt in cenſum grammaticorum venire, qui tres nouas commentus eſt literas, ac numero veterum, quaſi maxime neceſſarias, addidit; earundemque rationem edidit ſingulari volumine. t) Quod ſupra paulo fuſius a nobis expoſitum fuiſſe reperies. Sane Romanos magni aeſtimaſſe grammaticae ſtudia, ex eo facile patet, quod ſcri-

r) In Θεριῶ. s) In apophthegmat.

t) SVETONIVS eius vita c. 41. QVINTIL. inſtit. orat. l. I. TACITVS annal. l. II. vbi et LIPSIVS conſulendus eſt.

ſcribit TRANQVILLVS: *v) magis ac magis et gratia, et cura artis increuit: vt ne clariſſimi quidem viri abſtinuerint, quo minus et ipſi aliquid de ea ſcriberent: vtque temporibus quibuſdam ſuper viginti celebres ſcholae fuiſſe in vrbe tradantur: pretia grammaticorum tanta, mercedesque tam magnae: vt conſtet, Lutatium Daphnidem - ducentis millibus nummum Quinto Catulo emtum, ac breui manumiſſum* et quae ſequuntur. Neque minoribus beneficiis hoc ſeculo gaudebant grammatici, cum reliquis bonarum artium profeſſoribus, quos diui imperatores Veſpaſianus et Hadrianus ab omnibus ciuium oneribus immunes eſſe voluerunt. Haec ſatis patent Arcadii Chariſii verbis: *x) magiſtris, qui ciuilium munerum vocationem habent, id eſt, grammaticis et oratoribus, et medicis, et philoſophis, ne hoſpitem reciperent, a principibus fuiſſe immunitatem indultam, et D. Veſpaſianus, et D. Hadrianus reſcripſerunt. y)* Neque minora illis decreta fuiſſe ſtipendia, quam medicis, vero valde mihi videtur ſimile. LIPSIVS *z)* autem ex Plinio Medicis quingena HS. mercedem annuam fuiſſe docet: quae fuerint duodecim millia et quingenti philippaei. Non ſecus atque conſiliarios ſuos Imperatores profecto non ſine magno pretio ſecum habuere grammaticos. Ita de Tiberio relatum legimus †) conuictores plurimos habuiſſe Graeculos, quibus vel maxime acquieuerit; et con-

v) De illuſtribus grammaticis cap. 3.

x) L. vlt. D. de muner. et honor.

y) Confer §. *Item Romae* inſtit. de excuſationibus tutorum et curatorum.

z) De magnitudine Romana lib. 4. cap. 10.

†) Apud. SVETONIVM Tiber. cap. 56.

conſueuiſſe ex lectione quotidiana ſuper coenam quaeſtiones proponere. Cum vero Seleucum Grammaticum comperiſſet a miniſtris ſuis perquirere, quos quoque tempore auctores tractaret, atque ita praeparatum venire: primum a contubernio eum remouit, deinde etiam ad mortem compulit. Et is procul dubio fuit Seleucus Alexandrinus cognomento Homericus, qui vt SVIDAS habet, Romae ſophiſtam egit. Zenonem imperator quoque exquiſitius ſermocinantem, cum interrogaſſet, quaenam illa tam moleſta dialectos eſſet; et ille reſpondiſſet, Doridem: relegauit Cynariam, exiſtimans exprobratum ſibi veterem ſeceſſum, quod Dorice Rhodii loquantur.

§. IV.

Ipſa vero dignitas diſciplinae grauis. Et neſcio, cum pomoeria grammaticae tam latae ſint: annon facilior, ex vſu rerum maximarum, abuſus prouenerit, factumque ſit ingeniorum laſciuia, vt ſuperuacuo labore ad triſtes ineptias nugasque aniles deſcenderint. Obtinuit magis magisque, loco ſolicitae diligentiae, anxietas curioſa et inanis iactantia: vt, linguae vix habita ratione politioris, chara iuuentutis ingenia, elegantiori apta ſtudio, inutilibus difficillimisque ineptiis penitus obruere conſueuerint, et obſcurarint intemperantia grammaticam. Grammatici tandem in nugatores et *ὀνομαλοθήρας* degenerarunt: vnde notiſſimus AVSONII verſus:

Γραμματικῶν πλοκάς, καὶ λογοδαιδαλίην.

Apud Photium bibliotheca, in excerptis ex Helladii chreſtomathia, indicem inutilium et ineptiſſimarum quaeſtionum legimus: ab quibus humaniores quique merito abhorrent: cum inter praecipuas grammatici virtutes: QVINTILIANVS recte cenſeat, *aliqua neſcire.*

Hoc

Hoc inprimis genus fertile ſemper fuit foecundis in nugas ingeniis, quae vt plurimum de rebus incognitis et incompertis egregie mentiri conſueuerunt. De Didymo SENECA: *a*) *quatuor millia librorum Didymus grammaticus ſcripſit; miſer, ſi tam multa ſuperuacua legiſſet. In his libris de patria Homeri quaeritur, in his de Aeneae matre vera, in his libidinoſior Anacreon, an ebrioſior vixerit, in his an Sappho publica fuerit, et alia, quae erant dediſcenda, ſi ſcires.* Nec minus ridiculae et inanis diligentiae C. Meliſſus grammaticus fuit, de quo TRANQVILLVS: *ſexageſimum aetatis annum agens, libellos ineptiarum, qui nunc iocorum inſcribuntur, componere inſtituit, abſoluitque centum et quinquaginta, quibus et alios diuerſos poſtea addidit.* Hunc deprehendes hoc ſeculo plerorumque grammaticorum communem fuiſſe morbum, vt maximi viderentur eſſe critici, quod ipſi quidem negligentius ſuam tractarint linguam et in rebus minutiſſimis haeſerint ſemidocti, et impetu aliquando inſano antiquioris ſeculi doctiſſimos ſiue hiſtoricos, ſiue poetas, ſiue oratores, ſiue alia doctrina excellentiſſimos quoſque viros, qui ſatis eleganter et proprie locuti ſunt, caſtigare, et vitii alicuius arguere ex ingenio ſuo inſtituerint. Paſſim obſeruaueris, ſuperioris ſeculi ſcriptores elegantiſſimos aſſidue accuſari. Virgilium, cuius incomparabile exemplum pauciſſimi ſatis potuerunt aſſequi; calumniis omnibus expoſitum fuiſſe nouimus. Criminum tota Seruii, Gellii, Macrobii, ſaniorum grammaticorum monumenta plena ſunt. SERVIVS ad illa Virgilii: *b*)

Vt bello egregias idem diſiecerit vrbes,
Troiamque Oechaliamque — —

 Sane

a) Epiſt. 88. *b*) Aeneid. 8.

Digitized by Google

Sane critici, ſcribit, *fruſtra culpant Virgilium, quod, praeſentibus Troianis, Troiae excidium laudare introduxit, non reſpicientes, quia hoc ratio fecit hymnorum, quibus aliquid ſubtrahere ſacrilegium.* Ad illa: *c*)

— — — *Trahit ſua quemque voluptas:*

Notabatur a criticis, quod hanc ſententiam dederit ruſtico, ſupra bucolici carminis legem. SENECA *d*) Ouidium reprehendit, quod in deſcriptione diluuii ingenii et materiae impetum ad pueriles ineptias reduxit, dum ſcribit:

Nat lupus inter oues, fuluos vehit vnda leones.

Non eſt, inquit, *res ſatis ſobria, laſciuire deuorato orbe terrarum. Dixit ingentia, et tantae confuſionis imaginem cepit, cum dixit:*

Exſpatiata ruunt per apertos flumina campos.

Magnifice hoc, ſi non curauit, quid oues et lupi faciant. Natari autem in diluuio et in illa rapina poteſt? vt non eodem impetu pecus omne, quo raptum erat, merſum eſt? Apud AMMIANVM *e*) Chalcenterus ſex libris *nonnunquam imperfecte Tullium reprehendit, ſillographos imitatus, ſcriptores maledicos, iudicia doctarum aurium incuſat.* SVIDA teſte, aduerſus Didymum Suetonius librum περὶ τῆς Κικέρωνος πολιτείας ſcripſit. GELLIVS *f*) meminit libri, titulo Ciceromaſtigis, quem Largus Licinius ſcripſerit. Et Claudius Caeſar, teſte SVETONIO, defenſionem Ciceronis ſatis eruditam, aduerſus Aſinii Galli libros, compoſuit.

§. V.

c) Eclog. 2. *d*) Naturalium quaeſtionum lib. 3.
e) Lib. 22. *f*) Noct. Attic. l. 17. c. 1.

§. V.

Sed mittimus haec, atque illos notamus, qui decreſcente hac Latinae linguae aetate, inter grammaticos clariores ſunt habiti. C. IVLIVS HYGINVS, Auguſti libertus, *g*) teſte SVETONIO, *h*) natione Hiſpanus fuit, quamuis eſſent, qui eum Alexandrinum fuiſſe velint, captaque Alexandria puerum a Caeſare aduectum Romam. Ab ineunte aetate optimis literis imbutus, ſingulari ſtudio et ambitione, Grammaticum Graecum, Cornelium Alexandrum imitatus eſt: quem propter incomparabilem antiquitatis notitiam, eo tempore multi vel polyhiſtorem, vel ipſam hiſtoriam vocare ſolebant. Literarum amantiſſimum et optimae indolis puerum, ſua magis et magis inclareſcentem virtute C. Caeſar Octauianus Auguſtus manumittit, atque libertum ſibi commendatiſſimum habet. Coepit ergo mature Grammaticus, pro induſtria et elegantioris diſciplinae cupiditate, ſtudioſam formare iuuentutem. Cum laudatiſſimus Caeſar, anno V. C. DCCXXVI. in ipſo Palatio exſtruxerit bibliothecam, quae ab eo loco *Palatina* vocabatur, illi praefecit tandem fortaſſis ſub principatus finem

 liber-

g) Ne quis miretur, quid ſit, quod, cum Hyginus Auguſti, non C. Caeſaris, praedicetur fuiſſe libertus, a patrono, vt vulgo ſoleant, non *Octauius*, ſed C. *Iulius* nominetur; in animum facile ſibi reuocare poterit, quod Octauius ille, tandem Auguſtus patrum indulgentia dictus, ea lege a Caio Iulio Caeſare ſit ex parte dimidia inſtitutus teſtamento heres, vt nomen eius ferret. Vnde non ſolum lex agraria et ſumtuaria et aliae quas C. Iul. Caeſar tulit, verum etiam leges Auguſti de adulterio et pudicitia, de maritandis ordinibus, ſumtuaria, lex ambitus et plures aliae dictae ſunt *Iuliae*.

h) De illuſtribus Grammaticis cap. 20. Confer. EVSEBIVS ad ann. MM VIII.

libertum ſuum Hyginum. *i*) Nihilo tamen ſecius, cum eſſet tanto imperatori a bibliotheca, multos docere perrexit. Etiam tum Ouidio, incomparabili poeta, et pluribus aliis eruditiſſimis viris valde familiariter vſus eſt. Suo nos vero etiam docuit exemplo, quod vt plurimum fida ſoleat eſſe bonae mentis ſoror paupertas. Procul dubio victum Auguſtus, quoad vixit, liberto et bibliothecario ſuo dedit liberaliter. Sed poſt fata Auguſti, patroni ſui, principatum obtinente Tiberio, omnibus prope deſtitutus vitae praeſidiis eam calamitatem expertus eſt, quam literatiſſimi quique homines communem habent. Nam, vt SVETONIVS *k*) habet, Caius Licinius, conſularis hiſtoricus, quem inter amicos et fautores per vitam coluit, eum admodum pauperem deceſſiſſe tradit, et liberalitate ſua, quoad vixit ſuſtentatum. Obſtupeſcit G. I. VOSSIVS, *l*) et *quis iſte*, inquit, *C. Licinius, conſularis hiſtoricus, qui, vt hic dicitur, Auguſti libertum ſuſtentauit? Equidem legendum puto C. Aſinius, qui cum Cn. Domitio Caluino conſul fuit anno* IↃCCXXIII. *m*) *ac hiſtoriam condidit belli ciuilis, vt ſuo loco oſtendimus.* Ego vero nihil muto, et omnium minime Hyginum ad C. Aſinii Pollionis et C. Domitii Caluini tempora, qui IↃCCXIII. Auguſti principatus anno quarto conſules fuerunt, eſſe referendum puto. Vnum Voſſii argumentum eſt, quod Aſinius ille vir conſularis hiſtoriam condiderit belli ciuilis. Quaſi vero et alii, vt ut

i) Confer. comment. noſtrae de virili aetate Latinae linguae part. I. cap. I. §. 38. p. 73.

k) De illuſtr. Grammaticis cap. 20.

l) De hiſtoricis Latinis lib. I. cap. 20. pag. 103.

m) Mendum typographicum eſt apertum, et IↃCCXIII. ſcribendum.

ut nobis monumentorum nihil innotuerit, ex conſularibus viris potuerint aliquid prodidiſſe memoriae. Vel quomodo criticus noſter, cetero doctiſſimus et longe omnium accuratiſſimus, ierit inficias, contra Suetonii teſtimonium, C. Licinium et conſulem, et hiſtoricum fuiſſe. Fuit autem, niſi me omnia fallunt, C. Licinius Caecina Largus ille Hygini fautor atque patronus, qui anno ab V. C. Iↄccxciv. ſecundo Claudii Caeſaris anno, cum ipſo imperatore ſecundum conſule habuit faſces. Vnde diſcimus, Grammaticum noſtrum extremis Augusti temporibus clarum, ſub Tiberio, fortaſſis et Caligula pauperem C. Licinii illuſtris viri liberalitate ſuſtentatum, quoad vitam cum morte miſeram commutauerit. Quod breui poſt dicto Claudii anno ſecundo factus Conſul ipſe, vt multa alia, teſte Suetonio, memoriae prodidit. Forſan et Licinius ille Hygini diſcipulus fuit, mox inopis ex diſcipulo beneficus fautor: vt ſuis eum ſuſtentarit copiis. Ipſius Hygini, vtut pauperis, libertus traditur ab eodem Suetonio fuiſſe Iulius Modeſtus, qui patroni legerit veſtigia in ſtudiis atque doctrina. Nec minus quam ipſe patronus celebris, adeo quidem vt MARTIALIS *n*) eum inter principes Grammaticos nominarit, Sexto ſcribendi genus obſcurum exprobrans:

Scribere te, quae vix intelligat ipſe Modeſtus,
Et vix Claranus, quid, rogo, Sexte, iuuat?

Scripſit hic Iulius modeſtus quaeſtiones confuſarum hiſtoriarum, quarum A. GELLIVS meminit, *o*) atque de feriis librum MACROBIO *p*) citatum.

§. VI.

n) Lib. 10. epigr. 21. *o*) Noct. Attic. l. 3. cap. 9.
p) Saturnal. lib. 1. cap. 4.

Digitized by Google

§. VI.

Scripta Hygini, quae veteribus memorantur, et ſimul periere omnia, ſunt (1) *de ſitu vrbium Italicarum.* q) (2) *de agricultura.* r) (3) *de arte militari.* s) (4) *de Diis.* t) (5) *de viris illuſtribus.* v) (6) *exempla.* x) (7) *in Virgilium commentarii.* y) (8) *Cinnae propempticon.* z) (9) *de familiis Troianis.* a)

§. VII.

Sub Hygini nomine exſtant hodie tantum CC LXXVII. *fabularum liber* vnus, et *poeticon aſtronomicon* libri quatuor, veterum Grammaticorum nemini, vt ſcripta illa ſuperius commemorata, laudati. *Poeticon aſtronomicon*, de quo ipſe etiam IACOBVS MICYLLVS b) dubitat, annon vno potius perpetuo libro primitus conſignatum fuerit, poſt prooemium, ad M. Fabium, illum fortaſſis non Quintilianum, primo libro mundum et ſphaeram, et vtriuſque partes declarat; ſeçundo ſignorum coeleſtium hiſtorias exponit; tertio formas coeleſtes deſcribit; quarto de quinque circulorum inter cor-

q) Apud SERVIVM Aen. l. 3. et 7. MACROBIVM Saturnal. l. 1. c. 7. et l. 5. c. 18.

r) Apud CHARISIVM Grammat. l. 1.

s) Apud IOH. SARISBER. policratici l. 6. c. 19.

t) Apud MACROBIVM Saturn. l. 3. c. 4. et 8.

v) Apud A. GELLIVM noct. Attic. l. 1. c. 14. l. 7. c. 1. et IOH. SARISBERIENSEM policratici l. 5. c. 7.

x) Apud A. GELLIVM noct. Attic. l. 10. c. 18.

y) Apud SERVIVM et A. GELLIVM noct. Attic. l. 6. c. 6. l. 10. c. 16. l. 1. c. 21. l. 5. c. 8. l. 16. c. 6.

z) Apud CHARISIVM grammat. l. 1.

a) Apud SERVIVM ad l. 5. Aeneid.

b) Nuncupatoria epiſtola ad Othonem Truchſes a Walburg, Spirenſis eccleſiae Canonicum, Hygini fabulis praemiſſa.

Digitized by Google

corpora coeleſtia notatione et planetis agit. Capite extremo de Marte agit. Reliqua deſunt. In his libris quid praeſtiterit, ipſe docet, ad M. Fabium proemio: *Sphaerae figurationem, circulorumque, qui in ea ſunt, notationem; et quae ratio fuerit, vt non aequis partibus diuiderentur. Praeterea terrae marisque diffinitionem, et quae partes eius non habitantur, vt multis iuſtisque de cauſſis hominibus carere videantur, ordine expoſuimus. Rurſusque redeuntes ad ſphaeram XLII. ſigna nominatim pernumerauimus. Exinde vniuscuiusque ſigni hiſtorias, cauſſamque ad ſidera perlationis oſtendimus. Eodem loco nobis vtile viſum eſt perſequi eorum corporum deformationes, et in his numerum ſtellarum. Nec praetermiſimus oſtendere ad ſeptem circulorum notationem, quae corpora aut partes corporum peruenirent, et quemadmodum ab his diuiderentur. Diximus etiam in aeſtiui circuli diffinitione, quaerentes, quare non idem hyemalis vocaretur: et quid eos feſellerit, qui ita ſenſerint. Et quid in ea parte ſphaerae ſolis efficiat curſus. Praeterea quare circulos in octo partes diuideremus, ordine expoſuimus. Scripſimus etiam, quo loco circulus aequinoctialis foret conſtitutus, et quid efficeret ad eum perveniens ſol. In eiuſdem circuli demonſtratione oſtendimus, quare aries inter ſidera celerrimus diceretur. Pauca praeterea de hyemali circulo diximus. Exinde Zodiacum circulum diffiniuimus, et eius effectus: et quare potius XII. ſigna quam XI. numerentur: quid etiam nobis de reliquis circulis videretur.* Reliqua. De libro iſto SALMASIVS *c*) totum iudicat ex Nigidii ſphaera Graecanica compilatum fuiſſe. Nam

c) De annis climactericis. pag. 594.

Nam poeticon, inquit aſtronomicon non eſt aliud reuera, quam ſphaera Graecanica. Omnes quippe hiſtorias ſiderum h. e. beſtiarum, hominum, et rerum ad aſtra perlatarum, ex Graecorum poetarum fabulis depromſit.

§. VIII.

Repertus tandem etiam eſt, atque a Iacobo Micyllo editus fabularum liber: qui vtut nihilo melior aſtronomico poetico, et ſubruſtico incultoque conſcriptus ſit ſtilo: mythicam hiſtoriam tamen mirum quantum iuuare poteſt. Poſt genealogias breues mythicas, *d*) nonnihil ab Heſiodi theogonia et Apollodoro diſſidentes, exponuntur 1. Themiſto. 2. Ino. 3. Phryxus. 4. Ino alia Euripidis. 5. Athamas. 6. Cadmus. 7. Antiope. 8. Eadem Euripidis. 9. Niobe. 10. Chloris. 11. Niobidae. 12. Pelias. 13. Iuno. 14. Argonautae. 15. Lemniades. 16. Cyzicus. 17. Amycus. 18. Lycus. 19. Phineus. 20. Stymphalides. 21. Phryxi filii. 22. Aeeta. 23. Abſyrtus. 24. Iaſon. 25. Medea. 26. Medea exul. 27. Medus. 28. Othus et Ephialtes. 29. Alcumena, 30. Herculis Athla. 31. Parerga eiuſdem. 32. Megara. 33. Centauri. 34. Neſſus. 35. Iole. 36. Deianira. 37. Aethra. 38. Theſei labores. 39. Daedalus. 40. Paſiphae. 41. Minos. 42. Theſeus apud Minotaurum. 43. Ariadne. 44. Cocalus. 45. Philomela. 46. Erichtheus. 47. Hippolytus. 48. Reges Athenienſes. 49. Aeſculapius. 50. Admetus. 51. Alceſtis. 52. Aegina, Mirmydones. 53. Aſteriae. 54. Thetis. 55. Titius. 56. Buſiris. 57. Stheneboea, Bellerophon. 58.

d) Genealogiarum titulum libro praefixum in MS. Friſingenſi Iacobus Micyllus reperit. Et auctor ipſe teſtatur Poet. Aſtron. lib. 2. cap. 12. de Perſeo, ſe genealogias ſcripſiſſe, earundemque primum librum citat. Vnde excerpta illa videntur eſſe deſumta.

58. Smyrna. 59. Phyllis. 60. Siſyphus et Salmoneus. 61. Salmoneus. 62. Ixion. 63. Danae. 64. Andromeda. 65. Alcyone. 66. Laius. 67. Oedipus. 68. Polynices. 69. Adraſtus. 70. Reges ſeptem Thebas profecti. 71. Epigoni. 72. Antigona. 73. Amphiaraus, Eriphyle, et Alcmaeon. 74. Hypſipyle. 75. Tireſias. 76. Reges Thebani. 77. Leda. 78. Tyndareus. 79. Helena. 80. Caſtor. 81. Helenae proci. 82. Tantalus. 83. Pelops. 84. Oenomaus. 85. Chryſippus. 86. Pelopidae. 87. Aegiſthus. 88. Atreus. 89 Laomedon. 90. Priami filii. 91. Paris. 92. Iudicium Paridis. 93. Caſſandra. 94. Anchiſes. 95. Vlyſſes. 96. Achilles. 97. Qui ad Troiam et quot nauibus ierunt. 98. Iphigenia. 99. Auge. 100. Teuthras. 101. Telephus. 102. Philoctetes. 103. Proteſilaus. 104. Laodamia. 105. Palamedes. 106. Hector. 107. Armorum iudicium. 108. Equus Troianus. 109. Ilione. 110. Polyxena. 111. Hecuba. 112. Prouocantes. 113. Quem quis occidit. 114. Graeci quot occiderunt. 115. Troiani quot occiderunt. 116. Nauplius. 117. Clytaemneſtra. 118. Proteus. 119. Oreſtes. 120. Iphigenia Taurica. 121. Chryſes. 122. Aletes. 123. Neoptolemus. 124. Reges Achiuorum. 125. Odyſſea. 126. Vlyſſis agnitio. 127. Telegonus. 128. Augures. 129. Oeneus. 130. Icarus, Erigone, et Canis. 131. Nyſus. 132. Lycurgus. 133. Hammon. 134. Tyrrheni. 135. Laocoon. 136. Polyidus. 137. Merope. 138. Philyra. 139. Curetes. 140. Python. 141. Sirenes. 142. Pandora. 143. Phoroneus. 144. Prometheus. 145. Niobe, ſiue Io. 146. Proſerpina. 147. Currus Triptolemi. 148. Vulcanus, Harmonia. 149. Epaphus. 150. Titanomachia. 151. Ex Typhone et Echidna geniti. 152. Typhon. 153. Deucalion et Pyrrha. 154. Phaeton Heſiodi. 155. Iouis filii. 156. Solis filii. 157. Neptuni filii. 158. Vulcani filii. 159. Martis filii. 160.

Digitized by Google

160. Mercurii filii. 161. Apollinis filii. 162. Herculis filii. 163. Amazones. 164. Athenae. 165. Marſyas. 166. Erichthonius. 167. Liber. 168. Danaus. 169. Amymone. 170. Filiae Danai, quae quos occiderit. 171. Althea. 172. Oeneus. 173. Qui ad aprum Calydonium ierunt. 174. Meleager. 175. Agrius. 176. Lycaon. 177. Calliſto. 178. Europa. 179. Semele. 180. Actaeon. 181. Diana et canum nomina. 182. Oceani filiae. 183. Equorum ſolis et Horarum nomina. 184. Pentheus et Agaue. 185. Atalanta. 186. Melampe. 187. Alope. 188. Theophane. 189. Procris. 190. Theonae. 191. Rex Midas. 192. Hydon, Hyas, alii. 193. Harpalycus. 194. Arion. 195. Orion. 196. Pan. 197. Venus. 198. Niſus. 199. Scylla altera. 200. Chione. 201. Autolycus. 202. Coronis. 203. Daphne. 204. Nyctimene. 205. Arge. 206. Harpalyce. 207. Macareus. 208. Rhodos. 209. Cyrene. 210. Hecatea. 211. Herſe. 212. Endymion. 213. Atys. 214. Narciſſus. 215. Hermaphroditus. 216. Eurydice. 217. Maleas. 218. Hyacinthus. 219. Archelaus. 220. Cura. 221. Septem ſapientes. 222. Septem Lyrici. 223. Septem opera mirabilia. 224. Qui facti ſunt ex mortalibus immortales. 225. Qui primi templa Deorum conſtituerint. 226. Quae mortales cum Ioue concubuerint. 227. Quae cum Apolline. 228. Quae cum Neptuno. 229. Quae cum Mercurio. 230. Quae cum Libero. 231. Quae cum Marte. 232. Quae cum Aquilone. 233. Quae immortales cum immortalibus concubuerint. 234. Qui patres ſuos occiderunt. 235. Qui matres ſuas occiderunt. 236. Qui fratres ſuos occiderunt. 237. Patres qui filios ſuos occiderunt. 238. Qui filias ſuas occiderunt. 239. Matres, quae filios interfecerunt. 240. Quae coniuges ſuas occiderunt. 241. Qui coniuges ſuas occiderunt. 242. Qui ſe ipſi interfecerunt. 243. Quae ſe ipſae interfecerunt.

244.

244. Qui cognatos ſuos occiderunt. 245. Qui ſoceros et generos occiderunt. 246. Qui filios in epulis conſumſerunt. 247. Qui a canibus conſumti ſunt. 248. Qui ab apro percuſſi interierunt. 249. Faces ſceleratae. 250. Quadrigae, quae rectores ſuos perdiderunt. 251. Qui ab inferis redierunt. 252. Qui lacte ferino nutriti ſunt. 253. Quae contra fas concubuerunt. 254. Quae piae fuerunt, vel qui pii. 255. Quae impiae fuerunt. 256. Quae caſtiſſimae fuerunt. 257. Qui inter ſe amici et coniunctiſſimi fuerunt. 258. Atreus et Thyeſtes. 259. Lynceus. 260. Eryx. 261. Agamemnon, qui Dianae ceruam ignarus occidit. 262. Noctua. 263. Ceres. 264. Qui fulmine icti ſunt. 265. Qui a Neptuno perierunt, vel a Mercurio, vel a Minerua. 266. Qui ab Apolline perierunt. 267. Quae bellicoſiſſimae fuerunt. 268. Qui fortiſſimi heroes fuerunt. 269. Qui ampliſſimi fuerunt. 270. Qui formoſiſſimi fuerunt. 271. Qui ephebi formoſiſſimi fuerunt. 272. Iudicia parricidarum, qui in Areopago cauſſam dixerunt. 273. Qui primi ludos fecerunt vſque ad Aeneam quintum decimum. 274. Qui quid inuenerit. 275. Oppida qui quae condiderunt. 276. Inſulae maximae. 277. Rerum inuentores primi.

§. IX.

Hygini procul dubio plures fuerunt. Nam et Hygine cuiusdam *Gromatica*, ſiue de limitibus conſtituendis commentaria habemus: *e*) qui temporibus Traiani vixit, nec potuit is eſſe, quem hactenus, iam tum Octauiani Caeſaris Auguſti principatu extremo inclu-

 tum

e) Liber iſte Gromaticôn etiam de rebus caſtrenſibus inſcribitur, et de caſtrametatione.

tum, laudauimus fuiſſe Grammaticum. *f*) Iſtius namque aetatem facile produnt haec in gromaticis verba: *nuper ecce quidam euocatus Auguſti, vir militaris diſciplinae, profeſſionis quoque noſtrae capaciſſimus, cum in Pannonia agros veteranis ex voluntate et liberalitate Imperatoris Traiani Auguſti aſſignaret: in aere, i. e. formis, non tantum modum, quem aſſignabat, adſcripſit.* Hunc librum primus edidit Adrianus Turnebus *Pariſiis* 1554. 4. Poſtmodum Nicolaus Rigaltius illum notis illuſtrauit. Et Petrus Scriuerius Vegetio ſuo adiunxit *Lugduni Batau.* 1607.

§. X.

Neque adeo certe conſtat, Hyginum illum, cuius fabulas atque poetica aſtronomica habemus, C. Iulium eſſe Auguſti libertum, atque bibliothecae Palatinae praefectum. In neutro quidem libro, ſi prima exempla MSta reſpicere velis, C. Iulii praenomen occurrit, ſed Hygini ſolummodo indicatur nomen. Vnde SCHEFERVS colligit, ea monumenta alterius et iunioris Hygini eſſe, qui aetate circiter Antoninorum ſcripſerit. Nec ipſe IAC. MICYLLVS *g*) confidenter eundem fuiſſe affirmabat. *Quanquam*, inquit, *non auſim affirmare, omnino eum Hyginum hunc eſſe, cuius A. Gellius noctium Atticarum libro primo, capite viceſimo primo mentionem facit, quem ipſe quidem commentaria in Vergilium edidiſſe tradit: Volateranus autem, etiam cum eo qui temporibus Quintiliani vixit, librosque de re aſtronomica quatuor illos (ſiue is vnus potius perpetuus dicendus eſt)*

f) RAPHAEL VOLATERANVS commentariorum lib. 16. tamen vtrumque confundit: et eum fuiſſe ait, qui temporibus Quintiliani de re aſtronomica libros edidit.

g) Nuncupatoria epiſtola fabulis praemiſſa.

eſt) *quos eodem hoc volumine, et ipſos longe quam antea emendatiores, cum reliquis eiuſdem generis ſcriptoribus coniunximus: itemque alium Gromaticôn, h. e. de rebus caſtrenſibus inſcriptum reliquit, eundem eſſe arbitratur: propterea quod et Plinius Hyginum quendam crebro citat: et fieri frequenter ſolet, vt eodem nomine plures appellentur: multa tamen veri ſimilia concurrunt, quae me ad dubitandum impellunt. Nam et ipſum opus eiusmodi eſt, vt hominem grammaticum, et Graecorum imitantem facile agnoſcas: et quod ad dictionem attinet, videas illum cum ceteris Hygini ſcriptis omnino ſimilem ac parem eſſe; interdum etiam ipſas loquendi formas velut inde repetitas prae ſe ferre.* Adeo quidem ille etiam dubitat, fabularum auctorem eundem eſſe, qui aſtronomica poetica compoſuit. Veteris autem grammatici, cuius hodie ne γρῦ quidem ſupereſſe videtur, indicium extare prorſus nullum poteſt. Ad poeticon aſtronomicon quod attinet, SALMASIVS *h*) ait, Hyginum praecipue totam Graecanicam Nigidii ſphaeram tranſcripſiſſe. SCALIGER autem *i*) ex Eratoſthene et antiquioribus concinnatum fuiſſe notat. Et eruditiſſimus Oxonienſis Epiſcopus, Eratoſthenis cataſteriſmos fere integros huc translatos, ſua praefatione oſtendit. Fabulas SCALIGER *k*) quoque contendit ex Graecis fuiſſe conuerſas. Ex Graecis auctoribus certe, quiſquis compilauerit, pleraque hauſit. Eandemque ſententiam MVNKERVS, qui fabulas edidit, quouis modo tuetur, et *credamus*, inquit, *bonam partem harum fabularum ex Hygino eſſe deſumtam, negari tamen non poteſt, cum non pauca illis eſſe aliun-*

h) De annis climactericis pag. 594.

i) Ad Manil. lib. 1. p. 34. *k*) Ad Euſeb. p. 10.

aliunde adſuta, tum nonnulla ab homine Graece non valde docto in Latinum ſermonem verſa. BARTHIVS Hygini epitomen nos tantum habere putabat, confectam a neſcio quo Auiano, vel Ammiano, cuius nomen in codice MSto quodam reperit. *Hygini nomine*, inquit, *l*) *praeſtantem librum ego rhapſodiam ex omnibus hinc inde mythologorum libris concinnatam eſſe arbitror. Nam apud Fulgentium integrae periodi ſunt, quae hic extant: niſi tamen arrogans ille et inuenuſtus, addo etiam ſemibarbarus et ſeſquiſoloecus ſcriptor Hyginum potius exſcripſit.* Idem G. I. VOSSIO *m*) videtur: quamuis ſui immemor alibi *n*) cum aſtronomicon poeticon, tum fabularem librum Hygino diſerte adſcribat, eaque monumenta ex omnibus hodie ſolum extare affirmet. REINESIVS *o*) centonem ex variis auctoribus conſtipatum eſſe putat. Et THOM. MVNKERVS *p*) a terrigena quodam Auiano, tempore propemodum rei Romanae iam emorientis, vndique ex Seruio, ſcholiaſte Germanici, aliisque veteribus ſcholiaſtis atque mythologis fuiſſe confarcinatum, ſuſpicatur. Eo reſpicit quoque OLAVS BORRICHIVS: *q*) *et quidem ſatis conſtat, C. Iul. Hyginum ſcriptorem fuiſſe Octau. Auguſti aeuo; ſed an poeticon illud aſtronomicum et fabulae, quae nomine eius circumferuntur, antiqui illius Hygini ſint, an recentioris, iuſte dubitatur. Certe dictio eius humilis eſt, tenuis, et fere plebeia, nec ſatis*

l) Aduerſ. lib. 10. cap. 12.

m) De vitio ſermonis Latini lib. 3. cap. 12. de ſcientiis mathematicis c. 34 §. 8.

n) De Hiſtoricis Latinis lib. 1. cap. 20.

o) Var. lect. lib. 3. cap. 2. pag. 373. et cap. 8. pag. 480.

p) Diſſert. de auctore mythol. Hyginianae, cui etiam Petri Scriuerii de Hyginis commentatiunculam inſeruit.

q) Conſpect. auctorum Lat. linguae p. 18.

Digitized by Google

ſatis hinc inde a barbariſmis libera, quem ideo Schefferus, recens editor, in aeuum Antoninorum reiicit, et Th. Munckerus Prudentio facit poſteriorem.

§. XI.

Stilum facile apparet in illis, quae Hygino adſcripta hodie leguntur, monumentis, non humilem modo, ſed plebeium, incomtum ſubinde et vix Latinum eſſe. Ita v. gr. prooemium, quod M. Fabio ſcripſit, *etſi ſtudio*, incipit, *grammaticae artis inductum, non ſolum verſuum moderatione, quam pauci peruiderunt, ſed hiſtoriarum quoque varietate, qua ſcientia rerum perſpicitur, praeſtare video, facilius etiam ſcriptis tuis perſpici poteſt, deſiderans potius ſcientem, quam liberalem iudicem: tamen quo magis exercitatus, et nonnullis etiam ſaepius in his rebus occupatus eſſe videar, et ne nihil in adoleſcentia laboraſſe dicerer, et imperitorum iudicio deſidiae ſubirem crimen, hoc velut rudimento ſcientiae niſus, ſcripſi ad te: non vt imperito monſtrans, ſed vt ſcientiſſimum commonens.* Siccine ex vngue leonem? Stili maieſtatem affectat, ſed impar ſublimitati, mirifice halucinatur, in meteoris haeret, ſibimet ipſi non conſtat, mox humi repit, et vix cohaerentia proponit. Hic certe nulla orationis forma. Taſin minatur, et fluctuans cum terminos reperire non potuerit, miſere hiantia membra ſibimet ipſis contrariantur. Nec ipſe hoc diffidetur de Hygino optime meritus, IACOBVS MICYLLVS, r) *Eſt enim*, inquit, *hic auctor, vt quidem non ita purus atque elegans, adeo vt in quibuſdam parum etiam Latinus videri queat; ita*

r) Nuncupatoria epiſtola Hygini fabulis praemiſſa, ad Othonem a Walburg.

Digitized by Google

ita vetus tamen, et a reliquis Hygini ſcriptis, quae quidem ad nos peruenere, s) non omnino abſimilis aut abhorrens: praecipue autem vtilis iis, qui in humanioribus hiſce ſtudiis multum ac diligenter verſantur. Ex hoc enim non pauca, quae tum apud Ouidium, tum apud alios plerosque poetas minime hactenus, aut certe perperam intellecta ſunt, intelligi et explicari tandem poſſe videntur: multaque hic plana iam atque expedita reperias, quae dudum magnos atque eruditos quoque viros varie ac miſere torſerunt.

§. XII.

Hygini poeticon aſtronomicon primum prodiit *Venetiis* 1482. et rurſus 1485. cura Erhardi Ratholti Germani. 1497. apud Aldum. 1499. fol. apud Aldum, cum Maniliano aſtronomico atque aliis.

§. XIII.

Decimo ſexto poſt Chriſtum natum ſeculo *Coloniae Agripp.* 1535. Hygini prodiit poeticon aſtronomicon, Iohanne Sotere ad codices MStos emendante. Eodem anno fabulae primum repertae cum poetico aſtronomico et aliis fabularum ſcriptoribus *Baſileae* 1535. et rurſum 1549. fol. per Iohannem Heruagium, accurante Iacobo Micyllo, editae ſunt. t) Acceſſerunt autem

s) Poeticon aſtronomicon intelligit, cum fabulas commendare inſtituerit.

t) IAC. MICYLLVS epiſtola nuncupatoria *quantum laboris*, ſcribit, *in emendando ac reſtituendo illo obeundum, atque adeo exantlandum nobis fuerit, vel hinc coniecturam facere licet, quod primum ipſe liber (qui beneficio excellentiſſ. D. Iohannis Weyer Auguſtani, Friſingenſis eccleſiae canonici, ac M. Ioh. Chru-*

tem ſimilis argumenti ſcriptores: Palaephatus de fabuloſis narrationibus; Fulgentii Placiadis, epiſcopi Carthaginienſis mythologicarum libri tres; eiuſdem de vocum antiquarum interpretatione liber vnus; Phurnuti de natura Deorum, ſiue poeticarum fabularum allegoriis, ſpeculatio; Albrici philoſophi de Deorum imaginibus liber; Arati φαινομένων fragmentum, Germanico Caeſare interprete; eiuſdem phaenomena Graece, cum interpretatione Latina; Procli de ſphaera libellus Graece et Latine 1570. liber fabularum ſeparatim eſt editus. *Pariſiis* 1536. Ludouici Viuis opera. 1578. 8. accurante Iacobo Parantio, cum Palaephato, Phornuto, Fulgentio aliisque mythicis ſcriptoribus. *Heidelbergae* 1589. 8. apud Commelinum, cum aliis mythographis. 1599. liber fabularum ſeparatim eſt editus.

Pp 2 §. XIV.

Chrumeri canonici apud diuum Andream Friſingenſem, notarii integerrimi, nec non et Viti Chrumeri, ibidem bonas literas non ſine laude docentis, nobis communicatus eſt, quibus et ſua gratia debetur, quod ſtudia promouere, ſi qua datur occaſio, non negligunt) is inquam liber externis et Longobardicis notis ſcriptus erat, in qua tamen re nonnihil adiuuit nos is, qui prior illum Latine deſcribendum coeperat, cuius nos exemplum principio, ceu filum quoddam, ſecuti ſumus. Deinde quod ipſa verba pleraque inter ſe ita impedita ac perturbata erant, vt alia nobis diuidenda, alia aliis abolenda: quorundam principium cum fine praecedentium, et rurſum praecedentium quorundam finis cum principio ſequentis coniungendus eſſet. Vt omittam, quam multa vetuſtate obliterata, expuncta atque corroſa fuere, quorum alia, aeſtimationem et coniecturas ſecuti reſtituimus: alia vbi certum aliquid, quod ſequi poſſemus, non erat, prorſus intacta reliquimus.

Digitized by Google

§. XIV.

Sequenti ſeculo notandas Hygini editiones habemus, quae prodierunt *Lugduni* 1608. opera Iohannis de Gabiano. *Hamburgi* 1674. 8. accurante Iohanne Scheffero, qui ſuis Hygini vtrumque librum commentariis illuſtrauit, diſſertationem de vero operis auctore, et indices addidit; etiam Thomae Munkeri notas et emendationes adiunxit. *Amſtelodami* 1670. 12. apud Gaasbekios ſeparatim editus eſt fabularum liber cum emendationibus atque notis ex Caſp. Barthii aduerſariorum opere collectis. 1674. 8. cum Schefferi et Munkeri notis. 1681. 8. 2. vol. optima Thomae Munkeri editio, qui accuratiſſime, collatis quinque codicibus MStis, quouis modo textum auctoris emendauit, ſuis annotationibus illuſtrauit, aliosque mythographos addidit. *Lugduni Batau.* 1670. 12. ſeparatim Hygini fabulae cum emendationibus et notis Caſp. Barthii editae.

§. XV.

Caivs melissvs, *v*) Maecenatis libertus, Spoleti quidem ingenuus eſt natus, ſed expoſitus parentum diſcordia, et aliena educatus ac inſtitutus induſtria, quod literis excelleret, pro Grammatico Maecenati datus eſt muneri. Qui, cum multis eum cumularet beneficiis, vt quoſuis ſtuduit ſibi obligare doctos; id egit, vt licet mater Meliſſi liberali eum aſſereret manu, minime graui ſibi ſeruitutis conditione remanſerit. Breui tamen poſt

v) Vid. svetonivs de illuſtr. grammaticis cap. 21. evsebivs chron. hunc quidem Meliſſum Spoletinum, vt interpres loquitur, Grammaticum agnitum refert ad annum ſecundum olymp. CXCIV. Sed iuuentutis ille potuit ſignificare florem, vt qui grandiori aetate libellos inſtituerit componere, poſt Hyginum, aetatis ſequioris ſcriptor, inter grammaticos collocetur.

Digitized by Google

poſt ipſius Maecenatis beneficio manumiſſus, tandem etiam Caeſaris Octauiani Auguſti fauorem meruit, qui bibliothecarum in Octauiae porticu ordinandarum ipſi curam demandauit. Neque ſolum grammaticus, verum et comicus poeta fuit, et nouum genus togatarum reperit, quas *trabeatas* inſcripſit. *x*) OVIDIVS *y*) leuitatem eius notat. Annum agens aetatis ſexageſimum ineptiarum ſiue iocorum libros ſcripſit. Procul dubio is eſt, quem PLINIVS *z*) *Maecenatem Meliſſum a*) vocat, quemque affirmat triennio ſilentium ſibi imperaſſe, a conuulſione reddito ſanguine. Et eius opera fatetur *b*) ſe profeciſſe, dum hiſtoriae naturalis ſeptimum, decimum, atque vndecimum libros conſcriberet. Non enim in externis, ſed domeſticis auctoribus eum poſuit. Diuerſi Meliſſi ſunt alii; rex Creteníium antiquiſſimus, quem LACTANTIVS *c*) primum Diis ſacrificaſſe ſcribit. Philoſophos inter maxime clarus habetur Meliſſus Samius, Parmenidis auditor, qui circa olympiadem LXXXIIII. floruit. *d*) Eſt quoque Meliſſus Euboicus, qui omnium phyſiologorum ſententias diſputauit, citatus a FVLGENTIO *e*) et PALAEPHATO. *f*)

 Alius

x) Confer. G. I. VOSSIVS de poetis Latinis cap. 2. p. 35.

y) Ex Ponto lib. 4. eleg. 16.

Et tua cum ſocco Muſa Meliſſe leuis.

z) Hiſt. natur. l. 28. c. 6. *a*) Mendoſe vulgo *Meſſius* legitur.

b) Hiſt. natur. l. 1. in elencho librorum 7. 10. et 11.

c) De falſa religione lib. 1. cap. 22. vid. etiam HYGINI fab. 181.

d) Vid. DIOGENIS LAERTII lib. 9. Confer. EVSEBIVS chron. an. 3. olymp. 84. vbi Meliſſus phyſicus nominatur.

e) Mythologici lib. 2. c. 17. vbi de cygno et Leda.

f) De incredibilibus praefat. Confer. G. I. VOSSIVS de hiſtoricis Graecis lib. 3. pag. 385.

Alius quoque eſt Aelius, ſiue Helius Meliſſus, qui Auli Gellii aetate Romanos inter grammaticos floruit, aliaque multa et de loquendi proprietate ſcripſit, *matrona eſt, quae ſemel peperit ; quae ſaepius, materfamilias: ſicuti ſus, quae ſemel peperit ; porcetra, quae ſaepius.* Quae verba A. GELLIVS *g*) non ſatis perſibilare poteſt. Citatur Meliſſus etiam a CARISIO de genere nominis clunes, vt taceam alios.

§. XVI.

MARCVS POMPONIVS MARCELLVS ille Tiberio imperante clariſſimus fuit grammaticus et linguae Latinae moleſtiſſimus exactor, qui, quod Caeſar oblatam ſibi recuſans ſtrenam, eademque de re edictum proponens, voce non Latina eſſet vſus, quae mox illi in mentem venit, vt eius linguae ſtudioſiſſimos in conſilium convocaret; Atteius Capito vero in eadem concione affirmaſſet, Latinum illud eſſe, quod Caeſar dixerit, aut certe illius gratia et auctoritate futurum: *inde iam*, exporrecta fronte reſpondit, *mentitur Capito: tu enim, Caeſar ciuitatem dare potes hominibus, verbis non potes. h*) Quae minime fucata grammatici in literas pietas nec ipſi Tiberio diſplicuit. Cum etiam aliquando Marcellus ageret cauſſas: admiſſum ab aduerſario ſoloeciſmum vſque adeo legitur exaggeraſſe: vt Caſſius Seuerus, interpellatis iudicibus, peteret dilationem; quoad reus alium ſibi poſſet adſciſcere grammaticum: quandoquidem illi cum aduerſario non de iure, ſed de ſoloeciſmo controuerſia futura eſſe videatur. Teſte

g) Noct. Attic. lib. 18. cap. 6.
h) SVETONIVS, de illuſtr. grammaticis cap. 22. Confer. DIO CASSIVS lib. 60. Comment. noſtra de virili aetate Latinae linguae part. 1. cap. 1. §. 14.

i) Teſte SVETONIO, hinc illi verſus ſcripti ſunt ab Aſinio Gallo ſequentes, ex quibus eum pugilem olim fuiſſe, iudicare voluerunt:

Qui caput ad laeuam didicit, gloſſemata vobis
Praecipit: os nullum, vel potius pugilis.

§. XVII.

REMMIVS *k*) PALAEMON VICENTINVS, *teſte* EVSEBIO *l*) ſub Claudio Caeſare, circa annum Domini L. inſignis grammaticus Romae fuit. Mulieris verna primo, dum herilem filium in ſcholas comitatur, didicit literas: deinde manu miſſus inter grammaticos principem locum tenuit, et vno omnium applauſu docuit Romae. Hinc apud PLINIVM *m*) *grammatica arte* dicitur *celebris*; doctusque Palaemon apud IVVENALEM, *n*) qui, ab eodem doctrinae nomine incluto magiſtro, grammaticam *περιφραστικῶς Palaemonis artem* appellat. *o*) Et hunc ferunt Auli Perſii, et Quintiliani oratoris praeceptorem fuiſſe. *p*) Pellexit plurimos oris magna facundia, et facilitate ſermonis, diuina item poeſi: quod ex tempore faceret poemata, variisque, nec vulgaribus ſcri-

i) SVETONIVS l. c. Commentatio noſtra de virili aetate Latinae linguae l. c. §. 35.

k) *Remnius* vulgo; ſed *Remmius* eſſe ſcribendum, ex veteri monumento ACHILLES STATIVS docet comment. ad Sueton. de grammaticis cap. 23.

l) Chron. olymp. 206. Cetera videantur apud SVETONIVM de illuſt ibus grammaticis cap. 23.

m) Hiſt. natur. lib. 14. cap. 4. *n*) Satyr. 7. verſ. 215.

o) Satyr. 6. verſ. 451.

p) Ita veteres gloſſae in Perſium et Iuuenalem, in vita Perſii a Pithaeo edita, et in Iuuen. ſatyr. 6.

ſcriberet metris. *q*) Hinc ab diſcipulis quadragena annua accepiſſe dicitur, i. e. mille aureos Francicos, ſi quid Budaei rationibus tribuendum eſſe putamus. Eam huius magiſtri tam frequentem ſcholam tanto mirantur magis: quod ipſe omnibus vitiis famam eruditionis commacularit; adeo quidem, vt Caeſares quoque Tiberius, et mox Claudius, palam fuerint profeſſi, nemini minus iuuenum inſtitutionem committendam eſſe. Luxurioſe vixit ita, vt ſaepius in die lauaretur; nec ſumtus ſufficerent, quos ex ſchola magnos, neque minores multo ex re fecit familiari, cuius dicitur ſtudioſiſſimus fuiſſe: cum et officinas promercalium veſtium haberet, ſuosque ita coleret agros, vt vitis eius manu inſtituta trecenta ſexaginta quinque vaſa ediderit. Omnium vere maxime in mulieres, ad infamiam vſque oris, libidinoſus fuit. Et hoc in eum facete notatur dictum a quodam, cui, quod euitare non poterat, in turba praetereunti applicauerat oſculum: *vis tu, magiſter, quoties feſtinantem aliquem vides alligurire.* Intolerabilem prorſus oportet grammatici illius fuiſſe arrogantiam, qui Marcum Varronem appellauit porcum; qui ſecum et natas et morituras literas iactauit; qui nomen ſuum dixit in bucolicis non temere poſitum, ſed praeſagiente Virgilio, fore quandoque Palaemonem omnium poetarum ac poematum iudicem; qui et ipſos latro-

q) Hinc MARTIALIS lib. 2. epigr. 86.

Scribat carmina circulis Palaemon:
Me raris iuuat auribus placere.

i. e. ſcribat Palaemon Sotadico, Galliambico, aliisque generibus ſua carmina plebeiae vndique recitantem cingenti coronae: ego paucis, ſed doctis, placere malo, et laudari non niſi a laudatis viris.

latrones quondam ſibi propter nominis celebritatem parſiſſe gloriatus eſt. A. FABIO QVINTILIANO r) cum Ariſtarcho componitur, atque in grammaticis citatur ſuae aetatis auctor. EVSEBIVS s) eum notat, aliquando rogatum, quid inter ſtillam et guttam interſit, reſpondiſſe: gutta ſtat, ſtilla cadit. Perperam illi tribuitur vulgo carmen de ponderibus et menſuris: quod alii codices Remo Fauino aſſignant. *Remum* vero iudicat VOSSIVS t) ex Remmio et *Fauinum* ex Fannio eſſe corruptum. Hic ergo de ponderibus et menſuris libellus, hexametro carmine conſcriptus, cum Celſo et Sereno Sammonico ſaepius editus, a quibuſdam illi Renio Fauino, ab aliis Q. Remmio Fannio Palaemoni, a pleriſque Priſciano tribuitur. Recuſus eſt cum Eliae Vineti notis Pariſiis 1565. 8. et Graeuii antiquitatum Romanarum tomo XI. pag. 1693. ſeq. cum notis vero Rob. Conſtantini extat ad calcem Celſi ac Sereni, Lugduni 1566. 8. Leges apud Eliam Putſchium, veterum grammaticorum ſyntagmate, quarto loco, etiam Q. Remnii Fannii Palaemonis Vicentini artem grammaticam, quae fuerat ante excuſa Baſileae 1527. 8. apud Adamum Petrum vna cum aliis quibuſdam grammaticis antiquis. Nec deſunt, qui ab eo nomen papyro Fannianae inditum fuiſſe putant. De generibus chartarum PLINIVS: v) *Hieratica appellabatur antiquitus, religioſis tantum voluminibus dicata, quae ab adulatione Auguſti nomen accepit, ſicut ſecunda Liuiae a coniuge eius. Ita deſcendit hie-*

r) Inſtit. orat. lib. 1. cap. 4.
s) Chron. olymp. 206.
t) De poetis Latinis cap. 3. pag. 43.
v) Hiſt. natur. lib. 13. cap. 12.

hieratica in tertium nomen. Proximum amphitheatricae datum fuerat a conſecturae loco. Excepit hanc Romae Fannii ſagax officina, tenuatamque curioſa interpolatione principalem fecit e plebeia, et nomen ei dedit. Quae non eſſet ita recurata, in ſuo manſit amphitheatrica. etc. *x*) Fannium hunc affirmant eſſe eundem Remmium Palaemonem, quem SVETONIVS *y*) teſtatur officinas promercalium veſtium exercuiſſe: malunt ergo legere: *officinas promercalium chartarum veſtiumque. z*)

§. XVIII.

MARCVS VALERIVS PROBVS, a loco natali, Phoeniciae ciuitate, *Berytius* vocatus, illuſtrium grammaticorum catalogum claudit apud TRANQVILLVM. *a*) Sub Nerone illo immani principe, vixit Romae *b*) poſtquam Martis taedio Muſarum caſtra ſecutus eſt. Cum enim diu meruiſſet ſtipendia, et centuriatum fruſtra petiiſſet: tandem relicta militia, ad bonarum artium ſtudia ſe contulit. Legerat, inquit SVETONIVS *c*) in
» prouincia quoſdam veteres libellos apud grammati-
» ſtam, durante adhuc ibi antiquorum memoria, nec
» dum omnino abolita, ſicut Romae. Hos quum dili-
» gentius repetere, atque alios deinceps cognoſcere cu-
» peret, quamuis ſe contemni, magisque opprobrio le-
» gentibus, quam gloriae et fructui eſſe animaduerteret,
» nihi-

x) Confer. pl. GVILANDINVS in h. l. atque in eum IOS. SCALIGERI animaduerſiones, opuſculorum pag. 48.

y) De illuſtr. grammat. cap. 23.

z) De Remmio Palaemone grammatico Vicentino vide inſcriptionem veterem in orthographia Aldi pag. 779.

a) SVETON. de illuſtr. grammat. cap. 24.

b) Vid. EVSEB. chron. olymp. 209. *Probus Berythius eruditiſſimus grammaticorum Romae agnoſcitur.*

c) L. c.

nihilominus in propoſito manſit: multaque exempla-" ria contracta emendare, ac diſtinguere, et annotare" curauit, ſoli huic, nec vlli praeterea, grammatices" parti deditus. Idem teſtatur, nunquam eum ita do-" cuiſſe, vt perſonam ſuſtineret magiſtri; nec tam diſcipulos, quam ſectatores aliquot habuiſſe: vnum alterumque, aut ſi plurimos, tres quatuorue, horis pomeridianis admittere, et legere quaedam, idque perraro, inter longos ac vulgares ſermones cubantem inſtituiſſe. Magnam eius in emendandis et caſtigandis libris auctoritatem fuiſſe, vel ex MARTIALE *d*) patet, qui vindicem ſibi quaerens libelli, ne raptus cito in culinam piſciculos tegat, vel thuris piperisque fiat cucullus, Fauſtinum legit, cuius patrocinio omnibus fuerit cumulatus ornamentis: *illo vindice*, tandem addit, *nec Probum timeto:* i. e. ab criticis ſeueriſſimi cuiusque caſtigatoris vnguibus eſto tutus et liber: qualem hunc noſtrum fuiſſe Probum, qui emendationibus librorum potiſſimam dederit operam, ſupra ex Suetonio notauimus. A. GELLIVS *e*) Valerium Probum grammaticum illuſtrem vocat, illumque, vt ex quodam eius familiari et docto viro comperit, Salluſtianum illud, *ſatis eloquentiae, ſapientiae parum*, legiſſe tradidit, *ſatis loquentiae, ſapientiae parum:* quod eloquentia cum inſipientia minime conueniret. Idem *f*) ex Valerii Probi, docti hominis et in intelligendis penſitandisque veteribus ſcriptis bene callidi, vt loquitur, diſcipulis audiuit, ſolitum

d) Lib. 3. epigr. 2.

e) Noct. Attic. l. 1. c. 15. et l. 4. c. 7. aetatis ſuae praeſtanti ſcientia grammaticum. MACROBIVS ſaturnal. l. 5. c. 22. virum perfectiſſimum vocat. *f*) Lib. 9. cap. 9.

litum eum dicere, nihil quicquam tam improſpere Virgilium ex Homero vertiſſe, quam verſus, quos de Nauſicaa fecit. Annianus poeta *g*) ex eius inſtitutione *affatim* prima, non media, pronunciauit acuta, et eum Plauti verſus legiſſe meminit:

Potin' es tu homo facinus facere ſtrenuum?
Aliorum eſt affatim qui faciant. Sane ego
Me volo fortem perhiberier virum.

Etiam ille Probus in Aelio Tuberone *occecurrit*, atque in Valerio Antiate *ſpeponderant*, verborum non vulgarem inflexionem notauit. *h*) Ipſe *Hannibalem*, et *Haſdrubalem*, et *Hamilcarem*, GELLIO teſte *i*) ita pronunciauit, vt penultimam circumflecteret; ac Plautum, Ennium, multosque alios veteres eo modo pronuntiaſſe affirmauit.

§. XIX.

Si Tranquillum audimus, nimis pauca et exigua de quibuſdam minutis quaeſtiunculis edidit. Reliquit autem non mediocrem ſyluam obſeruationum ſermonis antiqui. A. GELLIVS *k*) Probi multos admodum commentationum libros acquiſiuit. Meminit eius epiſtolae, quam ad Marcellum ſcripſit, *l*) hodie nuſquam reperiundae. Eſt, inquit alibi, *m*) Probi grammatici commentarius ſatis curioſe factus de occulta literarum ſignificatione epiſtolarum C. Caeſaris ſcriptarum. Et inter auctores Latinae linguae a Dionyſio Gothofredo 1595. 4. in vnum corpus redactos pag. 1451. ſeqq. extat Valerii

g) Apud. A. GELLIVM noct. Attic. l. 7. c. 7.
h) Apud. eundem l. 7. c. 9. *i*) Lib. 4. cap. 7.
k) Vt ipſe teſtatur noct. Attic. l. 15. c. 30.
l) Lib. 4. cap. 7. *m*) Lib. 17. cap. 9.

lerii Probi grammatici de notis Romanorum interpretandis libellus. Quem deinde Henricus Ernſtius ex MSS. vulgatum longe auctiorem ſuis notis illuſtrauit Sorae 1674. 4. In ea editione plurima Probo adiecta reperiuntur, quae Ernſtius a genuinis aſteriſco diſtinguit. Idem Probi libellus ſine illis additamentis editus eſt ſaepius, cum Feneſtella de magiſtratibus Baſileae 1532. 8. paſſim alibi. Inter grammaticos veteres ab Elia Putſchio Antuerpienſi editos Hanou. 1605. 4. pag. 1404. ſeqq. Occurrit etiam in codice Theodoſiano Iacobi Cuiacii, in fronte inſcriptionum a Iacobo Mazochio collectarum, in parte tertia topographiae et antiq. Rom. Boiſſardi et aliorum, Francofurti 1627. fol. in antiquitatibus Romanis Philippi Caroli Francof. 1670. 12. et in luculento Claudii Dauſquei opere de orthographia Latini ſermonis, quod prodiit Tornaci 1632. fol. et Pariſiis 1677. fol. tom. 1. p. 165. Sertorius Vrſatus vero exiſtimauit, hunc ſcriptorem Chriſtianum fuiſſe, aut certe perluſtraſſe Chriſtianorum monumenta. Et ipſe Dauſqueus in animaduerſionibus ad hunc libellum pag. 191. contendit haſce Probi notas plane diuerſas eſſe a commentario, quem Gellius ait de occulta literarum ſignificatione in epiſtolis Iulii Caeſaris curioſe factum. Habentur et apud Eliam Putſchium inter Grammaticos veteres, quos Hanouiae 1605. 4. edidit, pag. 1386. ſeqq. M. Valerii Probi grammaticarum inſtitutionum libri II. Quos et cum aliis quibuſdam Ianus Parrhaſius Vicentiae 1509. fol. vulgauerat. Superſunt et aliae Probi reliquiae non aſpernendae. In Virgilium aliquid ſcripſiſſe, Macrobius atque Seruius innuere videntur. Terentii vetus interpres, Diomedes, Cariſius, Priſcianus, et alii quaedam Probi grammatica memorant. Circum-

Digitized by Google

feruntur etiam Probi in Virgilium, Perſium, et Iuuenalem commentaria: ſed de quorum titulis cordatiores quique dubitant: et ſi forſan Probi ſint, an Probi illius Berytii, qui ſub Nerone tyranno vixit Romae. Poſſunt haec et alia illius eſſe Probi, quem LVPVS FERRARIENSIS *n*) laudat; poſſunt eſſe alius; poſſunt etiam ex Marci Valerii noſtri ſimul atque ceterorum grammaticorum ſcriptis excerpta fuiſſe: haud enim obſcure in quibusdam aeuum Chriſtianorum imperatorum ſapiunt. Nec defuerunt, qui M. Valerium Probum χρονογραφίαν edidiſſe putarent, quia inter ſcriptores, Seruio memoratos illius de connexione temporum libellus ponitur. Verum ille, vt VOSSIVS *o*) recte monet, non de rerum, ſed verborum temporibus egit: vt eo grammaticus plane, non hiſtoricus fuerit.

§. XX.

Grammaticis annumerandus eſt quoque ANNAEVS CORNVTVS. Ita enim A. GELLIVS: *p*) *nonnulli grammatici aetatis ſuperioris, in quibus eſt Cornutus Annaeus, haud ſane indocti, neque ignobiles, qui commentaria in Virgilium compoſuerunt, reprehendunt quaſi incurioſe et abiecte verbum poſitum in his verſibus: q*)

Can-

n) Epiſt. 20. et 34. *o*) De hiſtor. Latinis lib. 3. cap. 12.

p) Noct. Attic. l. 2. c. 6.

q) Virgil. ecloga 6. v. 65. ſeq. Optimus vero poeta a Gellio defenditur, qui *vexaſſe* grauiſſimo ſenſu dici multis argumentis probat. Videatur etiam MACROBIVS ſaturnal. l. 6. c. 7. Sed vtroque priores ASCONIVS PEDIANVS et PROBVS idem iudicarant. Ad quorum rationes adde, quod poeta, cum Scyllam vexaſſe rates, et nautas laceraſſe canibus dixerit, hac imitatione M. Catonis feciſſe videatur, cuius verba haec ſunt *cumque*

Digitized by Google

Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris,
Dulichias vexaſſe rates, et gurgite in alto
Ah timidos nautas canibus laceraſſe marinis.

Vexaſſe enim putant verbum eſſe leue, et tenuis ac parui incommodi; nec tantae atrocitati congruere, cum homines repente a bellua immaniſſima rapti laniatique ſint. Damnant ibi quoque quod vſurparit Virgilius, verbum non ſatis idoneum *illaudati* pro ſcelerati hominis. Neque dicendum *auro ſqualentem*, vt dixerit poeta: *r*)

Per tunicam ſqualentem auro latus haurit apertum: quoniam nitori ſplendorique auri ſqualoris illuuies ſit contraria. Diſerte etiam MACROBIVS *s*) Cornutum annotationes Virgilii verſibus appoſuiſſe teſtatur, eumque tantum virum ait Graecarum literarum doctiſſimum fuiſſe. Ab A. GELLIO *t*) Annaei Cornuti, hominis non indocti, nec imprudentis, etiam citatur ſecundus librorum, quos de figuris ſententiarum compoſuit. Et procul dubio is eſt Annaeus Cornutus, qui Romae, Stoicam profeſſus philoſophiam, iuuentuti ad ſapientiae ſtudium praeibat: cuique ſe Aulus Perſius Flaccus poeta, ſedecim annorum adoleſcens, tradidit. *v*)

Fuit

---

que Hannibal terram Italiam laceraret atque vexaret. Vnde patet iſtud *vexare* ſatis, magnum et graue incommodum ſignificare. Pari modo, vt Virgilius, ſcribit LVCRETIVS de rerum natura l. 2. ab init. de mari magno et turbantibus aequora ventis.

r) Aeneid. l. 10. v. 314. Illud vero GELLIVS l. 2. c. 6. et MACROBIVS l. 6. c. 7. ſignificare dicunt copiam atque denſitatem auri in ſquamarum crebritate et aſperitate, quae in ſerpentium piſciumque coriis viſuntur.

s) Saturn. l. 5. c. 19. *t*) Noct. Attic. l. 9. c. 10.

v) Teſte SVETONIO, vel alio, qui Perſii nobis vitam breuiſſime deſcriptam reliquit. Patet inde multorum atque etiam

[illegible]

Fuit etiam Saleii Baſſi et Marci Annaei Lucani praeceptor. *x*) In primis vero eum Perſius adoleſcentulus tanti fecit, vt nunquam ab illius latere recederet, ac per reliquum vitae ſpatium omni officio ac pietatis cultu coniunctiſſimum haberet. Quod ipſum etiam ſibi mirifice gratulatur poeta, gratumque animum erga praeceptorem ſuum quinta ſatyra teſtatur. Quam dulcis inter duo diuerſae aetatis homines fuerit conſuetudo, eleganter deſcribit: *y*)

Tecum etenim longos memini conſumere ſoles,
Et tecum primas epulis decerpere noctes.
Vnum opus, et requiem pariter diſponimus ambo,
Atque verecunda laxamus ſeria menſa.

Egregia vitae integritate iuuenis vix ſe continere potuit, quin ipſum Neronem eiusque iniquiſſima flagitia liberius accuſaret, vt qui ſub Midae Regis nomine illum irriſerit ſatyrica quadam vrbanitate. Sed admonente Cornuto carmen immutauit. *z*) Eodem auctore damnauit quoque verſus in Arriam, quae ſe ante virum occiderat. Vnde triginta annos natus, cum moreretur, Cornuto cum ſeptingentorum librorum bibliothecam, tum argenti facti pondo viginti legauit. Cornutus vero, libris contentus, Perſii ſororibus pecuniam reliquit. Hunc ſuo tempore celeberrimum magiſtrum Nero Imperator cum aliis illuſtribus viris in exilium eiecit. Ita enim EVSEBIVS chron. olymp. 211. ad annum Domini LXIX.

Nero

IOH. DECKHERRI error, qui coniecturis de ſcriptis adeſpotis, pſeudepigraphis et ſuppoſititiis ſect. 12. p. 148. Cornuto in ſatyras Perſii commentarium vindicare conatur.

x) Vid. Lucani vita. *y*) PERSIVS ſatyr. 5. v. 41.

z) Meminit huius ERASMVS in adagio *Midas auriculas aſini.*

Nero cum ceteris viris inſignibus et Octauiam vxorem ſuam interfecit, Cornutumque philoſophum, praeceptorem Perſii, in exilium fugat. SVIDAS a Nerone interfectum eſſe ſcribit, his verbis: ὁ Κορνοῦτος λεπτίτες φιλόσοφος. ἡ δὲ λεπτὶς πόλις λιϐύης γεγονὼς ἐν ῥώμῃ ἐπὶ Νέρωνος, καὶ πρὸ αὐτοῦ, ἀναιρεθεὶς σὺν τῷ Μουσωνίῳ. *Cornutus Leptites, philoſophus. Leptis autem Africae eſt ciuitas. Ac fuit Romae ſub Nerone, et ante eum. Interfectus vero cum Muſonio.* Sed facilis vtriuſque auctoritatis compoſitio. Potuit eum Nero prius in exilium egiſſe, mox ſibi magis inuiſum interfeciſſe: vel eiectus in ſemet ipſum violentas conuertere manus. Quod et Muſonium feciſſe, mihi eſt admodum credibile. Nam et ipſe Rufus Muſonius philoſophus a Nerone exilio multatus eſt. Teſtem habeo CORNELIVM TACITVM, *a*) qui *Verginium*, inquit, *et Rufum claritudo nominis expulit. Nam Verginius ſtudia iuuenum eloquentia, Muſonius praeceptis ſapientiae fouebat:* is, quem alibi dixerat *b*) conſtantiam opperiendae mortis, pro incerta et trepida vita, ſuaſiſſe. De Cornuto SVIDAS pergit: ἔγραψε δὲ πολλὰ φιλοσοφά τε καὶ ῥητορικα. *Scripſit multa et philoſophica, et rhetorica.* Teſtibus grammaticis veteribus, quos FABRICIVS *c*) citat, ſcholiis Terentium illuſtrauit, nuſquam hodie reperiundis. Terentium tamen Baſileae 1532. et 1538. fol. cum ſcholiis e Donato, Cornuto et Aſpero Eraſmus edidit. Sic et eius commentarii in Virgilium iam pridem periere. Et quae in Perſium extant ſcholia vetera, neque Cornutum neque Probum auctorem habent, ſed ex

a) Annal. l. 15. c. 71. *b*) Annal. l. 14. c. 59.
c) Biblioth. Latin. lib. 1. c. 3. volum. 1. pag. 31.

ex diuerſae aetatis et eruditionis interpretum notis conflata ſunt. H. ERNSTIVS *d*) fide codicis antiqui Mediolanenſis ea Helenio Acroni tribuere non dubitat: quod nec VINCENTIO PLACCIO *e*) improbabile videtur. At ego non crediderim, viris doctis in mentem veniſſe, quod integra et genuina in Perſium Acronis commentaria illis ſcholiis contineantur. In CASSIODORI orthographia, *f*) vt ex aliis veteribus grammaticis, ita capite primo quaedam ex Annaeo Cornuto de enuntiatione relata ſunt.

§. XXI.

Etiamſi Cornutus noſter quaedam ſcripſerit hiſtorica, quae non exſtant: diuerſus tamen eſt ab illo, quem inter atque Liuium Patauinum magna aemulatio fuiſſe legitur: cum longe plures audierint Cornutum; ſed Liuio auditores fuerint et ingenio, et eruditione praeſtantiores. Hoc enim, vt recte VOSSIVS *g*) notat, temporis ratio non patitur. Liuius ille Patauinus, vti et Meſſala Coruinus, ſi chronico Euſebiano credimus, nati ſunt olympiadis CLXXX. anno ſecundo, quarto anno a conſulatu Ciceronis, ab V. C. Iↄcxcv. Deceſſit vero ſeptuaginta quinque annos natus olympiadis CXCIX. anno primo, ſiue Tiberii quarto, ab V. C. IↄccLXX. Cornutus vero, quinquaginta poſt annis ab obitu Liuii, olympiadis CCXI. anno tertio, ab V. C. Iↄcccxx. a Nerone in exilium eiectus eſt. Nec veriſimile videtur, Liuium decrepita iam aetate alios docuiſſe. Quod ſi.

d) Obſeru. l. I. c. 7. *e*) Catalog. pſeudonymorum p. 179.

f) Vid. CASSIODORI oper. pag. 494. PVTSCHII grammatici veteres pag. 2275. ſeqq.

g) De hiſtoricis Latinis lib. I. c. 26.

Digitized by Google

ſi fecerit quinquagenario minor, nec tum Cornutus grammaticus noſter potuit eſſe natus. Fallitur ergo Suidas, qui Cornutos confundit fortaſſe filium et patrem, vel etiam alios, vt plurimi fuerunt. Tiberio imperante Caecilius Cornutus praetorius, quod ad principis inſidias pecuniam miniſtrauerit, accuſatus, taedio curarum, et quia periculum pro exitio habebatur, mortem in ſe feſtinauit. Et quod ſua manu cecidiſſet, occaſionem dedit agendi de praemiis accuſatorum abolendis, ſi quis maieſtatis poſtulatus ante perfectum iudicium ſe ipſe vita priuauiſſet. *h*) Cornutos alios vide in KOENIGII bibliotheca veteri et noua.

§. XXII.

Grammaticos inter merito referendus eſt, qui hac aetate floruit, TERENTIANVS MAVRVS, ſuauiſſimus literator, natione Afer. Is enim, quod etiam hodie magni facimus, notiſſimum opus de literis, ſyllabis, pedibus, metris, et multiplici carminum genere, ligata oratione compoſuit. Sed de illo ſatis inter poetas dictum eſt.

§. XXIII.

ASCONIVS PEDIANVS *i*) Patauinus *k*) non modo illuſtris hiſtoricus, verum etiam inprimis commemoran-

h) Vid. TACITVS annal. lib. 4. cap. 28. et 30.

i) Ab aliis male *Paedianus* per ae ſcribitur. Quamuis enim apud SVIDAM παιδικὸς, quaſi a παιδίον ſiue παιδεία foret, appelletur: maior tamen SILII poetae Romani auctoritas eſt, qui primam in iſto nomine corripuit. adeoque ſimplici elemento ſcripſit. PERSIVS quoque corripuit primam in *Pedius*: a gente Pedia vero *Pedianum* eſſe, nemo negabit.

k) Liuium hinc vocat *ſuum* ASCONIVS in orat. pro C. Cornelio.

Sunt

ex diuerſae aetatis et eruditionis interpretum notis conflata ſunt. H. ERNSTIVS *d*) fide codicis antiqui Mediolanenſis ea Helenio Acroni tribuere non dubitat: quod nec VINCENTIO PLACCIO *e*) improbabile videtur. At ego non crediderim, viris doctis in mentem veniſſe, quod integra et genuina in Perſium Acronis commentaria illis ſcholiis contineantur. In CASSIODORI orthographia, *f*) vt ex aliis veteribus grammaticis, ita capite primo quaedam ex Annaeo Cornuto de enuntiatione relata ſunt.

§. XXI.

Etiamſi Cornutus noſter quaedam ſcripſerit hiſtorica, quae non exſtant: diuerſus tamen eſt ab illo, quem inter atque Liuium Patauinum magna aemulatio fuiſſe legitur: cum longe plures audierint Cornutum; ſed Liuio auditores fuerint et ingenio, et eruditione praeſtantiores. Hoc enim, vt recte VOSSIVS *g*) notat, temporis ratio non patitur. Liuius ille Patauinus, vti et Meſſala Coruinus, ſi chronico Euſebiano credimus, nati ſunt olympiadis CLXXX. anno ſecundo, quarto anno a conſulatu Ciceronis, ab V. C. Iↄcxcv. Deceſſit vero ſeptuaginta quinque annos natus olympiadis CXCIX. anno primo, ſiue Tiberii quarto, ab V. C. Iↄcclxx. Cornutus vero, quinquaginta poſt annis ab obitu Liuii, olympiadis CCXI. anno tertio, ab V. C. Iↄcccxx. a Nerone in exilium eiectus eſt. Nec veriſimile videtur, Liuium decrepita iam aetate alios docuiſſe. Quod ſi

d) Obſeru. l. 1. c. 7. *e*) Catalog. pſeudonymorum p. 179.

f) Vid. CASSIODORI oper. pag. 494. PVTSCHII grammatici veteres pag. 2275. ſeqq.

g) De hiſtoricis Latinis lib. 1. c. 26.

ſi fecerit quinquagenario minor, nec tum Cornutus grammaticus noſter potuit eſſe natus. Fallitur ergo Suidas, qui Cornutos confundit fortaſſe filium et patrem, vel etiam alios, vt plurimi fuerunt. Tiberio imperante Caecilius Cornutus praetorius, quod ad principis inſidias pecuniam miniſtrauerit, accuſatus, taedio curarum, et quia periculum pro exitio habebatur, mortem in ſe feſtinauit. Et quod ſua manu cecidiſſet, occaſionem dedit agendi de praemiis accuſatorum abolendis, ſi quis maieſtatis poſtulatus ante perfectum iudicium ſe ipſe vita priuauiſſet. *h*) Cornutos alios vide in KOENIGII bibliotheca veteri et noua.

§. XXII.

Grammaticos inter merito referendus eſt, qui hac aetate floruit, TERENTIANVS MAVRVS, ſuauiſſimus literator, natione Afer. Is enim, quod etiam hodie magni facimus, notiſſimum opus de literis, ſyllabis, pedibus, metris, et multiplici carminum genere, ligata oratione compoſuit. Sed de illo ſatis inter poetas dictum eſt.

§. XXIII.

ASCONIVS PEDIANVS *i*) Patauinus *k*) non modo illuſtris hiſtoricus, verum etiam inprimis commemoran-

h) Vid. TACITVS annal. lib. 4. cap. 28. et 30.

i) Ab aliis male *Paedianus* per ae ſcribitur. Quamuis enim apud SVIDAM παιδιανὸς, quaſi a παιδίον ſiue παιδεία foret, appelletur: maior tamen SILII poetae Romani auctoritas eſt, qui primam in iſto nomine corripuit. adeoque ſimplici elemento ſcripſit. PERSIVS quoque corripuit primam in *Pedius*: a gente Pedia vero *Pedianum* eſſe, nemo negabit.

k) Liuium hinc vocat *ſuum* ASCONIVS in orat. pro C. Cornelio.

Sunt

morandus Grammaticus atque locuples auctor ſermonis Latini, ſub Claudio Imperatore ad Veſpaſiani vſque principatum floruit. Teſtis ipſe luculentiſſimus in orat. pro Scauro: vbi *poſſidet*, inquit, *eam* Scauri domum *nunc Largus l) Caccina, qui conſul fuit cum Claudio.* Ille:

Sunt tamen, inquit, *qui eundem illum duorum numerum, quem Cicero, ponant; inter quos Tuditanus, et Pomponius Atticus, Liuiusque noſter.* Quod non eo quidem dixit, quia familiariter Liuio vſus ſit, ſed quia Patauinus eſſet. Accedit enim SILII quoque ITALICI auctoritas lib. 12. v. 212. ſeqq. vbi alludit ad Pedianum Aſconium, virum literatiſſimum, qui Patauinus eſſet, originemque ſuam a Polydamante Troiano haberet: hunc ingenio et dextra valuiſſe, et Cinypem Pauli arma, ab Hannibale ſibi donata, gerentem interemiſſe.

Polydamanteis iuuenis, inquit, *Pedianus in armis*
Bella agitabat atrox, Troianaque ſemina, et ortus,
Atque Antenoreo ſeſe de ſtirpe ferebat;
Haud leuior generis fama, ſacroque Timauo
Gloria, et Euganeis dilectum nomen in oris.
Huic pater Eridanus, Venetaeque ex ordine gentes,
Atque Apono gaudens populus, ſeu bella cieret,
Seu Muſas placidus, doctaeque ſilentia vitae
Mallet, et Aonios plectro mulcere labores,
Nec vllum dixere parem, nec notior alter.

Quae profecto non in alius, quam Aſconii amici ſui, gratiam finxit, cui aperte patriam tribuit Patauium, Antenoris opus. Et paulo poſt Marcellum proponit Pedianum alloquentem:

— — — *macte, o virtutis auitae*
Macte Antenoride, nunc, inquit, rapta petamus
Quod ſupereſt Libyci ductoris tegmina — —

Confer. G. I. VOSSIVS de hiſtoricis Latinis lib. 1. cap. 27. pag. 125. ſeq. I. A. FABRICIVS bibl. Lat. lib. 2. cap. 6. pag. 338. et SCARDEONIVS de claris Patauinis.

l) Mendoſe *Longus* legitur: quod nomen in faſtis etiam nonnulli reti-

Digitized by Google

le vero C. Licinius Caecina Largus cum Tiberio Claudio Caeſare conſul fuit anno ab V. C. DCCXCIV. Claudii principatus ſecundo, poſt Chriſtum natum XLIII. Ad Veſpaſianum vſque Pedianum floruiſſe, HIERONYMVS in chronico Euſebiano ad annum MMXCI. qui annus Veſpaſiani eſt ſeptimus, teſtatur, vbi: *Q. Aſconius Pedianus, ſcriptor hiſtoricus, clarus habetur, qui LXXII. aetatis ſuae anno captus luminibus, XII. poſtea annis in ſummo omnium honore conſeneſcit.* QVINTILIANVS certe, qui poſt Neronis necem adoleſcens a Galba Romam perductus eſt, Pediani huius auditor fuiſſe videtur. Ita enim ipſe *m*) memoriae prodidit: *Sibe et quaſe ſcriptum in multorum libris eſt, ſed an hoc voluerint auctores, neſcio. T. Liuium ita his vſum, ex pediano comperi, qui et ipſe eum ſequebatur.* Et maior PLINIVS *n*) ſcriptor ſub Veſpaſiano clarus Aſconii noſtri meminit, vbi de ſpatiis vitae longiſſimis; et *Samullam*, ſcribit, *quoque CX. annis vixiſſe, auctor eſt Aſconius Pedianus.* SVIDAS *o*) autem teſtis eſt, Aſconium a Iunio Blaeſo, ad conuiuium eunte, comitem eſſe aſſumtum, licet inuocatum, quales vocare ſolent *vmbras.* Ille Iunius Blaeſus filius procul dubio is eſt, qui Galbae et Vitellii temporibus clarus Lugdunenſis Galliae rector fuit. *p*) At IVLIVS PHILARGYRIVS *q*) ad

retinuerunt, vt IOH. FVNCCIVS chronolog. pag. 93. C, anno 794. HENRICVS NORISIVS atque GRAEVIVS Rom. antiq. theſ. tomo II.

m) Inſtit. orator. lib. 1. cap. 7. *n*) Hiſtor. natur. lib. 7. cap. 48.

o) In Ἀσκώνιος. confer. idem in Ἀπίκιος.

p) Vid. TACITVS hiſt. lib. 1. cap. 59. lib. 2. cap. 59. et lib. 3. cap. 38.

q) Ad eclog. Virgil. 3. v. 105. *Tres pateat coeli ſpatium* etc.

ad eclogam Virgilii tertiam auctor eſt, quod Aſconius dixerit, *ſe audiſſe Virgilium dicentem, in hoc loco ſe Grammaticis crucem fixiſſe.* Quod SERVIVS etiam ad illum ipſum Virgilii locum refert. Aſconiumque idem locutum ait cum Aſinio Gallo, fratre Salonini, filio Aſinii Pollionis. Verba eius ſunt in ecloga quarta: *Aſconius Pedianus a Gallo audiſſe ſe refert, hanc eclogam in honorem eius factam.* Etiam haec ſunt in vita Virgilii: *vulgatum eſt, conſueſſe Virgilium cum Plotia Aleria, ſed Aſconius Pedianus affirmat, ipſum poſtea maiorem natu narrare ſolitum, inuitatum quidem ad communionem ſui, verum pertinaciſſime recuſaſſe.* Cum ergo inter Virgilii obitum et Veſpaſiani imperium anni eſſent amplius centum: critici crucem ſibi maiorem ipſi fixerunt, aliam atque aliam Aſconio aetatem aſſignantes. IOSEPH. SCALIGER *r*) hinc duos credit Aſconios fuiſſe; alterum Grammaticum criticum, alterum hiſtoricum; quorum ille vel Auguſti aeuo floruerit, hic ſub Veſpaſiano. Eiusque veſtigia primum G. I. VOSSIVS *s*) legit: mox autem ſententiam mutauit, ipſius Pediani teſtimonio adductus, et duos quidem Aſconios agnoſcit, vt Scaliger fuerit recte opinatus, vnum, qui Virgilii vixerit aetate; alterum, qui ſub Nerone et Veſpaſiano claruerit: at poſteriorem hunc, contra quam Scaliger ſtatuerit, non tantum hiſtorias, verum et in Ciceronis orationes commentaria condidiſſe. Haudquaquam de eo etiam CHRIST. CELLARIVS *t*) dubitat. Et ipſe SCALIGER Euſebii ſecunda editione *v*) ſententiam mutauit, atque vt Aſconium

r) Animaduerſ. in Euſeb. *s*) De Hiſtor. Latinis lib. 1 cap. 27.

t) Prolegom. curarum poſter. de barbariſmis et idiotiſmis ſerm. Lat. pag. 22. *v*) Pag. 200.

nium illum, qui in liberorum ſuorum gratiam luculentiſſimos in Ciceronis orationes commentarios conſcripſit, ac operis quantulamcunque partem nobis reliquit ſuperſtitem, illumque commendatum hiſtoricum ſeparare non cogeretur; poſt varias variorum diſceptationes, Hieronymum metachroniſmi arguere maluit. Quem et IOH. HARDVINVS ad Plinium et I. A. FABRICIVS in bibliotheca Latina *x*) et plures alii ſequuntur. Errant vero mea quidem ſententia longe, qui Aſconium hunc Grammaticum ad ſeculum Auguſteum referunt. Quod ADRIANVS quoque Cardinalis *y*) facit, *tametſi*, inquiens, *ſub Auguſto Caeſare floruit, bonaque multa atque elegantia ſcripſit, ſicuti libello, ſive potius fragmento, quod ante hos annos repertum eſt, colligi poteſt, multa fluit ac ſcatet barbarie.* At *Liuium* vocat *ſuum. z*) Satis ergo indicat, eo ſe familiariter vſum. Quaſi vero, ſi nunc, *Tullius noſter inquit*, ſcriberem, pro Ciceronis aequali ego habendus eſſem. Superius paulo contra demonſtrauimus, Liuium vocare *ſuum*, quia vterque Patauinus eſſet: quemadmodum ſi hodieque Cattus quiſquam dicat, *Eobanus noſter* etc.

§. XXIV.

Scripſit commentarios ſuccinctos in M. T. Ciceronis orationes, filiis ſuis dicatos: vt facile patet ex his eius verbis ad orationem pro Milone: *quid ſit diuidere ſententiam, vt enarrandum ſit, veſtra aetas, filii, facit.* Etiam hiſtorias confeciſſe, vel ex Hieronymi teſtimonio conſtat, qui eum inter claros hiſtoricos ſub Veſpaſiano recenſet. Fidem quoque Plinii auctoritas facit, qui ex mo-

x) Lib. 2. c. 6. pag. 338. *y*) De modis Latine loquendi.
z) In orationem pro Cornelio.

monumentis Aſconii noſtri didicit, Samullam decem ſupra centum annis vixiſſe. Vt pluribus paulo ſuperius vidimus. In Virgilium commentatus eſt; atque vitam C. Salluſtii Criſpi ſcripto conſignauit. *a*) In Virglii vita, quae Tiberio Donato tribuitur, memoratur etiam Aſconii Pediani liber aduerſus Virgilii obtrectatores, quorum vnus Carbilius Pictor ſcripto ſuo titulum praefixerat *Aeneidomaſtix*.

§. XXV.

Aſconio Pediano falſo adſcribitur *de origine gentis Romanae* libellus, qui ex communi iam eruditorum ſententia Sexto Aurelio Victori haud immerito tribuitur. AVS. vero POPMA, *b*) libellum iſtum de origine gentis Romanae allegans, *eum auctorem*, inquit, *eſſe Q. Aſconium Pedianum adducor vt exiſtimem, primum quia de Virgilio et Liuio vt aequalibus et familiaribus ſuis loquitur, quod ipſum et facit Pedianus in commentariis ad orationes Ciceronis. Deinde dicit, ſe feciſſe librum inſcriptum de origine Patauina. At Pedianus fuit Patauinus, vt ex Euſebii chronico conſtat. Poſtremo ſtilus, optimus auctorum index, commentatori magis, quam hiſtorico conuenit; nec a Pediani ſtilo abhorret.* Quibus quidem Popmae argumentis BVRCHARDVS GOTHELF STRVVIVS V. C. vt ſolet, eruditiſſime reſpondit. *c*) Aſconio noſtro quoque liber *de viris illuſtribus* eiuſdem Aurelii Victoris a IOH. METELLO, *d*) vel ex rationibus

a) Cuius meminit ACRON ad Horat. lib. 1, ſat. 2.

b) Ad Salluſtii Catil. p. 306.

c) Elegantiſſima diſſertatione de origine Romana, et de ea ſcriptoribus, quae Hallenſium obſeruationibus inſerta eſt tom. 1, p. 63. *d*) In literis ad Stephanum Pighium,

Digitized by Google

bus a Popma allegatis, adiudicatur fruſtra, aliis auctorem rationibus luculentiſſimis indicantibus. Nec defuerunt, qui Vallae *elegantias* affirmarunt eſſe huius Aſconii. Vnde ALDVS MANVTIVS pater: *e*) *ex Gallia vero duodecim Aſconii Pediani elegantiarum libros percupidi exſpectamus, quos exſtare, eſſeque M. Fabii Quintiliani, ac inde bonam partem elegantiarum ſuarum accepiſſe Laurentium Vallam, vel puer Romae cum audirem Domitium, intelligebam.* Iniquam vero et falſam hanc fuiſſe de Laurentio Valla ſuſpicionem facile patet. Nec ab re BARTHIVS: *f*) *tantum*, ſcribit, *Vallae elegantiis ſuperior aetas tribuit, vt non defuerint, qui aſſerere licet ſtolide et ἀλόγως non dubitarint, Aſconii opus eſſe a Valla inuêntum ſuoque nomine diuulgatum, vt ſcribit Mariangelus Accurſius in teſtudine diatribis ſuis Auſonianis, Ouidianis et Solinianis annexa.* Et G. I. VOSSIVS: *g*) *Admodum perfrictae frontis fuiſſe neceſſe eſt, qui cum Laurentii Vallenſis elegantiarum libros in honore eſſe dolerent, in vulgus ſparſere, eos iam olim in Germania fuiſſe repertos, quodque ſcriptì eſſent literis fugientibus ac fatiſcentibus, vix certis cognitum indiciis tandem fuiſſe, Aſconii Pediani eſſe opus: cuius calumniae meminit Mariangelus Accurſius in diatribarum ſuarum defenſione, cui* TESTVDO *nomen fecit.*

§. XXVI.

e) In epiſtola ad Marcum Muſurum, quae Orthographiae Statii anno 1502 editae praefigitur.

f) In literis ad Daumium, apud STRVVIVM faſcic. 6. p. 62.

g) De hiſtoricis Latinis lib. 1. c. 27. p. 126.

§. XXVI.

Ex omnibus Aſconii Pediani ſcriptis hodie nihil, praeterquam commentationes in quaſdam Ciceronis orationes, quas in filiorum gratiam ſcripſit, egregiae exſtant, licet mutilae in quaſdam, e. gr. in Verrem, pro C. Cornelio, contra Antonium, Catilinam, in L. Calpurnium Piſonem.

§. XXVII.

De ſtilo Aſconii Pediani placet OLAI BORRICHII *h*) iudicium. Et *dictio*, inquit, *eius perſpicua, breuis, temperata; non inquirit in ſchemata orationis, ſed illuſtrat loca Tullii obſcuriora, adeoque ad intelligendam eius aeui hiſtoriam oppido conducit. Quae Aſconii ad nos peruenerunt, adhuc mutila hinc inde ſunt, immo adulterina quaedam iis permixta, quae ſeparare hodie difficillimum.* Eademque HADRIANI CARDINALIS *i*) ſententia, in eo licet errore verſetur, illum aetatis optimae, cum maximus ſuperaret ſermonis vigor, auctorem ſua nobis monumenta reliquiſſe. *Aſconius*, inquit, *Pedianus, qui, tametſi ſub Auguſto Caeſare floruit, bonaque multa atque elegantia ſcripſit, ſicuti libello, ſiue potius fragmento, quod ante hos annos repertum eſt, colligi poteſt, multa fluit ac ſcatet barbarie. Quam tamen barbariem, non ab illo certe, qui bono etiam tunc tempore eruditus eſt, prouenire puto: ſed potius ab aliquo inſulſo atque ineleganti Grammatico, qui interpretis vice functus, inepta multa conſeruit, quae poſtea vna cum bonis auctoris verbis deſcripta ſunt.*

§. XXVIII.

h) Conſp. auct. Lat. linguae p. 13.

i) De modis Latine loquendi.

Digitized by Google

§. XXVIII.

Quicquid ſupereſt commentariorum ab Aſconio Pediano conſignatorum, Poggio Florentino debemus, qui, Conſtantienſis concilii temporibus, ex eo loco perigrinationem literariam inſtituens forte fortuna in S. Galli monaſterio et C. Valerii Flacci argonauticon, et partem Aſconii Pediani reperit, *k*) ac publicae primum dedit luci *Venetiis* 1477. fol. cum Antonii Luſci commentariis, per Ioannem de Colonia et Manthen de Gheretzem. Prodierunt deinde Aſconii commentarii *Patauii* 1493. fol. cum Georgii Trapezuntii de artificio orationis Ciceronianae pro Q. Ligario, Anton. Luſci Vicentini ſuper XI. et Xichonis Polentoni ſuper X. Tullii orationes argumentis, et ſuper IV. inuectiuas in Catilinam, et ſuper inuectiuas in Salluſtium et Caeſarem.

§. XXIX.

Seculo ſequenti notandas Pediani editiones habemus, quae prodierunt *Venetiis* 1522. 8. apud Aldum. 1545. 8. cum ſcholiis Pauli Manutii, qui propemodum omnia fatetur a Petro Daneſio accepiſſe, quae in Verrinarum accuſationum commentariis emendauit. 1563. 8. apud Aldum. *Pariſiis* 1536. 4. cum Antonii Luſci commentariis. *Lugduni* 1551. 8. cum Franciſci Hotomanni notis. 1554. 4. apud Tornaeſium. *Argentorati* 1535. 8. *Coloniae* 1578. 8. cum Titi Popmae Friſii notis. *Hagenoae* fol. ſine temporis notatione, per Ioh. Secerium, e recenſione Philippi Melanchthonis.

§. XXX.

Aſconius aeuo recentiori prodiit *Lugduni Batauorum* 1675. 12. cum notis Pauli Manutii, Hotomanni,

k) Confer. quae ſupra notauimus cap. 3. §. 74.

et Popmae in Aſconium, et notis ſelectis Franciſci Fabricii, Caroli Sigonii, Petri Nannii, Andreae Patricii, et Iacobi Cruquii in loca quaedam orationum Ciceronis ab Aſconio illuſtratarum. 1693. 12. Thomae Crenii. In editionibus Ciceronis Gronouiana, Graeuiana, Verburgianis, Aſconii commentaria Ciceronis textui ſubiecta leguntur.

CAPVT VI.

De rhetoribus Latinae linguae gloria decreſcente illuſtrioribus.

§. I.

Rhetoricae inſtitutionis neceſſitas. 2. *Eloquentiae hoc ſeculo neglectus.* 3. *Declamationum abuſus.* 4. *Perexiguum artis rhetoricae pretium.* 5. *Rhetores male ſani maculant eloquentiam.* 6. *In ſchiſmata diſcerpti.* 7. *Hermagoras Temnaeus deſcribitur.* 8. *Ceſtius Pius.* 9. *Iulius Gabinianus.* 10. *Cornificius et Cornelius Celſus ſuas nobis reliquerunt oratorias inſtitutiones.* 11. *Marci Annaei Senecae rhetoris vita.* 12. *Scribendi genus et merita.* 13. *Opera eorundemque editiones recenſentur.* 14. *Virginius Rufus deſcribitur.* 15. *M. Fabii Quintiliani vita.* 16. *Et ſcripta recenſentur.* 17. *An declamationum, quae extant, auctor.* 18. *Et dialogum de oratoribus ſcripſerit.* 19. *Eius imitatores, et admiratores.* 20. *Dicendi genus et merita.* 21. *Cenſores.* 22. *Purioris Latinae linguae ſtudium.* 23. *Oratoriarum inſtitutionum inuentio.* 24. *Editiones ſeculi decimi quinti.* 25. *Decimi ſexti.* 26. *Decimi ſeptimi.* 27. *Et recentioris noſtri decimi octaui recenſentur.*

§. I.

§. I.

Natura profecto dicendi initium ſuppeditauit agreſte ſatis atque incultum: cum vix vltra neceſſitatem breuiores quaſdam coniungerent ſententias. Temporis vero ſucceſſu, cum diſcerent ſapere mortales, ne fluctuentur oratione propemodum infinita, ſed terminis quaeque ſuis moderentur, artem conſtituerunt certamque dicendi rationem, quae ad ſpiritus et memoriae vires ſimul atque faciliorem vſum et communem vel ſuauitatem, vel vtilitatem, nunc extra conuerſionem, nunc intra conuerſionem abſoluit. Sic arti tandem obſeruatio initium dedit: cum in ſermonibus, ſicut in medicina, mortales ipſo vſu et conſuetudine prae aliis alia ſuauiora magisque ſalubria viderent. Hinc genera orationis duo: alterum perpetuum ex rhetorica: alterum conciſum ex dialectica. Quae quidem Zeno ita coniunxit, vt hoc compreſſae in pugnum manui, illud explicatae ſimile dixerit. Nam quae dialecticus tantum argumentis attingit, rhetor ita tractat, vt nihil neque ad ornatum, neque ad elegantiam reliquum faciat. Sed multa exercitatione et longo temporis tractu id tandem animaduerſum, quod facto opus fuerat, ſaluberrimis poſthac praeceptis cuſtodiendum.

§. II.

Enim vero ſeneſcente Latina lingua, dicendi facultas, qua olim vagos populos, vrbium conditores, ad humanitatem vitamque ciuilem coegerunt, atque adeo mitigarunt efferatos: poſteaquam terminos perfectionis attigit, in deterius ruere magis atque magis coepit. Reip. adminiſtrandae vnicum inſtrumentum flocci habuerunt. Negligentius tractare non verebantur artem, cuius diuina virtute olim ſopita bella, fractae ſeditiones, erepti

poenis innocentes, ſtabilitae ſocietates, et publica ſalus procurata fuit. Eloquentia debilitata et fracta e roſtris et baſilicis in declamatorum ſcholas eliminata eſt, qui, vt Herennianus magiſter habet, ne parum multa ſciſſe viderentur, auguſtiſſimam diſciplinam detruſerunt ad reſponſa in peſtilentiam data, ſaeuiores tragicis nouercas, et ſimilia argumenta fabuloſa, eaque ab vſu fori prorſus abhorrentia, encomia mortis, febris, hyemis, iniuſtitiae, muſcarum et ollae. Neque enim ſatis erat ingenioſam eſſe gulam, niſi etiam commendaret ollam, praecipuum luxuriae inſtrumentum. Ita iuuenes coeperunt rixari in ſcholis, commiſſi diſputationibus ludicris, et inſtar ſpinarum paribus aculeis inuicem obuerſis: vt egregie inſtructi, cum veniendum eſſet in forum, plane in orbem alienum ſe delatos fuiſſe putarint. Sed oratoris vis atque facultas tam breuibus et anguſtis terminis, nedum ineptiarum finibus concludi potuit: cum is tandem bonus euaderet orator, qui de omni quaeſtione pulchre et ornate, et ad perſuadendum apte, pro dignitate rerum, ad vtilitatem temporum, cum voluptate audientium, dicere poſſit. *Haec ſibi illi veteres perſuadebant. Ad haec efficienda intelligebant opus eſſe, non vt rhetorum ſcholis declamarent, nec vt fictis, nec vllo modo ad veritatem accedentibus controuerſiis linguam modo et vocem exercerent; ſed vt his artibus pectus implerent, in quibus de bonis ac malis, de honeſto ac turpi, de iuſto et iniuſto diſputatur.* a)

§. III.

De Rhetorum opera et declamationibus quaedam monuimus iam huius tractationis capite primo: quo demon-

a) Auctor. dialogi de oratoribus cap. 31.

Digitized by Google

monſtratum iuimus, quantum a priſtina gloria et vero nitore ſuo, in deterius magis atque magis adeo breui temporis ſpatio declinauerint omnes. In hoc genere optimus teſtis erit M. ANNAEVS SENECA, *b*) qui proxime ad Ciceronis et Octauiani Caeſaris Auguſti aetatem acceſſit: *neſcio qua iniquitate naturae, eloquentia ſe retro tulerit: quicquid Romanae facundia habet -- circa Ciceronem effloruit — in deterius deinde quotidie data res eſt.* Poſt pauca: *declamabat autem Cicero, non quales nunc controuerſias dicimus, nec tales quidem, quales ante Ciceronem dicebantur, quas theſes vocabant. Hoc autem genus materiae, quo nos exercemur, adeo nouum eſt, vt nomen quoque eius nouum ſit. Controuerſias nos dicimus: Cicero cauſſas vocabat. — Scholaſtica controuerſia multo recentius eſt, ſicut ipſa declamatio apud nullum auctorem antiquum, ante ipſum Ciceronem et Caluum, inueniri poteſt.* Aliquandiu poſt illa tempora declamandi ratio intermiſſa demum ſub Nerone, Veſpaſiano et Domitiano reuocata eſt. Nam inclinante imperio, paulatim etiam eloquentia degenerauit: et oppreſſa in foro libertate orandi, pariter vis atque facultas dicendi *in peius ruere, ac retro ſublapſa referri* coepit.

§. IV.

Hoc aeuo IVVENALIS *c*) miſeram ſophiſtarum vel rhetorum conditionem ſatis deſcribere non poteſt, qui quum iuuenes in ſcholis declamare doceant, pectora ferrea, et nullius laboris non patientiſſima habere debeant; nec quicquam inde vel pretii vel honoris capere. Ipſum poetam audiemus loquentem:

Decla-

b) Controuerſ. lib. 1. praefat. *c*) Satyr. 7. v. 150. ſeqq.

Digitized by Google

Declamare doces? O ferrea pectora Vetti,
Cum perimit ſaeuos claſſis numeroſa tyrannos.
— — — — — —
Quis color, et quod ſit cauſſae genus, atque vbi ſumma
Quaeſtio, quae veniant diuerſae forte ſagittae,
Noſſe velint omnes, mercedem ſoluere nemo.

Poſt multa id genus alia: verſ. 175.

— — — *Tenta*, inquit,
Chryſogonus quanti doceat, vel Pollio quanti
Lautorum pueros. — — — —

Iam tum docere amplius non fuit honeſtum, quod diſcere honeſtum fuit. Illud vero tandem eloquentiae magiſtris laetum arriſit fatum, vt ſtipendio alerentur publice ac pretium acciperent a magiſtratu, quod ipſis a male ſanis neglectae iuuentutis parentibus ingrato animo legimus fuiſſe negatum. Qua de re inferius paulo, vbi de Quintiliano, qui primus publicum ſtipendium accepit, diſſerendi occaſio erit. Sic ergo his temporibus fuit eadem fere, quae grammaticorum, conditio.

§. V.

Inter cauſſas corruptae eloquentiae refertur merito non ſatis politorum magiſtrorum ineptitudo: cum fuerint ſemper, et hoc praeſertim aeuo, qui alios docere voluerunt incomparabilem bene dicendi facultatem, et ipſi vix aliquid recte pronunciare potuerunt. Ita MARVLLVS rhetor apud SENECAM, *d*) homo ſatis aridus, pauciſſima belle, ſed non vulgato genere conſueuit dicere. Cum ille exilitatem orationis ſuae imputaret controuerſiae, et diceret: *neceſſe eſt, me per ſpinoſum locum ambulantem ſuſpenſos pedes habere:* Latro reſpondit:

d) Controu. lib. 1. praefat.

ſpondit: *non me Hercules tui pedes ſpinas calcant, ſed habent*: et ſtatim ipſe dicebat ſententias, quae interponi argumentis quam maxime declamantis Marulli poſſent. Mvsa rhetor multum quidem ingenii, ſed nihil habuit cordis: vt omnia ad vltimum vſque tumorem perduceret, quae non extra ſanitatem, ſed extra naturam eſſent. De *ſiſonibus* dixit, *coelo repluerunt*; de ſparſionibus, *odoratos imbres*; in cultum viridium, *coelatas ſiluas*; in pictura, *nemora ſurgentia*. De ſubitis mortibus dixit: *quicquid auium volitat, quicquid piſcium natat, quicquid ferarum diſcurrit, noſtris deponitur ventribus. Quaere nunc cur ſubito moriamur: mortibus viuimus.* Addit seneca: *e*) Non ergo, etſi iam manumiſſus erat, debuit de corio eius nobis ſatis fieri? Non ſum ex iudicibus ſeueriſſimis, qui omnia ad exactam regulam redigam. Multa donanda ingeniis puto: ſed donanda vitia, non portenta, ſunt. Haec Seneca. Schottvs *f*) quidem putat, rhetorem hunc eundem eſſe Antonium Muſam, Augusti medicum: ſed vix illud mihi credibile fieri poteſt. Oscvs non incommode quidem dixit, ſed ipſe ſibi nocuit. Nam dum nihil ſine ſchemate voluit dicere, oratio eius non figurata erat, ſed praua. Itaque non inurbane pacatvs rhetor, *g*) cum illi mane Maſſiliae occurriſſet, ſchemate illum ſalutauit: *poteram*, inquit, *dicere*, *haue*, *Oſce*. Ipſe ab eloquentia multum aberat, natus ad contumelias omnium ingeniis inurendas. Ivnivs otho, cui vetus ars fuit ludum literarium exercere, tandem ex rhetore, Seia-

e) Controu. lib. 5. praefat.

f) De claris apud Senecam rhetoribus pag. 21.

g) Apud senecam controu. lib. 5. praefat.

Digitized by Google

Seiani potentia, ſenator et praetor factus eſt, et impudentibus auſis obſcura initia propellere ſtuduit. *h*) Cum tribunus eſſet plebis et non ſatis prudenter intercederet, pulſus in exilium, artis ſuae ſpicilegia habere potuit. *i*) Quatuor colorum libros edidit, quibus ſomniorum et affectationis, ſine modo, tantum non docuit artem. Adeo ex ſomniatoribus erat totus: vt, vbicunque illum defecerat color, ſomnium narraret. *k*) POMPEIVS SILO tam male declamauit, vt rhetor apud SENECAM *l*) ſibi viſus ſit, belle optaſſe: *nunquam ſurgas.* VIBIVS GALLVS fuit tam magnae olim eloquentiae, quam poſtea inſaniae. Huic vni accidiſſe meminit SENECA, *m*) vt in inſaniam non caſu incideret, ſed iudicio perueniret. In controuerſia quadam, cuius mentionem facit, ſic ſolebat ad iocos peruenire, vt amorem deſcriberet pene cantantis modo, vt diceret: *amorem deſcribere volo; tanquam bacchari volo.* Deinde deſcribebat, et toties coepturus repetebat: *amorem deſcribere volo.* Conſecutus eſt plane quod voluit, vt diuitias nobis in odium adduceret: ſaepe enim ingeſſit: *diuitias deſcribere volo.*

§. VI.

Coeperunt rhetores iam tum in partes abire. Notiſſimae fuerunt hoc ſeculo *Apollodoreorum* atque *Theodoreorum* ſectae: cum ſequerentur alii APOLLODORVM PERGAMENVM illum Auguſti praecepto-

h) TACITVS annal. lib. 3. cap. 66.

i) Idem annal. lib. 6. cap. 47.

k) Vid. SENECA Controu. 22. extr. confer. eiuſd, controuerſ. 3. extr. et 9. extr.

l) Epitom. declam. lib. 3. praef.

m) Controuerſ. 9.

Digitized by Google

ptorem: *n*) qui SENECA *o*) teſte, reus veneficii a Pollione Aſinio defenſus, et damnatus, Maſſiliae docuit: alii vero adhaererent THEODORO GADAREO, ſiue, vt dici voluit, RHODIO, qui, teſte SVETONIO *p*) rhetorica Tiberium inſtituit, eiusque in puero ſaeuam ac lentam, vtcunque latuerit, naturam primus ſagaciter perſpexit, viſusque eſt aptiſſime aſſimilaſſe, ſubinde in obiurgando appellans eum, *πηλὸν αἵματι πεφυραμένον.* Vterque ingenio et doctrina celebris dicendi profeſſor, diſcipulis diuerſa rhetorices praecepta tradens, non paucos quiſque ſuos ſectatores habuit. Inde STRABO: *q*) *Huius ergo nomen magnum fuit; nec non Apollodori rhetoris, qui artis praecepta conſcripſit, et ſectae Apollodoreae auctor fuit: ſi qua tamen ea eſt. Multa enim inualuerunt, quae maiore quam noſtro diiudicanda ſunt arbitrio: de quibus ſunt etiam Apollodorea et Theodorea. Maxime extulit Apollodorum amicitia Auguſti Caeſaris, quem dicendi arte inſtituit. Diſcipulum habuit memorabilem, Dionyſium ciuem ſuum, cognomento Atticum, qui et ſophiſta fuit bonus, et hiſtoriae orationum ſcriptor.* Paulo etiam clarius haec FABIVS QVINTILIANVS *r*) expoſuit: *Praecipue in ſe conuerterunt ſtudia Apollodorus Pergamenus, qui praeceptor Apolloniae Caeſaris Auguſti fuit: et Theodorus Gadareus, qui ſe dici maluit Rhodium, quem ſtudioſe audiſſe, cum in eam inſulam receſſiſſet,*

n) SVETONIVS Auguſt. c. 89. *Nae Graecarum quidem diſciplinarum leuiore ſtudio tenebatur: in quibus et ipſis praeſtabat largiter, magiſtro dicendi vſus Apollodoro Pergameno, quem iam grandem natu, Apolloniam quoque ſecum ab vrbe iuuenis adhuc eduxerat.*

o) Controu. 13. *p*) Tiber. cap. 57.

q) Geograph. l. 13. p. m. 430. *r*) Inſtit. orat. l. 3. c. 1.

ſet, dicitur Tiberius Caeſar. Hi diuerſas opiniones tradiderunt, appellatique inde Apollodorei et Theodorei, ad morem certas in philoſophia ſectas ſequendi. Sed Apollodori praecepta magis ex diſcipulis cognoſcas: quorum diligentiſſimus in tradendo Latine fuit C. Valgius, Graece Atticus. Contrarias opiniones idem variis locis notat. Apollodori libros auctor dialogi de cauſſis corruptae eloquentiae *s*) aridiſſimos vocat. Brutidius Niger apud SENECAM rhetorem *t*) Syriaco Vallio, homini diſerto, cum ageret, obiecit, quod cauſſam non ſatis propoſuerit diſtincte: cui Syriacus reſpondit: *primum non apud eundem praeceptorem ſtuduimus. Tu Apollodorum habuiſti, cui ſemper narrare placet: ego Theodorum, cui non ſemper.* etc. Turrinus Clodius apud SENECAM *v*) multum de viribus remiſerat, dum Apollodorum ſequitur, et ſummam legem dicendi eum eſſe putat.

§. VII.

HERMAGORAS Temnaeus Aeoliae, cognomine dictus *Carion*, Theodori diſcipulus, ſub Auguſto et Tiberio floruit. Romae cum Q. Caecilio docuit, vbi etiam admodum ſenex deceſſit. Et QVINTILIANI *x*) temporibus fuerunt, qui eum viderant. Artis rhetoricae libros edidit: quorum et STRABO *y*) meminit: ταῖς δὲ νῦν Αἰολικαῖς πόλεσιν, ἔτι καὶ τὰς αἰγὰς προσληπτέον, καὶ τὴν τῆμνον, ὅθεν ἦν Ἑρμαγόρας, ὁ τὰς ῥητορικὰς τέχνας συγγράψας. *Aeolicis quae nunc ſunt vrbibus, Aegae etiam addendae ſunt, et Temnus, patria Hermagorae, qui praecepta*

s) Cap. 19. *t*) Controu. 9. *v*) Praefat. lib. 5. controu.

x) Orat. inſtit. l. 3. c. 1. *Plura ſcripſit Theodorus, cuius auditorem Hermagoram ſunt qui viderint.*

y) Geograph. lib. 13. p. m. 427.

cepta artis rhetoricae ſcripſit. Libri non ſex, ſed quatuor ſunt apud SVIDAM: περὶ ἐξεργασίας, περὶ πρέποντος, περὶ φράσεως, περὶ σχημάτων. Et nouae ſectae videtur fuiſſe auctor. Ita enim QVINTILIANVS: *z*) *fecit deinde velut propriam Hermagoras viam, quam plurimi ſunt ſecuti: cui maxime par atque aemulus videtur Athenaeus fuiſſe.* Alibi: *a*) *Hermagorae, qui, finem* rhetoricae *eſſe, ait, perſuaſibiliter dicere, et aliis, qui eandem ſententiam, non iiſdem tamen verbis, explicant, ac finem eſſe demonſtrant, dicere quae oporteat omnia ad perſuadendum; ſatis reſponſum eſt, cum perſuadere non tantum oratoris eſſe conuicimus.* Idem *b*) illi hoc ſcripſit elogium: *Quo vitio*, ambitioſi de nominibus rerum laboris, *multi quidem laborarunt, praecipue tamen Hermagoras, vir alioqui ſubtilis, et in plurimis admirandus, tantum diligentiae nimium ſolicitae, vt ipſa eius reprehenſio laude aliqua non indigna ſit.* Sed vide ne Hermagoram hunc confundas cum eo, quem, vt FABIVS *c*) quoque teſtatur, ipſe Marcus Cicero ſecutus eſt. Is itidem rhetorica ſcripſit, et crebro cum a CICERONE, *d*) tum a CORNIFICIO *e*) citatur.

§. VIII.

CESTIVS PIVS, Smyrnaeus Rhetor, Latine docuit Romae Auguſto et Tiberio imperantibus. *f*) Epicu-

z) Orat. inſtit. l. 3. c. 1 *a*) Lib. 2. cap. 15. *b*) Lib. 3. cap. 11.

c) Orat. inſtit. l. 3. c. 11. *Paullum in his ſecum etiam Cicero diſſentit: nam in rhetoricis, quemadmodum ſupra dixi, Hermagoram eſt ſecutus.*

d) De inuentione lib. 1. cap. 6. 9. 11. 51. Bruto cap. 76. et 78.

e) Rhetor. ad Herennium lib. 1. cap. 11. vbi quidem alii *Hermetes*, pro *Hermagoras*, legunt.

f) EVSEBIVS chron. olymp. CXCI. ann. IV.

Digitized by Google

cureus fuit, licet *Pius* diceretur: nam, SENECA teſte, g) Deos negauit rebus humanis interponere arbitrium ſuum: *ſi interponant, voluntatem eorum ab homine non intelligi: vt intelligatur, non poſſe fata reuocari: ſi non ſint fata, ſacra profutura: ſi ſint, non poſſe mutari.* Eodem teſte, h) homo naſutiſſimus, at nullius ingenii, etiam Ciceroni infeſtus plurima contra eum dicere auſus fuit, quod illi non impune ceſſit. *Nam cum M. Tullius filius Ciceronis Aſiam obtineret, homo qui nihil ex paterno ingenio habuit praeter vrbanitatem, coenabat apud eum Ceſtius. M. Tullio et natura memoriam demſerat, et ebrietas, ſi quid ex ea ſupererat, ſubducebat: ſubinde interrogabat, quis ille vocaretur qui in imo recumberet: et cum ſaepe ſubiectum nomen Ceſtii excidiſſet, nouiſſime ſeruus, vt aliqua nota memoriam eius faceret certiorem, interroganti domino, quis ille eſſet, qui in imo recumberet, ait: hic eſt Ceſtius, qui patrem tuum negabat literas ſciſſe. Afferri protinus flagra iuſſit, et Ciceroni, vt oportuit, de corio Ceſtii ſatisfecit.* Sua tamen ſtultitia id effecit, vt iuuenes, qui frequentabant ſcholam, Ciceroni et optimis quibusque oratoribus Ceſtium ſuum longe praeferrent: huius declamationes ediſcerent, orationes illorum elegantiſſimas ne legerent quidem. i) Intrauit SENECA k) ſcholas, cum recitaturus eſſet in Milonem Ceſtius: ex conſuetudine ſua miratus dicebat: *ſi Thrax eſſem, Fuſius eſſem: ſi pantomimus eſſem, Batyllus eſſem, ſi equus, Meliſſio.* Non continuit bilem Seneca, et exclamauit: *ſi cloaca eſſes, magna eſſes.* Hinc riſus omnium ingens. Scholaſtici eum intuebantur ſubtriſtes, quaſi non ferrent,

g) Suaſor. 3. h) Suaſor. 7. extr.
i) SENECA epit. controu. lib. 3. praefat. k) L. c.

rent, qui praeceptorem ſuum ridere audeat. Ceſtius vero Ciceroni reſponſurus, ne inuenit quidem, quod reſponderet increpanti: ſed negauit ſe executurum, niſi exiret domo. Negauit hic contra ſe de balneo publico exiturum, niſi lotus eſſet. Libuit deinde Ciceroni de Ceſtio in foro ſatisfacere: nactus ſubinde eſt eum, in ius ad praetorem vocauit: et cum, quantum volebat, iocorum conuiciorumque effudiſſet, poſtulauit vt praetor nomen eius reciperet lege inſcripti maleficii. Tanta illi perturbatio fuit, vt aduocationem peteret. Deinde ad alterum praetorem eduxit, et ingrati poſtulauit. Iam apud praetorem vrbanum curatorem ei petebat, interuenientibus amicis, qui ad hoc ſpectaculum concurrerant, et rogantibus dixit, moleſtum ſe amplius non futurum, ſi iuraſſet, diſertiorem eſſe Ciceronem, quam ſe. Verum nec vt hoc faceret, vel ſerio effici potuit. Vtut ſenſibus abundaret, homo Graecus tamen Latinorum verborum inopia laborauit: et ſubſtitit, quoties aliquid deſcribere auſus eſt, donec ſe ad imitationem magni alicuius ingenii direxit. *l*) Ex tempore multa, et contumelioſe dixit; quamuis Graecus eſſet, nunquam tamen Graece declamauit, et quaſi mutaret perſonam, inter agendum, poſito pallio, togam ſumſit. *m*) Paſſim multas eius ſententias Seneca rhetor ex declamationibus excerpſit.

§. IX.

SEX. IVLIVS GABINIANVS rhetor huius temporis notiſſimus, cuius vitam SVETONIVS quoque ſcripſerat in libro de claris rhetoribus, quod ex eius indice cuilibet facile patet, illa vero libri pars interiit, vt nihil

l) SENECA controuerſ. 16. *m*) Idem controu. 26.

hil praeter nomen *Sex Iulii Gabiniani* ſuperſit. Meminit eius quoque auctor anonymus de oratoribus, ſiue de cauſſis corruptae eius aeui eloquentiae. *Quotus enim quiſque*, inquit, *n*) *ſcholaſticorum non hac ſua perſuaſione fruitur, vt ſeſe ante Ciceronem nominet: ſed plane poſt Gabinianum?* Et HIERONYMVS Euſeb. chron. olympiade CCXIII. *Gabinianus celeberrimi nominis rhetor in Gallia docuit.* Idem HIERONYMVS *o*) Gabiniani declamationes laudat: *qui ſi flumen*, inquit, *eloquentiae, et concinnas declamationes deſidêrant: legant Tullium, Quinctilianum, Gallionem, Gabinianum.*

§. X.

Protulit hoc tamen Latinae linguae ſeculum, vt in aliis diſciplinis, ſic in illa quoque diuina bene dicendi arte ſcriptores verſatiſſimos atque in primis illuſtres. Forſan et hanc linguae aetatem attigit, quem alibi commendaui, *p*) CORNIFICIVS Rhetor, etiam Fabio Quintiliano citatus, qui procul dubio verus auctor eſt librorum rhetoricorum ad Herennium. Illos enim Ciceronis eſſe, cuius operibus vulgo praemitti ſolent, multis argumentis dudum viri docti negarunt. Poſt aliorum diſceptationes etiam Schurtzfleiſchius, Wittebergenſis polyhiſtor, peculiari diſſertatione de auctoritate rhetoricorum ad Herennium, hunc et nullum alium fuiſſe illorum auctorem, ſuo more, i. e. eleganter ac diſerte monſtrauit. Praeter Cornificium et plures alii data opera quicquid in oratione praeclarum et elegans ex feliciori aetate, quae tranſiit modo cum optimis magiſtris cuſto-

n) Cap. 26. extr.

o) Praefat. 8. in Eſaiam. Confer. GERH. IOH. VOSSIVS de rhetoricae natura ac conſtitutione cap. 15.

p) De virili aetate L. L. part. 1. cap. 6. §. 7.

cuſtodiuere atque propagarunt. Hos inter principem locum tenet AVRELIVS CORNELIVS CELSVS, ab aliquibus ſeculo Auguſteo adſcriptus. Quo et ipſe vel propter floridam dictionem et orationis elegantiam referendus videretur, niſi COLVMELLA, *q*) qui ſub Tiberio floruit, virum ſui temporis eum vocaret. Certe ſua breuitate is non parum celſus etiam ſtili nitore medicorum Cicero dici meruit. De illius vero meritis plura inferius inter philoſophos recenſebimus. Scripſit non ſine cultu *r*) praeter alias de philoſophia, de arte ruſtica, de re militari commentationes et, qui fere extant ſoli, octo de arte medica libros, etiam *de arte dicendi* libellum: cuius hodie fragmentum habemus perexiguis viginti duobus capitulis. Decimo ſeptimo capite tractationis ſpem facit de ſtatu coniecturali, finitiuo et qualitatis. Duo priores ſtatus inde a capite duodeuiceſimo ad finem vſque expoſuit. Tertii ſtatus expoſitio, fortaſſe et plura, quae addenda fuere, alia deſiderantur. Quicquid vero illius ſuperſtitis libelli eſt: egregium vbique ſiſtit veteris Latii monumentum: quod prolixos veterum et alios, quos ipſe de ratione dicendi conſcripſit libros, mira breuitate praeuertens, eleganti compendio perſtrinxit. Vtrum vero, quod illius praefatione Sixtus a Popma liberalius paulo iudicat, monumentum ſit longe omnium praeſtantiſſimum elegantiori aliorum palato diiudicandum permitto. Libellum primus in lucem protraxit, atque typis Iohannis Rotaei *Coloniae* 1569. 8. deſcriptum Carolo Duci Iuliacenſi etc. ſa-

q) Lib. 1. cap. 1.

r) Vid. QVINTILIANVS inſtit. orat. l. 12. c. 11. et lib. 10. cap. 1.

Digitized by Google

ſacrum fecit laudatus Sixtus a Popma Phryſius: cui et frater Titus ſequens hexaſtichon ſcripſit:

Rhetoris, o lector, Celſi praecepta diſerti
Accipe, quae nimium delituere diu.
Quae fuerant multis ſparſim diffuſa libellis,
Arctat hic, et clara cum breuitate docet.
Omnia ſunt Sixti fratris patefacta labore:
Cui grates gratos ſoluere iure decet.

Haec prima editio cum euanuiſſet prope, raro certe eſſet obuia, nec iterata poſthac Ioh. Albertus Fabricius Vir Cl. integrum libellum, omiſſis tamen Popmae notis, bibliothecae Latinae volumini tertio a pagina 759. inſeruit. Nec longe poſt incomparabilis noſtrae aetatis polyhiſtor, Chriſtophorus Auguſtus Heumannus, poecilis ſiue epiſtolarum miſcellanearum tom. 1. libro 3. a pag. 378. cum male a librariis habitum obſeruarit, quam emendatiſſimum edidit: ſuis textui continuo ſubiectis emendationum rationibus et conjecturis.

§. XI.

Marcvs annaevs seneca Rhetor, Lucii Annaei Senecae Philoſophi pater, Cordubenſis Hiſpanus, ordinis equeſtris fuit, ſuaque eruditione inprimis clarus. Hinc Seneca filius *s*) *egone*, inquit, *equeſtri et prouinciali loco ortus, proceribus ciuitatis annumeror? Inter nobiles et longa decora praeferentes nouitas mea enituit?* Patriam quoque Cordubam cum liberi, tum nepotes Cordubenſes probant. Illa eſt enim colonia, intra quam ſe bellis ciuilibus continuiſſe, ipſe fatetur. *t*) Ea-

s) Apud tacitvm annal. l. 14. cap. 53. confer. eiuſd. l. 16. cap. 17.
t) Controuerſ. l. 1. praefat. Et l. 1. praef. iubet Melam filium ſuum ordine paterno eſſe contentum.

Eademque colonia, de qua STRABO *v*) *ᾤκησάν τε ἐξ ἀρχῆς ῥωμαίον τὲ καὶ τῶν ἐπιχωρίων ἐπίλεκτοι ἄνδρες. Καὶ δὴ καὶ πρώτην ἀποικίαν εἰς τοὺς δε τοὺς τόπους ἔστειλαν ῥωμαῖοι. et inhabitarunt eam* Cordubam *ab initio delecti Romanorum et indigenarum viri, primamque eo iſtis in regionibus coloniam Romani deduxerunt.* Delecti quidem, inquit, Romanorum: et nobiles fuiſſe, inde patet, quod PLINIVS *x*) aperte teſtatur, Cordubam coloniam patriciam cognominatam eſſe. Sic quoque nummus Auguſti aliquis caput eius oſtendit cum inſcriptione: PERMISSV. CAESARIS. AVGVSTI. et parte auerſa: COLONIA. PATRICIA. Cui titulo I. LIPSIVS *y*) cauſſam dediſſe arbitratur, quod ſplendida, et diues, patres ac Senatores rei Romanae daret. Nam Auguſti iam tum aeuo, ex prouinciis paſſim in Senatum legebantur. Natus eſt M. Annaeus Seneca ante bellum Caeſaris et Pompeii ciuile: vt ipſam Ciceronis aetatem attigerit. Cuius rei ſufficiens ipſe teſtis eſt, *z*) *cum omnes*, inquit, *magni in eloquentia nominis videor audiſſe. Nec Ciceronis quidem aetas mihi eripuerat, ſed bellorum ciuilium furor, qui tunc totum orbem peruagabatur, intra coloniam meam me continuit. Alioquin in illo atriolo, in quo duos grandes praetextatos ait ſecum declamare ſolitos, potui illud ingenium, quod ſolum populus Romanus par imperio ſuo habuit, cognoſcere.* Ducta in matrimonium Heluia, nobili et erudita ſuae gentis matrona, venit Romam, cum Octauianus Caeſar Auguſtus imperii faſces teneret. Porcii Latronis, cariſſimi ſodalis, intima familiaritate vſus eſt, a prima pueritia, vſque ad vltimum eius diem. *a*) Ad

Vv 2

v) Geogr. l. 3. p. m. 97. *x*) Hiſt. natur. l. 3. c. 1.
y) In vita L. Annaei Senecae cap. 1. *z*) Controuef. l. 1. praef.
a) SENECA controu. lib. 1. praefat.

Ad Alfium Flauum quoque audiendum fama perductus eſt. *b*) Et Marillii Rhetoris diſcipulus fuit: *c*) et plures alios eloquentia claros, vt ſeculum erat elegantioris diſciplinae foecundiſſimum, maxima cum voluptate et vſura doctores habuit. Hoc mirum, quod de patre ſuo L. Seneca *d*) ſcribit, philoſophiam odiſſe. Ego vero, cum haec indecora et aperta ſit patris inſectatio; nec obſcure Marcus Seneca noſter *e*) Melam filium ad philoſophiae ſtudium et quietem adhortetur, corruptam eſſe hanc lectionem puto, et hoc modo reſtituendam: *patre itaque meo rogante, qui non philoſophiam oderat, ſed calumniam timebat, ad priſtinam conſuetudinem redii.* Sed cum vxor eius Heluia literarum eſſet cupidiſſima: noluit tamen eam optimarum artium ſtudiis nimium indulgere: vnde ad hanc matrem ſuam in conſolatione Seneca philoſophus: *f*) *illo te duco, quo omnibus, qui fortunam fugiunt, confugiendum eſt, ad liberalia ſtudia: illa ſanabunt vulnus tuum, illa omnem triſtitiam tibi euellent. His etſi nunquam aſſueſſes, nunc vtendum erat: ſed quantum tibi patris mei antiquus rigor permiſit, omnes bonas artes non quidem comprehendiſti, attigiſti tamen. Vtinam quidem virorum optimus, pater meus, nimis maiorum conſuetudini deditus, voluiſſet te ſapientum praeceptis erudiri potius, quam imbui! non parandum tibi nunc contra fortunam eſſet auxilium, ſed proferendum.* Ex coniuge hac tres liberos ſuſcepit, *g*) Lucium Annaeum

b) Controu. l. 1. contr. 1. *c*) Controu. l. 1. praef. circ. fin.

d) Epiſt. 108. Sic quoque eius auerſum a philoſophia animum oſtendit tangitque, Conſol. ad Heluiam cap. 16.

e) Controu. l. 2. praefat. *f*) Cap. 16.

g) SENECA philoſophus conſol. ad Heluiam cap. 2. confer. controu. rhetoris praefationes.

naeum Senecam, de quo inter philoſophos, Annaeum Senecam Nouatum, ex adoptione poſtea Iulium Gallionem vocatum, et Annaeum Melam, Lucani parentem: in quorum gratiam, cum ſenex iam eſſet, declamationum libros collegit. Ex omnibus patet, et ipſe fatetur, *b*) etiam cum ſenectute laboraret, qui oculorum aciem retuderit, aurium ſenſum hebetauerit, neruorum firmitatem fatigauerit, excellenti fuiſſe memoria: quae olim in eo ita florebat, vt non tantum ad vſum ſufficeret, ſed in miraculum vſque procederet. Nam et duo millia nominum recitata, quo ordine erant dicta, reddebat: et ab his, qui ad audiendum praeceptorem conuenerant, ſingulos verſus a ſingulis datos, cum plures quam ducenti efficerentur, ab vltimo incipiens vſque ad primum recitabat. Nec ad complectenda tantum, quae vellet, velox erat iſti memoria: ſed etiam ad continenda, quae acceperat. L. ANNAEVS *i*) adhuc adoleſcens ex difficultate morbi aliquando impetum cepit abrumpendae vitae: ſed patris eum indulgentiſſimi ſenectus retinuit: quam laedere ipſi religioni erat. In Rhetorum ſchola Ciceronem vt tempore, ſic et facundia M. Seneca noſter excepit. Se enim, quod ſupra iam notauimus, Ciceronem in illo atriolo, in quo duos grandes praetextatos ait ſecum declamare ſolitos, ipſe teſtatur declamitantem audire potuiſſe, niſi illum natale ſolum Corduba, patricia colonia, ciuilium Italiae bellorum cauſſa continuiſſet. Cum ergo Romam perueniſſet tandem, atque multorum concurſus ad eum fieret, ac theſin propoſitam Graeci pariter atque Latini

b) Controuerſ. lib. I. praefat. ab init.
i) Epiſt. 78. ab exord.

declamitando verſarent, omnium ſophiſtarum, qui in eius aetatem inciderant, velut in theſauro quodam inuentiones condidit, atque monitus ab filiis ad poſteritatem literarum monumentis tranſmiſit. Marci Annaei Senecae epitaphium PHIL. LABB. *k*) tale habet.

Cura, labor, meritum, ſumti pro munere honores,
Ite, alias poſthac ſollicitate animas.
Me procul a vobis Deus euocat. I licet actis
Rebus terrenis, hoſpita terra, vale.
Corpus auara tamen ſolennibus accipe ſaxis,
Namque animam coelo reddimus, oſſa tibi.

§. XII.

Seneca Rhetor, cuius mentionem hactenus fecimus, tandem florere coepit ſub finem imperii Caeſaris Octauiani Auguſti, et Tiberii Imperatoris initium, ſcriptor facundus et ſolers, quique ex aetate ſermonis Romani florentiſſima viros ingenio praeſtantes, haud infelici ſucceſſu, aemulatus eſt, et ipſe ordinis equeſtris homo tradere artis praecepta nullus dubitauit. Cum ſenex iam eſſet, vt deſiderio Senecae Nouati, Lucii Senecae et Melae, filiorum ſatisfaceret, ex omnibus aetatis ſuae declamationibus, quas ipſe quidem in memoriam reuocare potuit, decem controuerſiarum libros collegit et vulgauit: ex quibus hodie vix quinque ſuperſunt, iique adeo mutili et corrupti, vt fragmentorum potius congeriei, quam integri alicuius corporis ſpeciem referant. Nam Graeca, quae non exiguam operis partem efficiebant, penitus interciderunt omnia. Latina vero ad nos peruenerunt manca, confuſa, perturba-

k) Theſauro Epitaph.

turbata, et vbique tam male ſunt habita: vt ſi redire liceret auctori, ipſe ſua eſſe eiuraret. Sed tamen etiam ex illis, quae ſuperſunt, facile patet, quanti Seneca hic fuerit acuminis, et quam acris iudicii, qui plus centum auctorum, tam Graecorum, quam Latinorum, qui Auguſti ſeculum illuſtrarunt, ſententias et acute in declamando inuenta dictaque congeſſit; congeſta inter ſe contulit, ac ſeueriſſime de ſingulis iudicando, illorum diuina ingenia velut in tabula quadam depicta ad poſteritatem tranſmiſit. De ſtilo ANDREAS SCHOTTVS *l*) ita iudicare non dubitauit, nihil eſſe in lingua Latina, cum a Cicerone, Fabioque diſceſſeris, ſcriptum purius, aut elegantius: iudicium vero et acumen in aliorum ingeniis dictisque cenſendis, ſummum ac proprium illius. Declamationes eius, quas edidit, quarumque vnam QVINTILIANVS *m*) meminit, temporum iniuria, ſimul periere omnes. Sed ex vngue leonem. Deſcribit ille artis oratoriae ſummus magiſter declamatorum audaciores affectus ac felices non ſine motu imaginationes: vt res non tam narrari, quam agi videantur. Prouocat vero ad Senecae noſtri exemplum in controuerſia, cuius ſumma eſt, quod pater filium et nouercam, inducente altero filio, in adulterio deprehenſos occidit: *Duc, ſequor: accipe hanc ſenilem manum, et quocunque vis imprime. — Aſpice, quod diu non credidiſti. Ego vero non video: nox oboritur, et craſſa caligo.* Si LVDOVICVM VIVEM *n*) Senecam Rhetorem ſedulo euoluere licebit, a quo multum adiuuari poſſi-

l) Editionis ſuae praefatione de auctore et declamandi ratione pag. 5.

m) Inſtit. orat. l. 9. c. 2.

n) Lib. 3. de tradend. diſcipl.

poſſimus verborum et propriorum et translatorum vi, tum copia et veritate: vt rem eandem crebro et ſine faſtidio poſſimus exponere. Multumque alere poteſt facundiam Latinam metaphoris potiſſimum, prae ceteris ſcriptoribus dextre accommodatis.

§. XIII.

Ex omnibus Senecae Rhetoris operibus hodie nihil exſtat praeter *quinque libros controuerſiarum*, qui ex decem, nec integri et valde corrupti ſuperſunt; *epitomen, ſeu excerpta ex libris controuerſiarum* decem memoratis; et *ſuaſorias*, quas licet poſt controuerſias *o*) edidit, vulgo tamen illis praemittere ſolent: quia ſuaſoriae, vtpote faciliores, olim controuerſias in rhetorum ſcholis anteceſſerint. *p*) Ex tragoediis, quae Senecae tragici nomen prae ſe ferunt, Daniel Heinſius *Herculem furentem*, *Thyeſten* atque *Oedipum* rhetori noſtro tribuit. Sed de iſtis ſupra quaedam monuimus. Ad controuerſiarum et ſuaſoriarum libros quod attinet, NIC. FABER *q*) non ſatis conqueri poteſt, quam corrupti et mutili ad nos venerint. Eandemque Senecae noſtri ſortem miſeratus AND. SCHOTTVS *r*) fruſtra conquiſiuit vetera exemplaria: quod filii philoſophi Stoici ſcriptis plenae ſint omnes omnium bibliothecae, contra vero nullus rhetoris codex antiquus inueſtiganti offerretur. E Vaticano codice controuerſiarum libri primum editi ſunt *Venetiis* 1490. iterumque 1503. Graecis, quae paſſim a Seneca fuerant adſperſa, omiſſis, et Latinis valde corruptis. Suaſoriae primum adiectae

o) Controuerſia XII. enim iſtas demum promittit.

p) Vid. Andreae Schotti praefat. *q*) In praefatione.

r) Vid. eius ad Lipſium epiſtola Senecae ab ſe edito praemiſſa.

Digitized by Google

iectae ſunt anno 1512. *Baſileae* in editione Frobeniana: quas Heruagiana duplex, ex recenſione Eraſmi vna, altera Coelio Curione Secundo accurante, ſecuta eſt. Andr. Schottus tandem anno 1603. ex Codicibus MStis Graecorum hiatus ſuppleuit. Optima ergo Senecae Rhetoris editio eſt quae ad Calcem Senecae philoſophi ex recenſione Fed. Morelli prodiit *Pariſiis* 1613. fol. cum integris notis et commentariis Nic. Fabri, Andr. Schotti, Ian. Gruteri, Fr. Iureti, Iuſti Lipſii, Ioh. Petreii, Fer. Pinciani, I. Opſopoei. Adiectus eſt Andreae Schotti de claris apud Senecam rhetoribus libellus. Editiones reliquas recenſebimus, vbi de Seneca philoſopho, quocum parentis opera reliqua vulgo edi ſolent.

§. XIV.

VIRGINIVS RVFVS Rhetor temporibus Neronis iuuentutem in eloquentiae ſtudio exercebat. *s*) Teſte FABIO *t*) de arte Rhetorica ſcripſit. Illius etiam meminit PLINIVS *v*) et TRANQVILLVS de claris Rhetoribus, ſi fides eſt catalogo, quem ACHILLES STATIVS Luſitanus in vtriuſque manuſcripti ſui principio reperit. *x*) Ibi vocatur *Virginius Flauus*, et dictus videri poſſit *Virginius Flaccus*, vt apud veterem Perſii ſcholiaſtem, *y*) niſi *Flauus* quoque in vetuſto B. Vulcatii codice ſcriptum inuenerit LIPSIVS, qui teſtatur hoc ad Taciti annalium decimum quintum librum.

§. XV.

s) Vid. TACITVS annal. l. 15. *t*) Inſtit. orat. lib. 3. c. 1. *v*) Lib. 2. epiſt. 1. *x*) Confer. VOSSIVS de Rhetorica natura ac conſtitutione cap. 13. *y*) In vita Perſii.

Digitized by Google

§. XV.

Marcvs fabivs qvintilianvs, *z*) natione Hiſpanus, oppido Calaguri Tarraconenſis prouinciae natus. Ita enim diſerte hieronymvs: *a*) *Quintilianus ex Hiſpania Calaguritanus, qui primus Romae* etc. cassiodorvs: *b*) *His conſulibus*, Siluano et Priſco, *Quintilianus ex Hiſpania primus Romae ſcholam publicam et ſalarium e fiſco accepit, et claruit.* Et avsonivs, *c*) vbi Tiberium Victorem Mineruium alterum vocat rhetoricae Quintilianum togae,

Adſerat, inquit, *vſque licet Fabium Calagurris alumnum:*
Non ſit Burdigalae dum cathedra inferior.

His tamen atque aliis veterum teſtimoniis auctor vitae Quintiliani fidem non habet, eumque Romae natum fuiſſe aſſerit: 1. quod martialis *d*) Calaguritani agri alumnus, cum Iberos memoria dignos ſuis inſerat epigrammatibus, nullam Quintiliani mentionem faciat, eum vero ſeparatim cum veneratione nominet: *e*) 2. quod ipſe dicat, ſe, cum eſſet adoleſcentulus, cognouiſſe Domitium Afrum et Senecam, qui ambo ſub Nerone perierunt: 3. quod Seneca in libro ſexto diuiſionum Quintiliani declamatoris meminerit, qui ſit M. Fabii Quintiliani auus, et Romae multis annis rhetoricen cum ſumma laude docuerit: 4. quod ipſe rurſum Quintilianus mentionem faciat patris, qui cauſſidicus fuit apud

z) In quibuſdam veterum exemplis *Quinctilianus* legitur, perinde vt *Quinctus*, *Quinctilis* etc.

a) Chron. Euſeb. ann. Domini 90. *b*) Chron. ſub Flauio Domitiano.

c) Commemoratione Burdigalenſium Profeſſorum c. 2.

d) Lib. 1. epigr. 62. *e*) Lib. 2. epigr. 90.

apud principem. Quod ad primum attinet, ex ſilentio ſcriptoris alicuius nihil probari poteſt. Martialis vero etiam, vt epigrammata ſcriberet, breuitatis eſſe ſtudioſus, et minime omnes, verum illos tantum, qui ad feliciorem carminis exitum vel ex poetis primum obuii, nominare debuit. Nec ſtringunt reliqua: haud enim raro viri illuſtres ex prouinciis Romae aliquantisper vixerunt, et pro lubitu in patriam redierunt. Ita Valerius Flaccus Patauium, Statius Neapolim, et ipſe Martialis natione Hiſpanus et Bilbilitanus poeta cum eſſet prouectior, taedio rerum vrbanarum affectus, in patriam rediit. Quod ad maiores Fabii attinet, omnino parentis ſui meminit *f*) et *cur*, inquit, *me prohibeat pudor vti domeſtico exemplo? Pater meus contra eum, qui ſe legationi immoriturum dixerat, deinde vix paucis diebus inſumtis, re infecta redierat: non exigo vti immoriaris legationi, immorare.* Ex quibus patet, eum quoque rhetorem fuiſſe ac ſuis inclaruiſſe declamationibus. Et quidni illum dicamus fuiſſe ipſum Quintilinum rhetorem, cuius M. ANN. SENECA *g*) meminit? Sunt, qui auum eius fuiſſe arbitrantur; vt AND. SCHOTTVS *h*) Marcum Fabium Quintilianum, auum, patrem et nepotem oratores agnoſcit: et GER. IOH. VOSSIVS *i*)

 co-

f) Inſtit. orat. lib. 9. c. 3. Alius videtur fuiſſe Quintilianus tribunus plebis apud TACITVM annal. l. 6. c. 12. init. quem Tiberius Caeſar literis modice increpauit, ignarum antiqui moris ob iuuentam. De aliis Quintilianis vid. IO. ALB. FABRICIVS bibl. Latinae volumine altero pag. 675.

g) Praefat. lib. 5. controuerſ. et lib. 5. controu. 33.

h) De claris apud Senecam rhetoribus pag. 26.

i) Inſtit. orat. l. 1. cap. 11. Confer. eiuſd. de rhetorices natura et conſtitutione cap. 15. p. m. 105.

eorum probat ſententiam, qui Senecae illum Quintilianum noſtri auum fuiſſe arbitrantur. Sed nihil muto, atque iſtum, quae et NICOLAI FABRI *k*) ſententia eſt, aut rhetoris noſtri, cuius elegantiſſimi et doctiſſimi oratoriarum inſtitutionum libri frequentantur, parentem fuiſſe credo, aut quemuis alium, nullius certe nominis aut famae, qui vix ſuo tempore innotuit, et cuius memoriam cum eo extinctam eſſe, iam tum SENECA *l*) teſtatus eſt. Certe noſter patris quidem ſui declamatoris mentionem facit, nullam aui. Neque ex veteribus quiſquam plurium Quintilianorum meminit, qui tantam declamationibus ſibi laudem pararint. Quoquo ſe res habeat modo Marcus Fabius Quintilianus, teſte HIERONYMO, *m*) a Galba Romam perductus eſt, poſt Neronis necem, valde adoleſcens, circa annum Chriſti LXVIII. Romae multorum ſuſpecit patrocinium; *n*) neque ſolum in foro maxima cum gloria verſatus eſt, verum etiam ad docendi munus artemque rhetoricam praeſertim tradendam inſigni cum alacritate animi fidam aliquando tranſtulit ſuam operam. Adeo ſibi doctrina, ſtudio et induſtria nominis famam, opes, Romanam ciuitatem et nobilitatis iura parauit. Feliciora attigit Titi Flauii Veſpaſiani tempora, qui teſte SVETONIO *o*) primus e fiſco Latinis Graecisque rhetoribus annua centena *p*) conſtituit, praeſtantes poe-

k) Comment. in Senecae praefat. l. 5. controu.

l) L. c. *m*) Chron. Euſeb. Olymp. 212. anno Domini 71.

n) Ita ipſe inſtit. orat. l. 7. c. 2. *Fuerunt autem tales noſtris etiam temporibus controuerſiae, atque aliquae in meum quoque patrocinium inciderunt.* *o*) Eius vita cap. 18.

p) Centena ſeſtertia, quod annuum ſalarium noſter e fiſco pro ſchola publica rhetorica accepit, reſpondent noſtrae monetae thaleris mille ſexcentis et ſexaginta.

Digitized by Google

poetas, nec non et artifices coemit: atque ita ſchọlam primus publica auctoritate conſtituit. *q*) Et Fabius noſter primus circa annum Chriſti LXX. e fiſco publico ſalarium recipiens, gymnaſio Romano ſtudioſam iuuentutem coepit docere artem dicendi, ſuaque praecepta vſu frequenti et exercitatione felicius inculcauit. *r*) Ex ea ſchola, tanquam ex equo Troiano, maximi prodierunt viri, et literarum amantiſſimi heroes: quos inter et conſulis Flauii Clementis filii fuerunt: et hodie Plinius laudatur iunior, qui lubentiſſime Quintilianum praeceptorem ſuum vocat *s*) et praeceptorum meminit, quae ex eo olim audiuiſſe grata mente agnoſcit. Idem Iulium Naſonem commilitonem ſuum fuiſſe [illegible] dicat, *t*) qui non ſtudiorum modo, verum [illegible] ſtudioſorum amantiſſimus prope quotidie [illegible] audiendos, quos ipſe tunc frequentarit, Quin[illegible]lum et Nicetem ſacerdotem venerit. Atque e[illegible] ille cum maxima dignitate polleret in rep. Q[illegible]liano praeceptore ſuo valde familiariter vſus [illegible], literas ad eum ſaepius ſcripſit, ac filiae illius nu[illegible]nti quinquaginta millia nummum dono dedit. [illegible] Diſcipulum Quintiliani Caium Caelium orato[illegible] fuiſſe, qui tantum ſub eius manuductione pro-

q) Legimus quidem apud eundem SVETONIVM de illuſtribus Grammaticis c. 17. quod iam tum ſub Auguſto Verrius Flaccus ſeſtertia centena in annum acceperit: ſed ille ex ſingulari gratia, qua apud Auguſtum valebat, eiusque nepotibus erat praefectus, minime vero ad vſum communem Romanae iuuentutis pecunias accepit.

r) Vid. EVSEBIVS chron. anno Chriſti 90. et CASSIODORVS in chronico, Siluano et Priſco COSS.

s) PLINIVS lib. 2. epiſt. 14. n. 9. *t*) Lib. 6. ep. 6. n. 3.

v) Vid. PLIN. lib. 6. epiſt. 32.

profecerit, vt omnes ſui temporis oratores facile ſuperarit, ac plenum diſciplinae caſtigatiſſimae teſtimonium reliquerit, auctor anonymus ſcribit, qui M. Fabii Quintiliani vitam, vulgo illius operibus affixam, poſteritati probauit. Sed mendum ſatis apertum eſt, et omnino legendum *Caius Caecilius*, nec alium intelligit, quam *Caium Plinium Caecilium Secundum.* Quod equidem miror, I. ALB. FABRICIVM *x*) his literis verſatiſſimum noſtri ſeculi polyhiſtorem non animaduertiſſe, et ea lectione ſecurum ſcribere: *ex diſcipulis Quintiliani illuſtribus fuere C. Caelius orator et Plinius iunior, qui eum modicis facultatibus fuiſſe teſtatur.* Et ne quis eum ex [illegible]linii teſtimonio proletariorum ordini adſcriptum fuiſſe cre[illegible] eius ad Quintilianum ſcripta epiſtola *y*) probe intelligen[illegible] eſt. Ecquis ſibi perſuadere poterit, illum praeceptori ſuo [illegible]idem viro conſulari, voluiſſe paupertatem literis expro[illegible] Liberales etiam erga diuites poſſumus eſſe, noſtrisq[illegible]nis virginum ſplendido viro nubentium ornamenta aug[illegible] Etiam non parata pecunia, praediis facile ac diuitiis a[illegible]ndare licet: Frugalitatem Quintiliani praedicat, quod [illegible] continentiſſimus ſit, filiamque ſuam decenti modo inſtitu[illegible] nulla prorſus re luxuriantem. Quoniam vero nunc in[illegible]ſtriori viro nupturae ratio ciuilium officiorum neceſſitatem quandam nitoris imponat; **weil die vornehme Braut genöthiget einen gröſſeren Staat zu führen:** vt amiciſſimus parenti, imo vt parens alter puellae, oneris partem ſibi vindicat, et quinquaginta millia nummum confert; plus collaturus, niſi a patris verecundia conſi-

---

x) Bibl. Lat. part. 1. l. 2. c. 15. pag. 422.

y) Lib. 6. epiſt. 32.

conſiderit ſola munuſculi mediocritate impetrari poſſe, ne recuſaret. Eum ſcribit *animo beatiſſimum, modicum facultatibus*: **der mit dem wenigen vergnügt / was er hat; und ſonſten von niemand etwas begehre.** Modicus certe noſter facultatibus fuit, ſi cum maximis Plinii, aut Nonii Celeris generi ſui diuitiis componendae fuiſſent. Sed felix fatis et diues, inter omnes ſui temporis doctores, Quintilianus eſt etiam IVVENALI: z) vbi eum ceterorum nomine producit, qui parum pretii pro liberorum inſtitutione reportarint ab ſordide auaris parentibus. Ipſum vero diuitem fuiſſe, ac ſaltus habuiſſe multos: fortunae tribuit, non literario muneri, aut praemiis pro fideli filiorum informatione ab liberalitate parentum accipiendis:

Hos, inquit, *inter ſumtus ſeſtertia Quintiliano*
Vt multum duo ſufficient; res nulla minoris
Conſtabit patri, quam filius. Vnde igitur tot
Quintilianus habet ſaltus? exempla nouorum
Fatorum tranſi. etc.

Cum in publico gymnaſio noſter annis viginti rhetoricam docuerit, circa annum Chriſti X C. Domitiano imperante, publico muneri valedixit, ſuisque ſtudiis quietem nactus et otium elegantiſſimos oratoriae inſtitutionis libros edidit. Ita enim ipſe: a) *poſt impetratam ſtudiis meis quietem, quae per viginti annos erudiendis iuuenibus impenderam, cum a me quidam familiariter poſtularent, vt aliquid de ratione dicendi componerem* etc. Alibi: *Nos quando et praecipiendi munus etiam pridem deprecati ſumus, et in foro quoque dicendi, quia honeſtiſſimum finem putabamus deſinere, cum deſideraremur.* Cum

z) Satyr. 7. v. 186. ſeqq.

a) Inſtit. orat. initio.

Cum a praecipiendi atque in foro dicendi munere vacationem impetrarit iam, ſuosque ad Marcellum Victorem pararet de oratoria inſtitutione commentarios: domeſtico vſu contentus, vt ſui et illius amici filii diſciplinam formaret: noua diligentiae cauſſa et altior ſollicitudo acceſſit. Domitianus enim, tyrannus et infenſiſſimus philoſophorum hoſtis, ſororis ſuae nepotum illi curam delegauit. Quem honorem oneris magnitudine profecto metiri debuit, ac patrono ſuo adulari: quem, vt tempora erant triſtia, ſanctiſſimum morum cenſorem et principem vocat, vt in omnibus, ita in eloquentia quoque eminentiſſimum. *b*) Hinc ad ſummum honoris gradum euectus anno Chriſti XCVI. ab V. C. DCCCXLVII. Fl. Domitiano Auguſto XVII. et T. Flauio Clemente coss. huius commendatione Quintilianus ipſi noſter conſul ſurrogatus eſt: ita quidem, vt, teſte AVSONIO, *c*) conſularia per Clementem (cuius liberos olim quoque inſtituerat) ornamenta ſortitus, honeſtamenta nominis potius videretur, quam inſignia poteſtatis habuiſſe. Ipſum magna tamen gloria manebat: quod eloquentiae magiſter ſenatorio clauo et ornamentis conſularibus inſigniretur. Quam ob rem MARTIALIS *d*) rogans vt ſibi etiam in tenui re fugientis vitae gaudia carpere liceret, noſtrum alloquitur:

Quin-

b) QVINT. inſt. orat. lib. 4. prooem.

c) Ad Gratianum Imper. diſcipulum gratiarum actione pro conſulatu cap. 10. *Quintilianus conſularia*, inquit, *per Clementem ornamenta ſortitus, honeſtamenta nominis potius videtur, quam inſignia poteſtatis habuiſſe.*

d) Lib. 2. epigr. 90.

Digitized by Google

Quintilianae, vagae moderator ſumme iuuentae,
Gloria Romanae, Quintiliane, togae.

Et irriſor IVVENALIS: *e*)

Si fortuna volet, fies de rhetore conſul,
Si volet haec eadem, fies de conſule rhetor.

Ciceronis quoque exemplum innuens, qui factus de rhetore conſul; atque Valerii Liciniani, qui exul de ſenatore, rhetor de conſule factus. *f*) Saepius animum ſubit dubitatio, quid ſit, num Quintiliani ſumma auctoritas, quae maior in aliis et doctis huius ſeculi viris profecto fuit; an alia cauſſa, vt ſatyricus ille poeta non modo rhetorum loco omnium principem nominauerit noſtrum; verum etiam data quauis occaſione illius docti, probi et diſerti viri nomen prope vt appellatiuum carminibus ſuis vſurpare conſueuerit. Hominem a coniuge caſte amandum bonum et ſincerum fuiſſe oportet. Nam vbi Poſtumo diſſuadet matrimonium et ſtilo mordaci in muliercularum ſcenicos ludos, libidines, ſuperbiam, Graecae linguae et liberalium diſciplinarum inuerecundam affectationem, ſuperciliosum denique et impatiens imperium inuehitur, inter alia acerbiſſima: *g*)

Soluitur his magno, inquit, *comoedi fibula. Sunt quae*
Chryſogonum cantare vetent. Hiſpulla tragoedo
Gaudet. An exſpectas, vt Quintilianus ametur?

Rurſum: *h*)

Sed iacet in ſeruis complexibus, aut equitis, dic,
Dic aliquem ſodes, dic, Quintiliane, colorem.

i. e. ſi quid ſentio, dic, oratorum diſertiſſime, pro con-

e) Satyr. 7. v. 197.
f) Confer. PLINIVS l. 4. epiſt. 11.
g) Satyr. 6. v. 73.
h) Ibid. v. 279.

Yy

conſueta eloquentia, colorem aut rationem aliquam ad magnitudinem ſceleris excuſandam. Sed docta hic fortaſſe magis placebit ignorantia. De re domeſtica optimus ipſe teſtis eſt. *i*) In matrimonium duxit feminam nobiliſſimam, quae nondum expleto aetatis vndeuiceſimo anno duos enixa filios, quamuis acerbiſſimis rapta fatis, felix in ipſo iuuentutis flore, deceſſit. Quo malo ſic erat afflictus, vt iam nulla ſibi perſuaderet fortuna poſſe felicem effici. Liberis tamen ſuperſtitibus oblectabatur: donec filius minor, quintum egreſſus annum, immatura morte alterum ipſi ex duobus videretur eruere lumen. Quem nec longe poſt alter ſecutus eſt filius, decimum aetatis ingreſſus annum, cum obierit diem ſupremum, maximae ſpei iuuenis, cuius eminens ingenium ſolicitam parentis diligentiam merebatur. Triplex orbitatis vulnus largis proſecutus eſt lacrumis, ſuaque calamitate domeſtica debilitatus iam longe progreſſum opus, cuius ſcribendi calcar fuit defuncti iam natu maioris filii virtus, non modo intermiſit, verum et reliqua omnia ſua diſtulit ſtudia. Tandem vero proculcatis doloribus, ſpretisque omnibus fortunae ludibriis, ad coeptum opus rediit et optimum in aduerſis ſolatium a literis petiit, ratus et aliorum quam priuatis ſeruire commodis glorioſius eſſe. Mox ad ſecunda vota tranſiit, ac Tutilii equitis Romani filiam vxorem duxit, filiamque ex eo matrimonio ſuſcepit, forma et virtute inſignem: quae honeſtiſſimo viro, Nonio Celeri, Hiſpaniae praeſidi, nupſit: cui, vt PLINIVS *k*) loquitur, ratio ciuilium officiorum neceſſitatem quandam nitoris imponebat: vt ſponſa, pro conditione mariti, veſte et comitatu ſplen-

i) Libri 6. prooemio. *k*) Lib. 6. epiſt. 32.

ſplendidiori indigeret. De Celere hoc procul dubio ad Auctum MARTIALIS ſcribit: *l*)

Gratum eſt, quod Celeri noſtros legis, Aucte, libellos:
Si tamen et Celerem, quod legis, Aucte, iuuat.
Ille meas gentes et Celtas rexit Iberos,
Nec fuit in noſtro certior orbe fides.
Maior me tanti reuerentia turbat: et aures
Non auditoris, iudicis eſſe puto.

Vti vero, hanc Quintiliani filiam ex ſecundo matrimonio fuiſſe, credam, maxime inducor illius ſilentio, vbi coniugis et filiorum meminit, et quicquid rerum domeſticarum ſe afficiat, non ſine lacrumis exponit; nullam vero, quae tum ne quidem nata, filiae optime inſtitutae mentionem facit. De obitu nihil certi conſtat: ſed tamen aetate grandior, vt florentem Plinii diſcipuli ſui fortunam, ſic et plures Traiani imperatoris annos attigiſſe videtur. Vitam eius ſcripſit anonymus, quae vulgo praemittitur eius operibus. Sed conſulendi ſunt in primis HENR. DODWELLI annales Quintilianei; *m*) TILLEMONTIVS hiſtoria imperatorum; *n*) NIC. GEDOYNVS, Quintiliani Gallicus interpres. *o*)

§. XVI.

Nominis immortalitatem meruit *inſtitutionum oratoriarum libris XII.* ad Marcellum Victorinum, *p*) ami-

l) Lib. 7. epigr. 51. *m*) Annales hi prodiere Oxon. 1693. 4. Quos et BVRMANNVS Quintiliano ſuo ad calcem voluminis 1. adiecit. *n*) Tom. 2. Domitiani c. 22.

o) Confer. Iournal des Sau. 1718. Nou. pag. 454. Europe Sauante 1719. Mar. p. 125.

p) Quem auctor vitae anonymus perperam cum filio Quintiliani confundit. Confer. QVINTILIANI prooem. lib. 6. vbi praematurum filii huius decennis obitum deplorat.

amiciſſimum quem inter multos habuit; et cuius filio hos libros plurimum profuturos credidit. Liber *primus* elementa ante rhetoris officium continet: *ſecundus* rhetorices progymnaſmata: *tertius*, *quartus*, *quintus*, *ſextus et ſeptimus* inuentionem et diſpoſitionem cum orationis partibus: *octauus*, *nonus et decimus* elocutionem: *vndecimus* memoriam et pronunciationem: *duodecimus* vltimam denique partem definitionis oratoris, i. e. mores, virtutes et officia pertractat. Operis initio bibliopolae Tryphoni *q*) illius edendi cauſſam ſignificat, quod ipſe illud vehementer, et prope quotidiano conuicio, efflagitarit. Simul docet, quod opinatus ſit, nondum ſatis maturuiſſe libros iſtos, quibus componendis paulo plus quam biennium, tot alioqui negotiis diſtrictus, impenderit: quod tempus non tam ſtilo, quam inquiſitioni operis inſtituti prope infiniti, et legendis auctoribus, qui fuerint innumerabiles, datum ſit. Probat Horatii conſilium in arte medica, ne praecipitetur editio, nonumque prematur in annum. Scriptis ſuis libris otium dediſſe, vt refrigerato inuentionis amore, diligentius repetitos tanquam lector perpenderet.

§. XVII.

Extant M. Fabio Quintiliano perperam adſcriptae *declamationes* primum vndeuiginti maiores, deinde fragmenta alia, ſeu quae ex CCCLXXXVIII. ſuperſunt CXLV. declamationes, poſt Tadei Vgoleti Parmenſis editionem, *r*) ex veteri manuſcripto a P. Pithoeo reſtitutae:

q) Huius et MARTIALIS meminit lib. 4. epigr. 72. et lib. 13. epigr. 3.

r) Breuiores CXXXVI. declamationes iſtas Tadeus Vgoletus primum,

tutae: quibus et Calpurnii Flacci ſupra quinquaginta duae excerptae X. rhetorum anne&tuntur. Quantum illas quidem vndeuiginti declamationes, Fabii rhetoris inſtitutionibus vulgo ſubie&tas attinet, de quibus BARTHIVS *s*) nimis ſane benigne, quantiuis eſſe pretii, iudicat: VOSSIVS *t*) haud immerito arbitratur, neque eius eſſe, qui declamationes fecit alteras, quibus nihil habent ſimile; neque illius, qui vtiliſſimas nobis oratorias inſtitutiones reliquit: cui et ERASMVS *v*) eas abiudicat, et LVD. VIVES *x*) plane alias eſſe a Fabii praeceptis, et tales vt contra iſtiuſmodi formulas potiſſimum inuehatur. PHILELPHVS *y*) quoque declamationes iſtas vehementer perſtringit. Et ſunt veteres libri MSti, in quibus Marco cuidam Floro tribuuntur. Imo a nonnullis Poſtumii iunioris eſſe creduntur, eo quod TREBELLIVS POLLIO *z*) dicat, iſtum ita in declamationibus diſertum, *vt eius controuerſiae Quintiliano dicantur inſertae; quem declamatorem Romani generis acutiſſimum, vel vnius capitis lectio, prima ſtatim fronte demonſtrat.* Eſto ſuperſtites illas vndeuiginti *a*) eſſe Quintiliani patris: certe quas addiderunt ex maiori numero centum et quadraginta quinque recentioris cuiuſdam ſunt

 rheto-

mum edidit *Parmae* 1494. *Pariſiis* 1509. recuſas. Petrus Aerodius deinde emendatas ſuiſque notis illuſtratas edidit *Pariſiis* 1563. 4. *Mediolani* 1619. recuſas. Sed reliquas nouem Petrus Pithoeus addidit prioribus e MSC. codice emendatis *Pariſiis* 1580. 8. *Heidelbergae* 1594. 8. *Geneuae* 1636. 8. recentioribus editionibus aliis.

s) Aduerſ. l. 58. c. 14. *t*) Inſtit. orat. l. 1. c. 11.

v) In Ciceroniano. *x*) De corruptis diſciplinis lib. 4.

y) Epiſtola ad Iohannem Tuſcanellam.

z) Triginta tyrannis cap. 4.

a) In pleriſque omnibus Quintiliani editionibus obuias.

rhetoris; cuius cum ignoraretur nomen, Quintiliani notiſſimi declamatoris, ſed vetuſtioris nomen adſcriptum fuit. Imo iam tum Quintiliani aetate fuerunt, qui declamationum farragines vndecunque collectas illi adſcribere non verebantur: contra quos ipſe *b*) *id genus*, ſcribit, *de quo nouiſſime dixi, non ſolum in ſcholis ſaepe tractatur, ſed etiam in foro. Nam id eſt in cauſſa Naeuii Apruniani ſolum quaeſitum, praecipitatane eſſet ab eo vxor; an ſe ipſa ſua ſponte iecilſet? Quam actionem equidem ſolam in hoc tempus emiſeram, quod me ipſum feciſſe ſeductum iuuenili cupiditate gloriae fateor. Nam ceterae, quae ſub nomine meo ferunt, negligentia excipientium in quaeſtum notariorum corruptae, minimam partem mei habent.* Oxonienſes ſuperioris ſeculi anno XCIII. Quintiliani declamationes ediderunt, ſolas quidem vndeuiginti priores, miſeras illas, quas vocant CXLV. a Pithoeo editas, ſuis laboribus non dignas iudicantes. Atqui etiam iſtas IOH. STVRMIVS, *c*) vt foro et iudiciis non idoneas, reiicit: qui et Plinii panegyricum, omnium certe elegantiſſimum veteris Latii monumentum, eadem de cauſſa repudiat. Sed tamen veteribus paſſim non ſine elogio citantur. LACTANTIVS *d*) optime Quintilianum, inquit, in *Fanatico* dicere: *iſtud ſi Deus cogit, iratus eſt.* Idem *e*) commendat, duod a Quintiliano egregie ac breuiter dictum in *capite obuoluto*, tantam virtutem non eſſe innocentiam, niſi laudem raritas dediſſet. Rurſum, *f*) vbi monuit, nullam eſſe tam perditi pudoris adulteram, quae hanc cauſſam vitiis ſuis non

b) Inſtit. orat. l. 7. c. 2.
c) De imitat. oratoria lib. 1. c. 4.
d) Diuinarum inſtitutionum lib. 1. cap. 21.
e) Lib. 5. cap. 7. *f*) Lib. 6. cap. 23.

non praetendat, iniuriam ſe peccando non facere, ſed referre, ad Quintilianum prouocat, qui illud optime expreſſerit, *homo*, inquiens, *neque alieni matrimonii abſtinens, neque ſui cuſtos: quae inter ſe natura connexa ſunt.* AVSONIVS *g*) tacite palmam et primum rhetores inter locum Quintiliano dedit: quem non ſine aſſentationis nota Tiberio Victori Mineruio ſuo aſſerere ſtudet:

Primus, inquit, *Burdigalae columen dicere, Minerui,*
Alter rhetoricae Quintiliane togae.

Mox:

Seu libeat fictas ludorum euoluere lites,
Ancipitem palmam Quintilianus habet.
— — — — — — —
Et Demoſthenicum quod ter primum ille vocauit,
In te ſic viguit: cedat vt ipſe tibi.

Idem: *h*)

— — — — *memorabo quietos*
Agricolas, legumque catos, fandique potentes,
Praeſidium ſublime reis, quos curia ſummos
Municipum vidit proceres, propriumque ſenatum.
Quos praetextati celebris facundia ludi
Contulit ad veteris praeconia Quintiliani.

HIERONYMVS: *i*) *Puto te Quintiliani controuerſiae recordari, in qua pauper cauſatur, dolens ob interitum apum* etc. Idem: *k*) *me vero procul ab vrbibus, foro, litibus, turbis remotum, ſic quoque, vt Quintilianus ait, latentem inuenit inuidia.* Vbi etiam Quintilianus citatur:

g) Commemoratione profeſſorum Burdigalenſium cap. 2.

h) Moſella edyllio 10. v. 340.

i) Ad Praeſidium.

k) In quaeſt. Hebraic.

tur in ea controuerſia, in qua accuſatur matrona, quod aethiopem peperit.

§. XVIII.

Tribuitur etiam illi certe non inelegans liber, vulgo cum Taciti operibus, haud raro cum Fabii noſtri libris editus *de oratoribus*, ſiue inter Curiatium Maternum, M. Aprum, Iulium Secundum et Vipſanium Meſſalam dialogus, *an eius ſeculi oratores antiquioribus, et quare concedant:* quem alii *de cauſſis corruptae eloquentiae* inſcribunt. *l*) Noſter certe huius argumenti librum ſcripſit, vt ipſe teſtatur *m*) cum filius natu minor quinquennis deceſſerit. Nec tempus abnuit: ſcriptus eſt enim dialogus ille, vt ex ipſo contextu *n*) patet, Flauii Veſpaſiani principatus anno ſexto, qui poſt Chriſtum natum eſt LXXVII. Nec longe diuerſus in eo deprehenditur ſtilus: vt ab eruditorum aliis Tacito, ab aliis Suetonio, ab aliis vero et cateruatim multis noſtro Quintiliano adiudicetur. Sed res adeo dubia eſt, vt ipſe LIPSIVS *o*) qui Fabio hunc dialogum tribuerat, extremo quam lubentiſſime profiteatur ſibi non liquere: et P. PITHOEVS, *p*) qui Lipſium ante ſecutus fuerat, ſententiam mutet. Equidem puto incerti huius aeui, ſed erudītiſſimi et elegantiſſimi viri, qui ex Fabii noſtri ſchola prodiit, hunc de oratoribus dialogum eſſe. Certe quin ipſius Quintiliani foetum eſſe credam, obſtant varia. Vix in aliquo vetuſto exemplo alia libri inſcri-

l) Dialogus hic ſeparatim recognitus, emendatus et illuſtratus a Chriſtophoro Auguſto Heumanno V. C. prodiit Gottingae 1719. 8. *m*) Inſtit. orat. lib. 6. prooem.

n) Cap. 17. *o*) Notis ad hunc librum praefat.

p) Itidem notarum praefatione ad hunc librum.

inſcriptio eſt, quam *de oratoribus*; vel *an eius ſeculi oratores antiquioribus et quare concedant.* Quintilianus *de cauſſis corruptae eloquentiae* libro continuo, non dialogo ſcripſiſſe videtur. Aetas Quintiliani paulo grandior eſt, quam vt hic ſermo, illo iuuene, potuerit a doctis haberi. Auctor vero dialogi haud longe ab initio, *vix*, inquit, *hercle auderem, ſi mea ſententia proferenda, ac non diſertiſſimorum, vt noſtris temporibus, hominum ſermo repetendus eſſet, quos eandem hanc quaeſtionem pertractantes iuuenis admodum audiui.* Quod ad ipſam pertractationem attinet, QVINTILIANVS *q*) *tum*, inquit, *eſt hyperbole virtus, cum res ipſa, de qua loquendum eſt, naturalem modum exceſſit. Conceditur enim amplius dicere, quia dici, quantum eſt, non poteſt: meliusque vltra quam citra ſtat oratio. Sed de hoc ſatis: quia eundem locum plenius in eo libro, quo cauſſas corruptae eloquentiae reddebamus, tractauimus.* Ecquis vero de tropis et ſigillatim de hyperbole in dialogo de oratoribus, qui hodie extat, ſermonem eſſe demonſtrauerit vſquam? Et quae de inuenta primum declamandi ratione ille dixerat, hic paulo aliter expoſita conſpiciuntur. Plura inferius paulo, vbi de ſcriptis Taciti verba faciendi dabitur occaſio.

§. XIX.

In rhetoricis M. AVREL. CASSIODORVS *r*) ſe fatetur Fabium Quintilianum ſequi, vbi facultatem orandi ait conſummatam eſſe natura, arte et exercitatione: qui-

q) Inſtit. orat. l. 8. c. 6. extr.

r) Rhetor. libro cap. 2. vbi de orationum generibus. Et apud PITHOEVM antiquos inter rhetores Latinos minores pag. 332.

Digitized by Google

quibus partem quartam adiiciant quidam imitationem: illam vero ſe arti ſubiicere. Hilarius, quem ſui temporis confeſſorem HIERONYMVS *s*) nominat, quod idem teſtatur, duodecim Quintiliani libros ſtilo imitatus eſt, et numero. Et ipſe iudicat, *t*) ex illis palam fieri, quid prae ingeniis puerilibus poſſit maturior aetas: vt perfectiora quaeque ex annorum numero exſpectentur. SID. APOLLINARIS *v*) Quintiliani acrimoniam laudat; et flumen eloquentiae. *x*) Et paulo ſuperius a nobis laudatus CASSIODORVS *y*) Quintilianum vocat doctorem egregium, qui poſt fluuios Tullianos ſingulariter valuerit implere, quae docuit, virum bonum dicendi peritum a prima aetate ſuſcipiens, per cunctas artes ac diſciplinas nobilium literarum erudiendum eſſe, quem merito ad defenſionem ſui totius ciuitatis vota requirerent. Vnde Ciceronis duo libros de arte rhetorica et Quintiliani inſtitutionum duodecim libros iungendos eſſe iudicat. Sic quoque ISIDORVS HISPALENSIS *z*) vbi de inuentoribus rhetoricae artis, *haec*,

s) Ad Pammachum de optimo genere interpret.

t) Praefat. in Abdiam. *v*) Lib. 5. epiſt. 10. ad Sabaudum.

x) In panegyrico ad Anthemium.

Qua Criſpus breuitate placet, quo pondere Varro,
Quo genio Plautus, quo flumine Quintilianus,
Qua pompa Tacitus, nunquam ſine laude loquendus.

Idem in carmine ad Magnum Felicem cos.

Acrem Lampridium, catum Leonem,
Praeſtantemque tuba Seuerianum,
Et ſic ſcribere non minus valentem,
Marcus Quintilianus vt ſolebat.

y) Rhetor. cap. 17. vbi de generibus cauſſarum. Et apud PITHOEVM antiquos inter rhetores Latinos pag. 339.

z) Orig. lib. 2. c. 2.

haec, inquit, *diſciplina a Graecis inuenta eſt a Gorgia, Ariſtotele, Hermagora: et translata in Latinum a Tullio videlicet, et Ticiano, et Quintiliano, ſed ita copioſe, ita varie, vel pro ſcientia, vel pro loquacitate verborum, vt eam lectori admirari in promtu ſit, comprehendere impoſſibile.*

§. XX.

Certe non illuſtrius fuit ſub Domitiano imperatore, quam Fabii Quintiliani ingenium, qui vnanimi doctorum omnium conſenſu rhetor acutus, copioſus et ſubtilis, quae Tullius ſparſim et generalius, ordine ſuo diſpoſita longe dilucidius de arte dicendi non ſine gratia et ſuauitate expoſuit. Admirabilis viri eloquentia et vbertas vbique deprehenditur: vt ſolus propemodum in hoc genere imperare videatur. Non modo artis praecepta vndecunque nec ſine iudicio collegit: verum etiam miro candore veterum ingenia, virtutes, merita et indolem indicauit: vt nulli omnino eloquentiae candidato praetereundus ſit, magiſtris vero praeſertim vtilis et neceſſarius habeatur. Nam accuratiſſime et copioſiſſime futurum oratorem inſtruit, praeter artis fundamenta, vt ERASMVS in Ciceroniano *a*) recte monuit elementa, progreſſum, rationem, vſum, exercitationem ante oculos ponens, non paucis adiectis, quae Cicero vel praetermiſit, vel obiter attigit. Nihil luculentius Beati LVTHERI *b*) ſententia: *Quintilianus vnus eſt, qui optimos reddit adoleſcentes, imo viros. Hunc vnum rogo ante omnia ne derelinquas — Ego prorſus Quintilianum fere omnibus auctoribus praefero, qui ſimul et inſti-*

Zz 2

a) pag. 91. *b*) Epiſt. ad Georgium Spalatinum, inter eas, quas Buddaeus primus edidit, p. 8.

Digitized by Google

ſtituit, ſimul quoque eloquentiam monſtrat, i. e. verbo et re docet quam feliciſſime. Quod in ſuo genere ita ſe omnino habet, ſalua aetati cuique ſua gloria. Nec abludit VALLA, *c*) cuius magnificum de noſtro iudicium eſt: *neminem poſſe neque Quintilianum intelligere, niſi Ciceronem optime teneat, neque Ciceronem probe ſequi, niſi Quintiliano pareat, neque vnquam fuiſſe quenquam eloquentem poſt Quintilianum, nec eſſe poſſe, niſi qui ſe totum arti eius formandum, imitationique crediderit.* Sunt vero qui Vallae iſtud elogium ex aemulatione Trapezuntii natum eſſe putant, qui perpetuus Quintiliani cauillator fuit. *d*) Ciceronis ille profecto non ſolum pro viribus gloriam defendit, ac priſtinae retinuit eloquentiae imagines; verum et omnem orationis facultatem quaſi ex cineribus reſuſcitauit, ac toti ſemet orbi Romano facundiae antiquae repraeſentauit magiſtrum. Elegans ergo CAMPANI *e*) ſed nimium fortaſſis blanda eſt comparatio, quam Ciceronem inter atque Fabium noſtrum inſtituit, huius doctrinam, illius vſum pluris faciendo. Stat ſuus cuique honos: et merita ſunt vtriusque magna: ſed tamen nemo non videt, oratorem incomparabilem multis paraſangis antecedere ludi magiſtro. Sed egregie differentem audiamus Campanum: *deeſſe*, inquit, *eloquentiae quicquid a Quintiliano non diſcas, et ibi artem deſinere dicendi, vbi vltimum fuit eius praeceptum: quo quid modo dici oporteret, vt fortaſſe non teme-*

c) Lib. I. antidoti in Poggium.

d) Confer. POGGII in Vallam inuectiua oratio I. et MORHOFIVS de Patauinitate Liuiana cap. 9. opuſc. pag. 548.

e) Operum pag. 64. epiſt. ad Antonium Moretum qua comparat Quintilianum Ciceroni.

Digitized by Google

temere contendiſſe quidam videantur, hunc aut parem Ciceroni, aut ſi hoc magnitudo illa diuini coeleſtisque ingenii non patiatur, haud multo inferiorem fuiſſe. Verum iudicare maioribus de rebus tam cuique liberum eſt, quam temerarium — Magnus quidem mea ſententia Cicero. Magnus Quintilianus. Sed eſt et in magnis quoque ſemper aliquid eminens. Eſt et in quo ſuperentur: nec cuiquam ita tota natura ſe praebuit, vt non aliquid ſibi velit retentum, quod largiri et alteri poſſit: vt raro inuenias celeritatem in eo eſſe eximiam, cui inſit et robur. Et arborum aliae creſcunt ſublimis: aliae latius effunduntur. Paucis vtrumque conceſſum eſt. Cumulata mihi quidem videtur in vtroque eloquentiae magnitudo: ſed aliter hic in praecipiendo ſummus eſt habitus: ille in dicendo longe eminentiſſimus iudicatus. Quintilianus, quibus armis pugnandum ſit, docuit: M. Tullius et oſtendit, quomodo vincamus, et ipſe ſemper cum victoria contendit. Illius ſtudia multum laudis in vmbra conſecuta ſunt: huius in foro multa plurimum gloriae peperere. Et regnaſſe in concionibus atque ſubſelliis fertur Quintilianus in ſcholis, et claſſibus floruiſſe Cicero pugnacior ipſe multo: Quintilianus inſtruendis aliis aliquanto fortaſſe diligentior. Tum in ipſo quoque dicendi genere multum eſt interualli. Magnificus et plenus Cicero: Hic ſumtuoſus et locuples. Ille amplus, ſublimis, redundans: Hic grauis, acer, elaboratus. Alter natura ornatior: alter ſtudio aeque expolitus. Quintilianus ſententiis premit, et pondere Cicero: et his ipſis, et viribus, et ſublimitate, et amplitudine, et maieſtate conuellit: vt videri poſſint illi aeque multa ſpicula in manibus eſſe: huic plus telorum: et ille tentare pungereque ſaepius: hic altius vulnerare atque conficere. Tum citra vim illam ſumtus in manibus Quintilianus, acumine capit

Digitized by Google

pit lectorem. Sumtus Cicero, gratia et candore delectat. Denique tanta vicinitas eſt, quanta videri inter eum poteſt, qui primus ſit omnium in curſu, et eum qui niſi hic antecederet ipſe iam praeueniſſet. Eſt et in translationibus ac ſimilitudinibus diuerſitas. In quibus viſus eſt Cicero et adhibuiſſe modum, temperaſſeque ingenio, et aliquanto fuiſſe diſtinctior: hic neſcio an vſque ad vitium nimius. Non tamen ita conculcandus, vt et ſplendorem non afferat. Quippe et ipſe ita diſtinguit, veluti eſt gloria, quod nihil aut hic praecepit faciendum, quod ille antea non praeſtitiſſet: aut ille praeſtitit, quod hic poſtea non praeceperit. Tanto Quintilianus inferior, quanto eſt ex arte dicere quam ſcribere de arte praeſtantius. Sed eo fortaſſe diligentior, quo inſtituendis rebus plus vigiliarum ars poſtulat, quam natura faciendis. Tum ampliſſimus ingeniorum laudator Cicero: iudex aequiſſimus Quintilianus. Itaque mira ſe hic moderatione arbitrum inter Graecos noſtroſque conſtituit: mira illorum laude, noſtrorum aemulatione iudicium peragit. Et veluti in medio ad gratiam poſitus multa concedit omnibus: nemini detrahit quicquam: vt non minus ſciſſe eum recte iudicare exiſtimes, quam voluiſſe. Et hunc vbi noueris, omnium et ſtudia, et ingenia noueris. Proinde de Quintiliano hic habe poſt vnam beatiſſimam et vnicam felicitatem: M. Tullii quae faſtigii loco ſuſpicienda eſt omnibus, et tanquam adoranda, hunc vnum eſſe, quem praecipuum habere poſſis in eloquentia ducem: quem ſi aſſequeris, quicquid tibi deerit ad cumulum conſumationis, id a natura deſiderabis, non ab arte depoſces. Egregie omnia, hoc ſi emendaueris: Ciceronem in ipſa linguae et eloquentiae maxima gloria principatum tenuiſſe: Quintilianum, labente et lingua et eloquentia, priſtinam recuperare illam

illam gloriam ſtuduiſſe. Ciceroni hoc naturale, quod Quintiliano aſſumtum. Ciceronem arte et vſu, Quintilianum arte magis valuiſſe. In Cicerone fontem et ipſam bene dicendi ſcaturiginem, in Quintiliano riuulos haberi. Quintiliani ſtilum non niſi ex Cicerone velut Lydio quodam lapide probandum. Quintilianum ſententiis premere: magis Ciceronem ſententiis et pondere. Quod in Cicerone eſt inimitabile, a Quintiliano vix ac ne vix quidem fuiſſe aſſequendum. Ciceronem in curſu fuiſſe primum, nec Quintilianum currere, niſi vbi antecedat ille. In eloquentiae ſtudio magna praedicari ſemper Quintiliani merita: maiora tamen, et longe maxima illa eſſe Ciceronis, cuius ſimilem neque illa, neque alia aetas vnquam inter Latinos vidit.

§. XXI.

SCIOPPIVS *f*) Quintilianum ridet extremo libri primi capite quarto ***noctu*** et ***diu*** aduerbiis annumerare: cum legantur cum praepoſitionibus ablatiuum regentibus, et cum adiectiuis ablatiui caſus. Apud Plautum, ***hac noctu ſomniaui.*** Apud Ennium, ***hac noctu filo pendebit Hetruria tota.*** Immerito certe: quamuis enim conſtet, antiquos etiam ***dius*** pro ***dies*** dixiſſe; vnde ***diu*** pro ***die***, et compoſita adiectiua ***interdius***, ***perdius:*** negari non poteſt, aduerbiorum loco ***diu*** et ***noctu*** veteribus fuiſſe, et per dies ſiue longam dierum continuationem notaſſe. Sic TERENTIVS: *g*) ***vna haec ſpes eſt: vbi eſt, diu celari non poteſt.*** CICERO: *h*) ***haec diu, multum et multo labore quaeſita vna eripuerat hora.*** Alibi: *i*) ***haec ſatis***

f) Grammaticae philoſ. pag. 158. *g*) Eunuch. A. 2. S. 3. v. 4.
h) Orat. pro Sulla cap. 26. *i*) Philipp. orat. 13. c. 5.

Digitized by Google

ſatis diu multumque defleta ſunt. Eademque ratio eſt vocis *noctu*, ablatiuo caſu priſci obſoletique nominis *noctus* pro nox: quam politior aetas non raro aduerbii loco habuit; vtut priſca conſuetudine eam poſuerint quoque ablatiuo caſu cum ſubſtantiuis aliis, vel cum adiectiuo generis feminini v. gr. *hac noctu, qua noctu, concubia noctu* et ſimilibus coniunctam. IVLIVS CAESAR SCALIGER *k*) Quintilianum noſtrum notat in voce ἐπιδεικτικοῦ, atque in eo quod de finibus ſtatuendum. Impugnat alibi *l*) ſententiam eius de ſimulatione, quam σχῆμα, et diſſimulatione, quam τρόπον fuiſſe putarit. Sic et G. I. VOSSIVS *m*) paſſim Fabii errores refellit, quod genus iuridiciale difficilius eſſe docuerit deliberatiuo: fruſtra augere numerum locorum inartificialium ab Ariſtotele adductum: perperam docuiſſe morum doctrinam poſſe in rhetoricis omitti: male eos reprehendere, qui triplicem in exordiis faciant perſonarum rationem; vt et Ariſtotelem, quod ſcripſerit, interdum auditorem non attentum reddi debere: falſo accuſare Salluſtium, quod exordiis vtatur nihil ad hiſtoriam pertinentibus: ipſum male propoſitionem facere confirmationis partem: nec ordinem ex eius inſtitutione membrorum partitionis ſeruandum in confirmatione: male reprehendere Ariſtotelem et Ciceronem, quod fidei partes fecerint confirmationem et confutationem: iudicium eius de augenda oratione non vſque quaque valere: haud recte *gemini fratres* dici negare, et *capitis niues* pro canitie: inepte meto-

k) De arte poet. l. 1. c. 1. pag. 5. Confer. VOSSIVS inſtit. orat. l. 1. c. 5. pag. 141.

l) De arte poet. lib. 3. cap 88. pag. 358.

m) Sex oratoriarum inſtitutionum libris.

Digitized by Google

metonymiam definire; et ad ſynecdochen referre, cum ex antecedentibus colligantur ſequentia; et ironiam facere ſchema, vel inter ſpecies allegoriae reponere: nec ſecundum eius ſententiam proprio ſermone allegoriam poſſe conſtare: male apoſtrophen definire, comparationem, παῤῥησίαν et exclamationem e ſchematum numero excludere; genus denique floridum interiicere inter tenue et grande: et quae ſunt id genus alia, excuſanda magis, quam tanto eloquentiae magiſtro et cenſori exprobranda: cum maiora ſint eius merita, quam quae leuioribus peccatis obfuſcari ſolent. Neque illi vertendum vitio, quod reiecerit vetera, et permiſerit noua oratoribus. Sed praeſtat hac de re FABIVM audire ipſum *n*) *verba*, inquit, *a vetuſtate repetita non ſolum magnos aſſertores habent, ſed etiam afferunt orationi maieſtatem aliquam, non ſine delectatione. Nam et auctoritatem antiquitatis habent: et quia praetermiſſa ſunt, gratiam nouitati ſimilem parant. Sed opus modo, vt neque crebra ſint haec, neque manifeſta, quia nihil eſt odioſius affectatione: nec vtique ab vltimis et iam obliteratis repetita temporibus, qualia ſunt topper, et antigerio, et exantlare, et proſapia, et ſaliorum carmina vix ſacerdotibus ſuis ſatis intellecta.* In problemate vero occupatus enotando, an et quoad oratori verba fingere liceat; *o*) ita tandem finit: audendum eſt aliquid. Neque enim accedo Celſo, qui ab oratore verba fingi vetat. Nam cum ſint eorum alia (vt dicit Cicero) natiua i. e. quae ſignificata ſunt primo ſenſu, alia reperta, quae ex his facta ſunt, vt iam nobis ponere alia, quam quae illi rudes

n) Inſtit. orat. l. 1. c. 6. *o*) Lib. 8, cap. 3.

rudes homines primo fecerant, fas non ſit. At deriuare, flectere, coniungere, quod natis poſtea conceſſum eſt, quando deſiit licere? Et ſi quid periculoſum finxiſſe videbitur, quibuſdam remediis praemuniendum eſt, *vt ita dicam*, *ſi licet dicere*, aut ſimilibus. Franciſcus Philelphus *p*) Quintilianum Hiſpanitatem ſapere audacter acerbiori cenſura ſcripſit. Sed probe MORHOFIVS *q*) notat, iniurium non modo in Quintilianum, ſed in omnem eloquentiam eſſe, qui ita iudicarit: neque plus illi Hiſpanitatem, quam Liuio Patauinitatem ad bonae dictionis laudem obfuiſſe: quamuis Liuio minor ſit habendus. In veterum et ſui temporis auctorum, in primis poetarum cenſura BARTHIO *r*) ſatis minime gentium fecit: vtpote qui Lucretium ad phraſin et corpus eloquentiae non commendet, cum ſit poeta Latiniſſimus; Salluſtium maioris hiſtoriae auctorem faciat, quam Liuium; nuſquam etiam corruptior ſit, quam vbi bonos auctores ſub cenſuram vocat. Quaſi vero non liceret diſſentire: atque Barthio ſententiam ſuam omnes, etiam ex antiquioribus magiſtris, probare deberent. Cum excellens Quintiliani et ingenium et iudicium eſſet, miro candore ſuam dicere ſententiam, et veterum ingenia virtuteſque omnium indicare ſtuduit. Nec abre ſupra laudatus IOH. ANTON. CAMPANVS noſtrum vocat ampliſſimum ingeniorum laudatorem et iudicem aequiſſimum; qui velut arbiter conſtitutus inſigni moderatione Graecos atque Latinos componat, laudet, aemulationem excitet; multa concedat omni-

p) Apud ipſum inſtit. orat. l. 1. c. 9. et l. 8. c. 1.

q) De Patauinitate Liuiana cap. 9. opuſc. pag. 547. Et polyh. liter. l. 4. c. 13. §. 3.

r) Vid. eius aduerſar. lib. 43. cap. 2. et lib. 48. cap. 19.

omnibus, nemini detrahat: vt non minus ſciſſe recte iudicare, quam voluiſſe videatur. Senecam philoſophum creditus eſt tantum inuiſum habere: quod accidiſſe ſibi ipſe ſcribit *s*) dum genus dicendi corruptum ad ſeueriora iudicia reuocare contenderit. Nam cum ſolus fere Seneca in manibus omnium eſſet, non quidem illum omnino excutere conabatur, ſed potioribus praeferri non ſinebat.

§. XXII.

Dictionem Fabii quod attinet, elegantia, vbertate et copia commendatur, adeo quidem, vt ſi CAMPANVM *t*) audimus, proximo poſt Ciceronem gradu poni mereatur. Quam ego ſententiam quidem non omnino reiiciendam eſſe exiſtimo: ſi propiores Ciceroni ſeculi Auguſtaei ſcriptores exceperis. Popularibus certe ſuis et omnibus fere huius aetatis, quos inter familiam ducit, rhetoribus in ſermonis Latini puritate et explanatiſſimo nitore praeferendus: vtpote qui non modo pereuntis Latinitatis cimelia raptim quaſi collegit; verum etiam extinctae propemodum eloquentiae imagines ea, qua fieri potuit, caſtitate et religione cuſtodiuit. Enim vero, vtut diligentiſſimus nec infelix Ciceronis imitator fuerit, quod huius aetatis commune vitium eſt, ſi cum ipſo eloquentiae magiſtro et quaſi parente componeretur, in ipſa Latinitate non nihil diuerſitatis et quaedam quaſi declinatio ſtili haud difficulter obſeruari poteſt. Nec ab re DES. ERASMVS *v*) iudicat, frequenter in

s) Inſtit. orat. l. 10. c. extr. 1.

t) In cenſuris ſuper varios auctores.

v) De ratione verae theologiae libello.

Quintiliani ſermone haeſurum, qui praeter Ciceronem nihil legerit.

§. XXIII.

Quintiliani oratorias inſtitutiones, diu ſordibus quaſi et obliuioni traditas, Poggius tandem Florentinus, magno doctorum, atque inprimis Leonardi Aretini, gaudio, in lucem protraxit. Huic certe viro, literarum amantiſſimo et reſtauratori florentiſſimo, octo Ciceronis orationes cum Aſconio Pediano, Valerium Flaccum, Frontinum de aquae ductibus, aliaque veteris Latii monumenta debemus. Quamobrem de laudibus eius inter alia VGOLINVS VERINVS: *x*)

Quin etiam, inquit, *ſollers Germanis eruit antris*
In Latium altiloqui diuina volumina Sili,
Integer orator nobis Fabiusque relatus.

Quintilianum PAVLVS IOVIVS *y*) in falſamentarii officina reperiſſe docet. THOMAS CRENIVS *z*) Fabii libros, a Poggio in transalpina Gallia repertos, inprimis Gaſparinum Bergomatem emendare aggreſſum fuiſſe. Sed ipſe Poggius literis XVII. Kal. Ian. anno Chriſti MCCCCXVII. Conſtantia ad Guarinum Veronenſem datis, vtiliſſimas Fabii noſtri inſtitutiones ſe primum e S. Galli monaſterio eruiſſe docet. Operae pretium duximus, vt literas Poggii, notatu certe digniſſimas, vt eas FABRICIVS *a*) quoque exhibet, cum Quintiliani fatis conſeruemus. *Huius*, inquit, *ſermonis ornandi atque*

x) De viris illuſtribus vrbis Florentinae lib. 2.

y) Elogiis virorum doctorum p. m. 22. Quem et MORHOFIVS ſequitur polyhiſt. liter. l. 4. c. 13. §. 3.

z) Animaduerſionum philologicarum partis 15. limine.

a) Bibliothecae Latinae volumine altero pag. 677.

que excolendi cum multi praeclari, vt ſcis, fuerint Latinae linguae auctores, tum vel praecipuus atque egregius M. Fabius Quintilianus: qui ita diſerte, itaque abſolute ſumma cum diligentia exequitur ea, quae pertinent ad inſtituendum perfectiſſimum oratorem, vt nihil ei vel ad ſummam doctrinam, vel ſingularem eloquentiam meo iudicio deeſſe videatur: quo vno ſolo, etiamſi Cicero Romanae parens eloquentiae deeſſet, perfectam conſequeremur ſcientiam recte dicendi. Is vero apud nos antea (Italos dico) ita laceratus erat, ita circumciſus, culpa, vt opinor, temporum, vt nulla forma, nullus habitus hominis in eo recognoſceretur. Tute hominem vidiſti hactenus

— — — lacerum crudeliter ora;
Ora manusque ambas populataque tempora, raptis
Auribus et truncas inhoneſto vulnere nares.

Dolendum quippe erat et aegre ferendum, nos tantam in hominis tam eloquentis foeda laceratione iacturam oratoriae facultatis feciſſe. Sed quo plus tunc erat doloris et moleſtiae ex eius viri mutilatione, eo magis nunc eſt congratulandum, cum ſit in priſtinum habitum ac dignitatem, in antiquam formam atque integram valetudinem noſtra diligentia reſtitutus. Nam ſi M. Tullius magnum prae ſe fert gaudium pro M. Marcello reſtituto ab exilio; et eo quidem tempore, quo Romae plures erant Marcelli ſimiles, domi foriſque egregii ac praeſtantes viri: quid nunc agere docti homines debent et praeſertim ſtudioſi eloquentiae, cum ſingulariſſimum lumen Romani nominis, quo extincto nihil praeter Ciceronem ſupererat, et cum modo ſimili lacerum ac diſperſum non tantum ab exilio, ſed ab ipſo paene interitu reuocauerimus? Nam me hercule! niſi nos auxilium tuliſſemus, neceſſe erat illum propediem interiturum. Nam neque eſt dubium, virum ſplendidum, mundum, elegan-

Digitized by Google

tem, plenum moribus, plenum facetiis, foeditatem illius carceris, ſqualorem loci, cuſtodum ſaeuitiam diutius perpeti non potuiſſe. Moeſtus quidem ipſe erat ac ſordidatus, tanquam mortis rei ſolebant: ſqualentem barbam gerens ac concretos puluere crines: vt ipſo vultu atque habitu fateretur, ad immeritam ſententiam ſe vocari. Videbatur manus tendere, implorare Quiritum fidem, vt ſe ab iniquo iudice tuerentur; poſtulare et indigne ferre, quod qui quondam ſua opera, ſua eloquentia multorum ſalutem conſeruaſſet, nunc neque patronum quempiam inueniret, quem miſereretur fortunarum ſuarum, neque qui ſuae conſuleret ſaluti, aut ad iniuſtum rapi ſupplicium prohiberet. Sed quia temere perſaepe eueniunt, quae non audeas optare, vt inquit Terentius noſter, fortuna quaedam fuit cum ſua, tum maxime noſtra, vt cum eſſemus Conſtantiae otioſi, cupido inceſſeret viſendi eius loci, quo ille recluſus tenebatur. Eſt autem monaſterium S. Galli prope vrbem hanc millia paſſuum XX. Itaque nonnulli animi laxandi, et ſimul perquirendorum librorum, quorum magnus numerus eſſe dicebatur, gratia eo perreximus. Ibi inter confertiſſimam librorum copiam, quos longum eſſet recenſere, Quintilianum reperimus, adhuc ſaluum et incolumen, plenum tamen ſitu, et puluere ſqualentem. Erant enim non in bibliotheca libri illi, vt eorum dignitas poſtulabat, ſed in teterrimo quodam et obſcuro carcere, fundo ſcilicet vnius turris, quo nec capitalis quidem rei damnati detruderentur. Atqui ego pro certo exiſtimo, ſi eſſent, qui haec barbarorum ergaſtula, quibus hos detinent viros, rimarentur ac cognoſcerent more maiorum, ſimilem fortunam experturos in multis, de quibus iam eſt conclamatum. Reperimus praeterea libros tres primos et dimidiatum quarti C. Valerii Flacci Argonauticon, et expoſitiones tanquam thema

quod-

Digitized by Google

quoddam ſuper octo Ciceronis orationibus Q. Aſconii Pediani, eloquentiſſimi viri, de quibus ipſe meminit Quintilianus. Haec mea manu tranſcripſi et quidem velociter, vt ea mitterem ad Leonardum Aretinum et Nicolaum Florentinum: qui cum a me huius theſauri ad inuentionem cognouiſſent, multis a me verbis Quintilianum per ſuas literas quamprimum ad eos mitti contenderunt. Habes, mi ſuauiſſime Guarine, quod ab homine tibi deditiſſimo ad praeſens tribui poteſt. Vellem potuiſſem etiam librum tranſmittere; ſed Leonardo noſtro ſatisfaciendum fuit. Verum ſcis, quo ſit in loco, vt ſi eum voles habere, puto autem te quamprimum velle, facile id conſequi valeas. Vale et me, quoniam id mutuo ſit, ama. Conſtantiae XVII. Kal. Ian. Anno Chriſti M. CCCCXVII.

§. XXIV.

Ita Quintilianus diu ſqualore prauiſſimorum ſeculorum tectus, et abiectus plane ab indoctis monachis, triſte fatum ſubiit: vt vix ſupereſſet nominis fama: donec XV. poſt Chriſtum natum ſeculo tandem Conſtantienſi durante concilio forte fortuna a Poggio Florentino in S. Galli monaſterio repertus, deſcriptus, emendatus, magno reip. literariae commodo euulgeretur. Et antiquiſſima celebratur editio, quae *Romae* prodiit 1468. fol. apud Vlricum Han, ſiue Gallum Viennenſem, a Ioh. Antonio Campano curata. Et laudantur, quae lucem viderunt publicam ibid. 1470. fol. apud Conradum Sweynheim et Arnoldum Pannartz, cum Ioh. Andreae, Epiſcopi Alerienſis ad Paulum II. Pontificem epiſtola. 1496. fol. *Venetiis* 1471. fol. apud Nic. Ienſon Gallum, cum Omniboni Leoniceni praefatione. In fine operis haec notantur: Quintilianum eloquentiae fontem ab eruditiſſimo Omnibono Leoniceno emenda-

tum

tum M. Nicolaus Gallus viuentibus poſteriſque miro impreſſit artificio. 1493. fol. per Bonetum Locatellum, cum Raphaelis Regii annotationibus. 1494. fol. apud Peregrinum de Paſqualibus, cum notis Laurentii Vallae, Pomponii Laeti, Iohannis Sulpicii et Raph. Regii. *Taruiſii* 1482. fol. per Dionyſium Bononienſem ac Peregrinum eius ſocium. *Parmae* 1490. fol. et 1494. fol. declamationes per Angelum Vgoletum.

§. XXV.

Seculo poſt Chriſtum natum XVI. Quintiliani inſtitutiones oratoriae prodierunt *Florentiae* 1510. apud Iuntas. *Venetiis* 1512. fol. apud Ioh. de Ruſconibus, cum Raph. Regii notis. 1514. et 1521. 4. apud Aldum, ex Andreae Naugerii et Baptiſtae Rhamnuſii recognitione. 1522. fol. apud Bernardinum de Vianis de Lexona Vercellenſem, cum Raph. Regii notis. 1526. 8. apud Aldum. 1546. et 1567. fol. apud Hieronymum Scotum, editio ſingulari cum ſtudio, tum iudicio doctiſſimorum virorum ad fidem vetuſtiſſimorum codicum recognita et reſtituta, argumentis Petri Gallandii ante ſingula omnium librorum capita praefixis elucidata. Additae ſunt Petri Moſellani annotationes in VII. libros priores, Ioachimi quoque Camerarii in primum et ſecundum, quibus acceſſit commentarius Antonii Pini Portodemaei in tertium. Eiuſdem, vt aiunt, Quintiliani declamationum liber. *Pariſiis* 1516. apud Ioh. Badium Aſcenſium cum notis Raph. Regii, Georg. Merulae et Ioh. Badii, qui ex Laurent. Vallae codice ſexcenta loca ſe reſtituiſſe profitetur. 1527. 8. apud Claudium Cheuallonium, adiunctis XIX. declamationibus. 1527. fol. apud Petrum Vidouaeum. 1528. fol. cum notis Raph. Regii, G. Merulae, Petri Moſellani et Badii. Additae ſunt

ſunt etiam XIX. declamationes cum eiuſdem Badii notis. 1531. et 1536. fol. apud Ioh. Badium Aſcenſium, ex recenſione Guil. Philandri, cum Petri Moſellani et Raph. Regii notis. Accedunt XIX. declamationes. 1533. fol. apud Antonium Augerellum. 1536. fol. apud Franciſcum Gryphium, cum notis Moſellani. 1538. 4. apud Petrum Vidouaeum. Additae XIX. declamationes. 1538. fol. apud Geruaſium Cheuallonium ex emendatione et cum argumentis Petri Gallandii, notis item Petri Moſellani, Ioachimi Camerarii in libros duo priores, et Antonii Pini in tertium. 1538. fol. apud Michaelem Vaſcoſanum, cum XIX. declamationibus. 1539. 4. apud Franciſcum Gryphium, cum XIX. declam. 1541. 4. apud Petrum Vidouaeum. 1541. 4. apud Simon. Colinaeum, additis XIX. declam. 1541. fol. apud Ioh. Roigny, excudente Ioh. Ludouico Tiletano. 1542. 4. apud Robertum Stephanum. 1542. et 1544. 4. apud Mich. Vaſcoſanum, cum argumentis Petri Gallandii, notisque Petri Moſellani, Ioach. Camerarii et Antonii Pini. 1542. fol. apud Audoenum Paruum, cum argumentis Gallandii, Moſellani, Camerarii etc. comment. et declamationum libello. 1543. 4. apud Franciſcum Gryphium, additis XIX. declamationibus. 1548. 4. apud Guil. Morellum, cum Morelli notis. 1549. fol. apud Michael. Vaſcoſanum, cum praefatione, argumentis et emendationibus Petri Gallandii, Profeſſoris Regii, plenioribus, Angeli Politiani praefatione de Quintiliani vita et laudibus, Petri Moſellani in ſeptem libros primores, Ioachimi Camerarii in primum et ſecundum, atque Antonii Pini in tertium librum notis. Subiecto poſt XIX. Quintiliani declamationes etiam libro primo controuerſiarum Senecae cum Rudolphi

Digitized by Google

Agricolae commentariis. Hanc Petri Gallandii editionem MORHOFIVS *b*) memoratu dignam iudicat. 1553. 4. ex officina viduae Mauricii a Porta in Clauſo Brunello, excudebat Thomas Richardus. 1556. 4. apud Tho. Richardum ſub Bibliis aureis, Adriani Turnebi notae in inſtitutiones oratorias, auctoris nomine ſuppreſſo, editae ſunt, quibus omnium ante ſe Fabium illuſtrantium operam longe anteceſſit. *Lugduni* 1534. 1536. 1540. 1544. 1549. 1555. 8. apud Sebaſtianum Gryphium, cum XIX. declamationum libello. 1538. 8. apud heredes Simonis Vincentii, Dionyſius ab Harſio excudebat, cum XIX. declamationibus. 1558. 8. apud Theobaldum Paganum. 1575. 8. apud Anton. Gryphium, excudebat Baſileus Boquetius. 1575. et 1580. 8. apud Ludou. Cloquemin et Steph. Michaelem. 1585. 8. apud Anton. Gryphium. 1591. 8. Omnibus illis editionibus XIX. declamationum libellus eſt additus. *Geneuae* 1580. et 1591. 8. apud Iacob. Stoer. Vndeuiginti declamationes accedunt. *Baſileae* 1506. fol. cum Raph. Regii notis. 1527. 8. Petri Moſellani notae in VII. primores oratoriarum inſtitutionum libros. 1529. fol. apud Bebelium, cum Ioh. Sichardi praefatione et notis. 1541. 8. apud Balthaſarem Laſium. 1543. 4. apud Robertum Winter, opera et ſtudio Ioach. Camerarii et Ioh. Sichardi, cum Guil. Philandri caſtigationibus. Additae ſunt declamationes vndeuiginti. 1548. et 1561. 8. apud Nic. Brylingerum, ex emendatione Ioach. Camerarii, Ioh. Sichardi et Iac. Hertelii. Additae ſunt etiam Guil. Philandri caſtigationes. 1568. et 1579. 8. apud heredes Nic. Brylingeri, ex Iac. Hertelii recenſione, cum Philandri caſti-

b) Polyhiſt. liter. l. 4. c. 13. §. 3.

caſtigationibus, et declamationum libello. *Coloniae* 1521. fol. apud Eucharium Ceruicornum. 1528. 8. apud Ioh. Soterem. 1534. 1536. et 1541. 8. apud Ioh. Gymnicum, cum Gisb. Longolii praefatione, notisque Ioh. Sichardi, et in libros duo priores Ioach. Camerarii. 1538. fol. apud Eucharium Ceruicornum, additis XIX. declamationibus. 1555. 8. apud Gualtherum Fabricium, cum notis Ioach. Camerarii, Ioh. Sichardi etc. et Guil. Philandri Caſtilionei caſtigationibus. *Antuerpiae* 1548. 8. apud Ioh. Loeum, cum notis.

§. XXVI.

Seculo XVII. Quintilianus prodiit cum annexis *Pariſiis* 1604. 8. *Geneuae* 1604. et 1618. 8. apud Iacob. Stoer, declamationibus vndeuiginti adiunctis. 1625. 1636. et 1637. 8. apud Iacob. Stoer. Et declamationibus vndeuiginti acceſſerunt fragmenta alia, h. e. quae ex CCCLXXXVIII. ſuperſunt CXLV. declamationes, ex vetere exemplari reſtitutae. Item Calpurnii Flacci excerptae X. Rhetorum minorum LI. vna cum dialogo de oratoribus, ſiue de cauſſis corruptae eloquentiae. Omnia haec ex P. Pithoei, ICti clariſſ. et aliorum illuſtrium virorum bibliothecis prolata. 1641. et 1651. 8. apud Petrum Chouet, cum declamationibus et aliis iam memoratis, notis vero Danielis Parei, qui, ſicut eſt plagiarius ſemper, et ſimius criticorum potius, quam filius, ita hic quoque Ludouici Creſollii theatrum rhetorum, vacationes autumnales, librosque de pronunciatione et actione, ſtrenue exſcripſit. *c*) *Francofurti* 1629. 8. apud H. Robynſonum et Guil. Fitze-

 rum

c) Vid. MORHOFIVS polyh. liter. l. 4. c. 13. §. 3. confer. THO. CRENII part. 16. animaduerſ. p. 14.

rum, cum Danielis Parei notis. 1657. 8. apud Wilhelmum Serlinum, cum Danielis Parei notis, declamationibus vtriſque, Calpurnii excerptis, et de oratoribus libello. *Londini* 1641. et 1662. 8. apud R. Withakerum, cum Danielis Parei notis. Accedunt declamationes cum vndeuiginti maioribus vndecunque collectae minores, Calpurnii excerptae, et dialogus de corrupta eloquentia. *Oxonii* 1693. 4. e theatro Sheldoniano, exemplum ad MSC. codices Cantabrig. et Bodlei. caſtigatum, cura Edmundi Gibſon, qui minores a Pithoeo editas declamationes quidem, vt lucubrationibus ſuis indignas, reiecit, vndeuiginti maioribus tamen Tribunum Marianum, antea ineditam declamationem aeque ſuſpectam addidit. *d*) *Lugduni Batauorum* 1665. 8. duobus voluminibus, elegantiſſima Hakiana editio, quam primum Conr. Schreuelius, eoque vita defuncto Ioh. Frid. Gronouius variorum notis ornatam curauit, oratorias continet inſtitutiones cum praefatione et notis Petri Gallandi, notis item Adr. Turnebi, Ioach. Camerarii, Dan. Parei, Ioh. Frid. Gronouii et ſelectis variorum: declamationes vndeuiginti cum eiuſd. Gronouii notis: declamationes minores cum Petri Aerodii, P. Pithoei et Gronouii obſeruationibus: Calpurnium Flaccum Pithoei, Gronouii et Ioh. Schultingii notis illuſtratum: vltimo de oratoribus dialogum cum Schelii com-

d) Notante FABRICIO V. CL.. Bibliothecae Latinae volum. alter. pag. 695. in illa vocabula occurrunt, *abominabilis*, *concubitor*, *dilectio*, *diſcretio*, *exoratio*, *illuminatio*, *impoenitens*, *improperium*, *indeſinenter*, *lenocinamentum*, *obſeſſio*, *particulariter*, *praedeceſſor*, *praepoſtero*, *praeſtrangulo*; *prolocutor*, *proiectio*, *ſupererogatio*: ex quibus, num auctor ſit Quintilianus, iudicari liceat.

Digitized by Google

commentario, Pithoei, Gronouii et Schultingii notis, excerptisque ex Lipſio, Pichena, et Acidalio animaduerſionibus. *Argentorati* 1698. 4. duob. volum. apud Ioh. Reinholdum Dulſeckerum, curante Vlrico Obrechto, qui triennio poſt diem obiit ſupremum, et quod in praefatione, ad Edmundum Gibſonum, promiſit, volumen tertium ſuas et eruditorum praecipuas obſeruationes complexurum, in lucem emittere non potuit.

§. XXVII.

Noſtro ſeculo Quintiliani editiones elegantiſſimae prodierunt *Londini* 1714. 8. apud. Ioh. Nicholſon. Inſtitutiones, vt a Gibſono editae fuerant, recuſae cum Turnebi et aliorum notis ſelectis. Minus tamen haec eſt, quam Oxonienſis Gibſoni editio, emendata. *Lugduni Batauorum* 1720. 4. duobus voluminibus apud Ioh. de Viuie Petri Burmanni editio omnium longe praeſtantiſſima cum ſuis et variorum notis, H. Dodwelli annalibus Quintilianeis, variis lectionibus etc. *e*) *Pariſiis* 1715. 12. duobus volum. apud Iacobum Stephanum, in vſum ſcholarum accurante Carolo Rollino. 1725. fol. Claud. Capperonnerius Mon-Deſiderianus, Licentiatus theologus Pariſienſis, et Regius Graecarum literarum Profeſſor, inſtitutiones oratorias recognouit, ſelectas variorum interpretum notas recenſuit et nouas adiunxit. Editio doctis minime probata. *f*)

e) Vid. Acta erudit. Lipſ. 1720. p. 433. et FABRICII biblioth. Lat. vol. 2. p. 697.

f) Vid. Acta crud. Lipſ. 1726. p. 337. PETRI BVRMANNI ad Capperonnerium epiſtola, qua a capite ad calcem eius calumnias, obtrectationes, ignorantiam, furta, ineptias et errores notat.

CAPVT VII.

De oratoribus, Latina lingua ſeneſcente, illuſtrioribus.

§. I.

Eloquentiae defectus. 2. Vnde venerit. 3. Oratores adhuc fuere cauſſarum patroni: vnde illis honos et diuitiae. 4. Tiberius eloquentiae ſtudioſus fuit. 5. Et cum illo reliqui principes ſartam eius tectam voluerunt eſſe gloriam. 6. Inde multis inopinata ſalus. 7. Principes eloquentia carere non potuerunt. 8. Oratores inter laudatur Alſius Flauus. 9. Argentarius. 10. Aſinius Gallus. 11. Iulius Baſſus. 12. Quintilianus pater. 13. Clodius Turrinus. 14. Q. Haterius. 15. Claudius Marcellus Aeſerninus. 16. Votienus Montanus. 17. Marc. Aemilius Scaurus. 18. L. Vinicius. 19. Seneca rhetor. 20. Eiusque natu maximus filius, Iunius Gallio. 21. Oratores notantur Veſpaſiani temporibus clari. 22. Iunioris Plinii vita. 23. Epiſtolae. 24. Panegyricus. 25. Scripta alia recenſentur. 26. Immerito Plinius malae fidei accuſatur. 27. Illius apud veteres auctoritas. 28. Stilus. 29. Idiotiſmi. 30. Editiones ſeculi decimi quinti. 31. Decimi ſexti. 32. Decimi ſeptimi, et 33. Decimi octaui recenſentur.

§. I.

Eloquentiae, cuius in virili aetate Latinae linguae ac Ciceronis tempore ſummus honos, vix quicquam videmus hoc ſeculo tribui. Quod et IVVENALIS *a*) conqueritur:

Dic

a) Satyr. 7. v. 106.

Dic igitur quid cauſſidicis ciuilia praeſtent
Officia, et magno comites in faſce libelli?

Et quae ſequuntur. Paulo inferius: *b*)

— — *Rara in tenui facundia panno.*
Quando licet Baſilo flentem producere matrem?
Quis bene dicentem Baſilum ferat? accipiat te
Gallia, vel potius nutricula cauſſidicorum
Africa, ſi placuit mercedem ponere linguae.

Nec immerito ſcriptor anonymus, qui Flauii Veſpaſiani anno ſexto de oratoribus et cauſſis corruptae eloquentiae dialogum edidit, mirari potuit ac interrogare, *c*) cur cum priora ſecula tot eminentium oratorum ingeniis gloriaque effloruerint, illa aetas potiſſimum deſerta et laude orbata ſit adeo, vt vix nomen ipſum oratoris retineat: quod nomen antiquis fere proprium; illius vero temporis diſerti cauſidici et aduocati, et patroni, et quiduis potius, quam oratores vocentur. Vnde patet huius ſeculi conſuetudinem in foro longe aliam atque tempore Auguſteo fuiſſe: vt nomina etiam ipſa vix tum ſeruare voluerint. Idem elegantiſſimus dialogi *d*) auctor, *tranſeo*, inquit, *ad formam et conſuetudinem veterum iudiciorum: quae etſi nunc aptior eſt, ita erit eloquentia, tanto illud forum magis exercebat, in quo nemo intra pauciſſimas horas perorare cogebatur, et liberae comperendinationes erant, et modum dicendi ſibi quiſque ſumebat, et numerus neque dierum, neque patronorum, finiebatur. Primus tertio conſulatu Cn. Pompeius aſtrinxit impoſuitque veluti frenos eloquentiae, ita tamen vt omnia in foro, omnia in legibus, omnia apud praetores gererentur: apud* quos

b) verſ. 145. *c*) Initio libri de oratoribus.
d) De oratoribus cap. 38.

quos quanto maiora negotia olim exerceri ſolita ſunt, quod maius argumentum eſt, quam quod cauſſae centumuirales, quae nunc primum obtinent locum, adeo ſplendore aliorum iudiciorum obruebantur, vt neque Ciceronis, neque Caeſaris, neque Bruti, neque Coelii, neque Calui, non denique vllius magni oratoris liber apud Centumuiros dictus legatur. Addit praeterea PLVTARCHVS e) hac lege cautum fuiſſe, ne cui reum in iudicio laudare liceret.

§. II.

De cauſſis corruptae eloquentiae ſatis ab initio tractationis noſtrae dictum: quae inprimis huc transferendae eſſent: ne cui mirum eſſe videatur, oratores tot tantosque illud ſeculum non protuliſſe, quod felix et auſpicatum Caeſaris Octauiani Auguſti imperium ſequitur. Grauiſſimus dialogi de cauſſis corruptae eloquentiae auctor, quem alii Tacitum, alii Quintilianum eſſe volunt, omnium accuratiſſime in huius rei cauſſas inquirit, et quatuor potiſſimum erudite perſequitur. I. Olim ſanctiorem fuiſſe ac diligentiorem liberorum educationem: ſua vero aetate vanitatibus, ſe dediſſe pueros, nec inuitis parentibus, vt nihil prorſus loci reliquerint optimis artibus. II. Olim adoleſcentes fuiſſe omnibus diſciplinis eruditos, et oratores perfectam philoſophiae ſcientiam ſibi comparaſſe: ſua aetate perfunctorie tractata fuiſſe omnia. III. Olim adoleſcentes in eloquentia fori fuiſſe exercitatos, vt maximos fori oratores aſſequerentur: ſua aetate in ſcholis rhetorum, nullo reipublicae fructu fuiſſe exercitatos. IV. Olim cum ciuitas ſua libertate vteretur, maximum fuiſſe et vſum, et fructum eloquentiae: ſua aetate, cum vnus impe-

e) In vita Pompeii.

Digitized by Google

imperauerit, eloquentiam ad ſilentium fuiſſe redactum. *Quis ignorat*, inquit, *f) et eloquentiam, et ceteras artes deſciuiſſe ab illa vetere gloria, non inopia hominum, ſed deſidia iuuentutis, et negligentia parentum, et inſcientia praecipientium, et obliuione moris antiqui.* Paulo poſt: *g) tranſeo prima diſcentium elementa, in quibus et ipſis parum elaboratur. Nec in auctoribus cognoſcendis, nec in euoluenda antiquitate, nec in notitia vel rerum, vel hominum, vel temporum, ſatis operae inſumitur.* Accedit faſtus recentiorum, qui vt ſoli viderentur ſapere, antiquiores et optimos, vt diſcipulis ſuis e manibus eriperentur, calumniis quibuslibet cumulare non verebantur. Exemplum habemus Senecae philoſophi, et aliorum, quos ſuo notauimus loco. Nec potuit hanc ferre ſui temporis ignominiam eloquentiae grauis aſſertor QVINTILIANVS, qui Senecam non ſine dolore vidit ſolum in manibus adoleſcentium eſſe, et praeferri potioribus, quos ille non deſtiterat inceſſere: cum placere ſe in dicendo poſſe iis quibus illi placerent, diffideret. *h)* Huic ſimiles notat ſui temporis oratores alios. De orationum formis: *i) fuere quaedam*, inquit, *genera dicendi conditione temporum horridiora, alioqui magnam iam ingenii vim prae ſe ferentia. Hinc ſunt Laelii, Africani, Catones, Gracchique, quos tu licet polygnotos vel calonas appelles. Mediam illam formam teneant Lucius Craſſus, Q. Hortenſius. Tum deinde efflореſcat non multum inter ſe diſtantium temporum oratorum ingens prouentus. Hinc vim Caeſaris, indolem Coelii, ſubtilitatem Callidii, grauita-*

f) Cap. 28. g) Cap. 29.
h) Inſtit. orat. lib. 10. cap. 1. extr. i) Lib. 12. cap. 10.

uitatem Bruti, acumen Sulpitii, acerbitatem Caſſii, diligentiam Pollionis, dignitatem Meſſalae, ſanctitatem Calui reperiemus. In his etiam quos ipſi vidimus, copiam Senecae, vires Africani, maturitatem Afri, iucunditatem Criſpi, ſonum Trachalli, elegantiam Secundi. At M. Tullium non illum habemus euphranorem circa plurium artium ſpecies praeſtantem, ſed in omnibus, quae in quoque laudantur, eminentiſſimum. Quem tamen et ſuorum homines temporum inceſſere audebant vt tumidiorem, et Aſianum, et redundantem, et in repetitionibus nimium, et in ſalibus aliquando frigidum, et in compoſitione fractum, exultantem, ac pene, quod procul abſit, viro molliorem. Poſtea vero quam triumuirali proſcriptione conſumtus eſt, paſſim qui oderant, qui inuidebant, qui ambulabantur, adulatores etiam praeſentis potentiae, non reſponſurum inuaſerunt. — Praecipue vero preſſerunt eum, qui videri Atticorum imitatores cupierant. Haec manus quaſi quibuſdam ſacris initiata, vt alienigenam, et virum ſuperſtitioſum, deuictumque illis legibus inſequebatur. Vnde nunc quoque aridi, et exſucci, et exangues — quia clariorem vim eloquentiae, velut ſolem, ferre non poſſunt, vmbra magni nominis deliteſcunt.

§. III.

Attamen cum oratores hoc ſeculo, quod antehac ſemper, eſſent cauſſarum patroni, non potuere non pretium inde, prae reliquis artibus, et diuitias reportare. Nam creſcente hominum malitia et luxu, in dies etiam creſcebant lites, quibus, vt recte componerentur, oratores ſubuenire et cauſſas in foro, apud centumuiros, apud principem, vbique agere ſolebant. Ecquid inde aliud, quam opes, certe laboris praemium ſpe-

ſperandum? Ideoque MARTIALIS *k*) Valerium Flaccum, poetam magnum, ſed tenui cenſu, hortatur, vt omiſſo poeſeos ieiuno ſtudio forum adeat et quaeſtuoſam ſectetur eloquentiam: quandoquidem nullus aut exiguus honos reliquus eſſet Muſis.

Romanum, inquit, *propius diuitiusque forum eſt.*
Illic aera ſonant: at circum pulpita noſtra,
Et ſteriles cathedras, baſia ſola crepant.

Et auctor dialogi de cauſſis corruptae eloquentiae: *l*) *honoribus, et ornamentis, et facultatibus, refertas domos eorum videmus, qui ſe ab ineunte adoleſcentia cauſſis forenſibus et oratorio ſtudio dederunt.*

§. IV.

Tiberii temporibus ſuum adhuc ſtetiſſe eloquentiae honorem, vel inde patet, quod, cum Germanico, principi inuicto, clypeus, i. e. imago in modum clypei facta, *m*) inter auctores eloquentiae decerneretur, auro et magnitudine inſignis, Tiberius aſſeruit, ſolitum paremque ceteris dicaturum: neque enim eloquentiam fortuna diſcerni; et ſatis illuſtre, ſi veteres inter ſcriptores haberetur. *n*) Mos autem veteribus fuit, vt virorum illuſtrium imagines publice in templo curiaque deponerent atque dedicarent. Sic Africanus in Capitolio, Cato Cenſorius in curia fuerunt collocati. *o*) Octauianus Caeſar Auguſtus antiquiorum conſuetudinem etiam ſancte obſeruauit, et virorum excellentium imagines in curia poſuit, ſuis quaſque locis di-

k) Lib. 1. epigr. 77. *l*) Cap. 8.
m) Vid. LIPSII comment. ad Taciti annal. l. 2. c. 83. pag. 114.
n) TACITVS annal. l. 2. c 83.
o) VALERIVS MAXIM. lib. 8. cap. 15.

Digitized by Google

diſtinctas; ſiue quis belli, ſiue pacis artibus claruiſſet. Ita Hortenſii imago inter oratores poſita *p*). Idemque honos Germanico decretus: vt tantus heros facundiſſimos inter ab eloquentia commendaretur, eiusque poſt funera perennet maxima virtutis gloria cum illuſtrium oratorum fama: quod Tiberius Imperator omni auro argentoue et aere perennius monumentum eſſe putauit.

§. V.

Haud exiguum linguae Latinae eiusque facundiae ornamentum fuit, ipſorum Principum etiam hoc aeuo in publicis concionibus exercitatio et frequens vſus. TIBERIVS artem callebat, qua verba expenderet, tum validus ſenſibus, aut conſulto ambiguus. *q*) CALIGVLAE Caeſaris turbata mens vim dicendi non corrupit. Nec in CLAVDIO, quoties meditata diſſereret, elegantiam requireres. In funere Claudii ſeniores demum notarunt, primum ex iis, qui rerum potiti eſſent, NERONEM alienae facundiae eguiſſe. *r*) Tunc enim recitauerat orationem compoſitam a Seneca: in quo viro, TACITVS *s*) ait, fuiſſe ingenium amoenum, et temporis illius auribus accommodatum. Sed et eum ſaepius ex ingenio verba feciſſe in ſenatu, ſuperius in meritis eius *t*) commemorauimus. Et GALBAM in arte dicendi non fuiſſe rudem, ipſius oratio in Piſonis adoptione loquitur. *v*) Nec infacundum OTHONEM, vel inde diſcimus, quod pro vallo caſtrorum perorare, ſuosque milites exſtimulare conſueuerit. *x*)

§. VI.

p) TACITVS annal. l. 2. c. 37. *q*) Sunt verba TACITI annal. l. 13. c. 3. Confer. quae ſupra de meritis illius notauimus.

r) TACITVS l. c. *s*) l. c. *t*) Cap. 2.

v) Apud TACITVM hiſtor. l. 1. c. 15. ſeq.

x) Apud. eundem hiſt. l. 1. c. 37. 38. et hiſt. l. 1. c. 83. 84.

§. VI.

Inde facilis coniectura, in primis dicendi facultatem artemque oratoriam valuiſſe: et illud quod in pretio, auide a ſummis, infimis, omnibus literarum amantiſſimis arreptum fuiſſe. Hinc oppreſſis patrocinia, praeſens miſeris opera, afflictis ſolatium, et non ſperata ſaepe in anguſtiis munera. Ex infinitis, vnum ſufficit exemplum in medium protuliſſe. Vt Nero ſedecim annos natus honeſtis ſtudiis, et eloquentiae gloria niteſceret: cauſſa Ilienſium ſuſcepta, *Romanum Troia demiſſum, et Iuliae ſtirpis auctorem Aeneam*, aliaque haud procul fabulis vetera facunde executus, impetrat vt Ilienſes omni publico munere ſoluerentur. Eodem oratore, Bononienſi coloniae igni hauſtae ſubuentum centies ſeſtertii largitione. Redditur Rhodiis libertas, ademta ſaepe, aut firmata, prout bellis externis meruerant, aut domi ſeditione deliquerant. Tributumque Apamienſibus, terrae motu convulſis, in quinquennium remiſſum. *y*)

§. VII.

Nec immerito principes magni faciebant eloquentiam, qua omnium minime in ſenatu, aut quacunque concione poterant carere. Hinc vulgo notiſſimae ſunt principum orationes, quibus in ſenatu habitis maxime potentiam ſuam ſtabilire videbantur. His aut monebant, aut increpabant, aut hortabantur ſenatum, aut ſententiam ſuam in ſuſcepta deliberatione ad ſenatus conſultum condendum proponebant: quod raro, aut nunquam a principis ſententia diſcrepare ſolebat. Cum in aſſerendis ſibi maieſtatis iuribus ſuam et potentiam et

y) Vid. TACITVS annal. l. 12. c. 58.

Digitized by Google

intentionem diſſimularent; priſtinam contra libertatem reip. conſeruare, ac formam imperii Romani antiquam reſtituere vellent videri: non tam iubere, quam ſuadere conſueuerunt; ſuasque ornatiſſimas in ſenatu habuerunt orationes, etiam cum leges promulgarent. Et id conſecuti ſunt bene dicendi facultate, vt, quicquid vellent, a rep. facile obtinere potuerint: adeo quidem, vt nomen etiam orationum inter leges Romanas innotuerit, ac promiſcue ſenatus conſulta et principum orationes ſumantur. De Auguſto teſtatur SVETONIVS: z) *neque in ſenatu, neque ad milites vſque ad populum locutus eſt, niſi meditata et compoſita oratione. Ac ne periculum memoriae adiret, aut diſcendo tempus abſumeret, inſtituit recitare omnia.* De Traiano PLINIVS: *a*) *illuxerat primus conſulatus tui dies, quo tu curiam ingreſſus, nunc omnes, nunc ſingulos adhortatus es, reſumere libertatem, capeſſere quaſi communes imperii curas, inuigilare publicis vtilitatibus, et inſurgere. Omnes ante te eadem iſta dixerunt, nemini tamen ante te creditum eſt. Erant ſub oculis naufragia multorum, quos inſidioſa tranquillitate prouectos improuiſus turbo perculerat.* Principes eruditiores, quales fere ad Vitellium vſque fuerunt, ipſi orationes ſuas recitabant: rudiores, aut ſi alia cauſſa impedirentur, per quaeſtorem *b*) de rebus neceſſariis, quicquid voluerint diſſerere, legi curabant; aut ſi abſentes eſſent, literas orationum loco mittebant. *c*) Sed ipſos

z) Eius vita cap. 84. *a*) Panegyrico.

b) Imperiti principes quaeſtorum maxime opera vtebantur, qui non ſolum recitabant, verum etiam conficiebant orationes. vid. IAC. GVTHER. de offic. domus Auguſtae lib. 1. cap. 30.

c) Vid. TACITVS annal. lib. 3. cap. 53.

Digitized by Google

ipſos huius aetatis, qui alicuius nominis fuerunt, oratores videamus.

§. VIII.

ALFIVM FLAVVM apud Ceſtium declamare audiuit SENECA rhetor: *d*) eo tanti iuuenis perductus fama. Cum enim praetextatus eſſet, populo Romano iam innotuit eloquentia. Semper de illius ingenio Ceſtius, cuius auditor fuerat., et praedicauit, et timuit, vt tam immature ingenium eſſet vitale. Tanto concurſu hominum audiebatur, vt raro auderet poſt eum Ceſtius ipſe dicere: adeo ſemper commendabat eius eloquentiam res aliqua extra eloquentiam. *Ipſe*, inquit SENECA *e*) *omnia mala faciebat ingenio ſuo: naturalis tamen illa vis eminebat: quae poſt multos annos tametſi deſidia obruta, et carminibus eneruata, vigorem tamen ſuum tenuit. — In puero lenocinium erat ingenii aetas: in iuuene deſidia. Hic cum declamaret partem abdicantis: hanc ſummis dixit clamoribus ſententiam. Alfi, Quis es tu, qui de facto fratrum ſententiam feras?* Cum deſideria deſcripſiſſet, paulatim ſe dixit ad frugalitatem rediiſſe, et odio ſibi vitium factum. Hoc fuit, inquit, quare deſinerem. Sentiebam me ſenem fieri. *f*) Flaui Alfii PLINIVS *g*) meminit, vbi de delphinis, *pigeret*, inquit, *referre, ni res Maecenatis, et Flauiani, et Flaui Alfii, multorumque eſſet literis mandata.*

§. IX.

ARGENTARIVS Ceſtii diſcipulus fuit, ſuique praeceptoris, non ſine illius indignatione, detorquebat ac mu-

d) Controu. 14. *e*) Controu. 1.

f) SENECA controu. 14. SCHOTTVS de claris apud Senecam rhetoribus pag. 5.

g) Hiſt. natur. L. 9. c. 8.

mutabat ſaepius ſententias. Hinc quid putatis, aiebat, Argentarium eſſe? Ceſtii ſimius eſt. Solebat et Graece dicere, ὁ πίθηκός μȣ, quod nimius eſſet imitator ſuus. Iurabat non niſi per manes praeceptoris ſui Ceſtii, etiam cum Ceſtius viueret: cuius omnibus veſtigiis inſiſtebat: aeque ex tempore dicebat, aeque contumelioſe, multa interponebat. Illud tamen optima fide praeſtitit, cum vterque Graecus eſſet, vt nunquam Graece declamaret; illos ſemper admiraretur, qui non fuerunt vnius linguae eloquentia contenti. Cum Latine declamauerant, toga poſita, ſumto pallio, quaſi perſona mutata, redibant. *h*)

§. X.

C. ASINIVS GALLVS, Pollionis filius, et magnus orator *i*) anno ab V. C. ƆCCXLVI. Auguſti imperatoris triceſimo ſexto, cum C. Martio Cenſorino conſulatum geſſit. Tiberio ad imperium accedente, cum dixerit, ſe, vt non toti reip. parem, ita quaecunque pars ſibi mandaretur, eius tutelam ſuſcepturum: Aſinius noſter Gallus, interrogo, inquit, Caeſar, quam partem reip. mandari tibi velis? Qua improuiſa interrogatione quod Caeſar confunderetur, vultuque offenſionem oſtenderet: non idcirco interrogatum, addidit, vt diuideret, quae ſeparari nequirent: ſed vt ſua confeſſione argueretur, vnum eſſe reip. corpus, atque vnius animo regendum. Addidit laudem de Auguſto ipſumque Tiberium de tot tantisque in toga per multos annos reportatis

h) Vid. SENECA controu. 26. extr.

i) SENECA epit. controu. l. 4. praef. *Marcellus, quamuis puer, iam tantae indolis erat: vt Pollio ad illum pertinere ſucceſſionem eloquentiae ſuae crederet: cum filium Aſinium Gallum relinqueret magnum oratorem: niſi illum, quod ſemper euenit, magnitudo patris non produceret, ſed obrueret.*

Digitized by Google

tatis victoriis commendauit. Neque tamen illius potuit lenire animum ira commotum, pridem etiam illi inuiſus, quod Vipſaniam M. Agrippae filiam, quae Tiberii quondam vxor fuerat, in matrimonio haberet, plus quam ciuilia agitaret, ac Pollionis Aſinii patris ferociam retineret: *k*) adeo quidem, vt ipſe Auguſtus ſupremis ſermonibus cum tractaret, quinam adipiſci principem locum ſuffecturi abnuerent, aut impares vellent, inter alios *Gallum Aſinium auidum et minorem* pronunciarit. *l*) Ita ſemper Tiberii dolo circumuentus. Magna Tiberis inundatione Gallus cenſuit, vt libri Sibyllini adirentur: Tiberius renuit, perinde diuina humanaque obtegens. *m*) Diuus Auguſtus hiſtriones voluit eſſe immunes verberum: neque fas Tiberio fuit infringere dicta eius. In ſenatu cum aliis tamen Aſinius Gallus non ſolum ſtatuit praetoribus ius virgarum in hiſtriones eſſe; verum etiam intercedentem Haterium Agrippam tribunum plebis oratione increpauit: ſilente Tiberio, qui callide ſenatui ea ſimulacra libertatis praebebat. *n*) Cetero adulatur imperatori, et luxum defendit; *o*) et contra Piſonis, prae ſe libertatis ſpeciem praeferentis, ſententiam, nihil ſatis illuſtre cenſuit, aut ex dignitate populi Romani, niſi coram et ſub oculis Caeſaris: eoque conuentum Italiae, et affluentis prouincias, praeſentiae eius ſeruanda dixit. *p*) A Piſone, cum accuſaretur, Gallus petitur cauſſae patronus. *q*) Soſia, eiuſdem ſententia,

k) Vid. TACITVS annal. l. 1. c. 12.

l) TACITVS l. c. cap. 13.

m) Idem annal. l. 1. c. 76.

n) TACIT. ann. l. 1. c. 77.

o) Ibid. l. 2. c. 33.

p) Ibid. l. 2. c. 35.

q) Ibid. l. 3. c. 11.

tia, in exilium pellitur: *r*) Serenus Gyaro claudendus fuiſſet. *s*) In puniendis miniſtrorum ſceleribus Aſinius noſter, cuius liberorum Agrippina matertera erat, petendum cenſuit a principe, vt metus ſuos ſenatui fateretur, amouerique ſineret. Ille contra nullam aeque ex virtutibus ſuis, quam diſſimulationem diligebat: Tantoque accepit aegrius, recludi, quae premeret. Sed mitigauit Seianus, non Galli amore, verum vt cunctationes principis aperirentur: gnarus lentum in meditando, vbi prorupiſſet, triſtibus dictis atrocia facta coniungere. *t*) Tandem ille conſularis ſenex atque tot conſularium parens Caeſari magis magisque inuiſus, et tantum non maieſtatis reus, quod medio triennio defuerat tempus ſubeundi iudicium, ſponte, an neceſſitate dubium inedia enectus periit. Cauſſam DIO CASSIVS explicat, nec diſſimulare poteſt TACITVS. *v*) Tiberius certe conſultus, an ſepeliri ſineret, non erubuit permittere, vltraque incuſare caſus, qui reum abſtuliſſent antequam coram conuinceretur. Atque etiam audita, poſt obitum Galli, Agrippinae voluntaria morte: Tiberius foediſſimis criminationibus exarſit, impudicitiam arguens, et Aſinium Gallum adulterum, eiusque morte ad taedium vitae compulſam. *x*) Adeoque HIERONYMVS: *y*) *C. Aſinius Gallus orator, Aſinii Pollionis filius, cuius etiam Virgilius meminit, diris a Tiberio ſuppliciis necatur.* Ad quae verba SCHOTTVS *z*) recte

r) Ibid. l. 4. c. 20. *s*) Ibid. l. 4. c. 30.
t) Ibid. lib. 4. c. 71. *v*) Annal. l. 6. c. 23.
x) TACITVS annal. l. 6. c. 25.
y) Chron. Euſeb. ad Olym. CXCVIII. ann. V. initio imper. Tiberii, anno Chriſti XVI.
z) De claris apud Senecam rhetoribus pag. 7.

Digitized by Google

recte notat, ſi Gallum illum intelligat, de quo apud Maronem ecloga X. falli: ſin quartam deſignet eclogam, ſcribere non abſque ratione: quamuis enim credant vulgo Saloninum Aſinii Pollionis in ea celebrari; non defuiſſe tamen, qui de hoc Aſinio Gallo ſcriptam voluerint. Addit etiam SERVIVS, Aſconium Pedianum tradidiſſe, ab Aſinio Gallo ſe audiuiſſe, illam eclogam in honorem eius ſcriptam, cum ipſe naſceretur, Pollione conſule deſignato. Scripſit inter alia, quae ſimul interiere omnia, de comparatione patris cum Cicerone: aduerſus quos Aſinii Galli libros, Claudius Caeſar Ciceronis defenſionem ſatis eruditam edidit. *a*) Cum Aſinii libri, quibus patrem ſuum Ciceroni antepoſuit, iuniori PLINIO *b*) in Laurentino praelegerentur, hos ipſe verſus exarauit:

Quum libros Galli legerem, quibus ille parenti
Auſus de Cicerone dare eſt palmamque decusque,
Laſciuum inueni luſum Ciceronis, et illo
Spectandum ingenio quo ſeria condidit, et quo
Humanis ſalibus, multo varioque lepore
Magnorum oſtendit mentes gaudere virorum. Reliqua.

Aſinium Gallum etiam epigrammata ſcripſiſſe, vel ex eo patet, cuius in Marcum Pomponium Marcellum SVETONIVS *c*) meminit. Vxorem, vt ſupra dictum eſt, Vipſaniam habuit, M. Agrippae filiam, primo Tiberio imperatori iunctam: ex qua plures liberos, et in iis tres conſulares, accepit. Filius Gallus Aſinius cum Statilio Coruino aduerſus Claudium Imperatorem con-

a) Vid. SVETONIVS Claud. cap. 41. *b*) Lib. 7. epiſt. 4.
c) De illuſtr. grammaticis cap. 22.

iurauit, et exilio multatus eſt. *d*) Aſiniorum genealogiam TH. RYCKIVS ad Tacitum exhibuit. *e*) Aſinium Gallum noſtrum SERVIVS *f*) cum Cornelio Gallo confundit, vbi: *hic eſt*, inquit, *C. Aſinius Gallus orator, Aſinii Pollionis filius, qui ante omnes primus Aegypti praefectus fuit, eximius poeta: nam et Euphorionem tranſtulit in Latinum ſermonem, et amorum ſuorum de Cytheride libros ſcripſit quatuor.* At primus, quod etiam VOSSIVS *g*) notat, Aegypti praefectus erat Cornelius Gallus, poeta: qui cum pyramidibus Aegyptiis nomen et geſta ſua curaſſet inſculpi, quod non alius erat, quam qui rerum potiretur, affectatae tyrannidis inſimulatus apud Auguſtum, propria ſe manu interfecit, Auguſto VIII. et T. Statilio Tauro COSS. anno V. C. IϽCCXXVIII. Aſinius vero Gallus orator, vt ex fatis eius ſupra demonſtratis facile patet, diu poſt Auguſtum ſuperſtes, Tiberii anno vndeuiceſimo, Seruio Sulpitio Galba et L. Cornelio Sulla COSS. ab V. C. IϽCCLXXXV. ob dicendi nimiam libertatem damnatus, et in vincula coniectus: anno ſequenti vero excruciatus fame, et, quod plerique ſuſpicabantur, tandem iugulatus fuit.

§. XI.

IVLIVS BASSVS apud SENECAM *h*) eſt homo diſertus, cui tamen demtam eſſe velit amaritudinem, quam conſectabatur, et ſimulationem actionis oratoriae: cum nihil indecentius ſit, quam ſcholaſticum imitari forum,

d) Vid. SVETONIVS Claud. cap. 13.
e) Pag. 112. *f*) In Virg. ecl. 10.
g) De rhetorices natura ac conſtitutione cap. 15. pag. 106.
h) Praefat. lib. 5. controu.

rum, quod non nouerit. Nec mihi dubium eſt, *i*) eundem eſſe Baſſum, vtut *Iunius*, librarii fortaſſis incuria, ſcribatur, qui, FABIO QVINTILIANO puero, homo in primis dicax, *aſinus albus* vocabatur: *k*) vt TVRNEBVS *l*) interpretatur, *aſinus* ob ineptias, ſed *albus* ob iucunditatem. Licet etiam conſectaretur res ſordidas: inuenit tamen, qui illas vnice ſuſpiceret. *m*) Quocum omnino conuenit iſtud FABII *n*) de riſu: *aliud mordacius, vt Iunius* (Iulius) *Baſſus, quaerente Domitia Paſſieni, quod incuſans eius ſordes; calceos eam veteres diceret vendere ſolere: non mehercule, inquit, hoc vnquam dixi, ſed emere te ſolere.* Rurſum: *Id porro, quod dicitur, aut eſt laſciuum et hilare, qualia Galbae pleraque: aut contumelioſum, qualia nuper Iunii Baſſi etc.* Recentioris aeui et huius forſan filius ille eſt Iulius Baſſus, quem ex Bithynia repetundarum reum iunior PLINIVS defendit. *o*) Antiquior vero Aufidius Baſſus hiſtoricus, de quo SCHOTTVS *p*) et VOSSIVS *q*) conſulendi ſunt. Ex Iulii noſtri Baſſi declamationibus ſententiae plurimae a Seneca excerptae ſunt.

§. XII.

QVINTILIANVS orator a SENECA *r*) laudatur, non is, cuius oratorias inſtitutiones auditoribus noſtris

 com-

i) Quamuis SCHOTTO de claris apud Senecam rhetoribus p. 9. et VOSSIO de hiſtoricis Latinis l. 1. c. 22. iunior eſſe videatur, quam vt Senecae rhetoris aetatem attigerit.

k) QVINTILIANVS inſtit. orat. lib. 6. cap. 3. et 4. vbi de riſu. *l*) Aduerſ. l. 28. c. 35. *m*) SENECA controu. 30.

n) Inſtit. orat. l. 6. c. 3. et 4.

o) Vid. PLINIVS lib. 4. epiſt. 9. confer. eiuſdem lib. 10. epiſt. 64. et 65. *p*) De claris apud Senecam rhetoribus p. 8.

q) De hiſt. Lat. l. 1. c. 22.

r) Controu. l. 5. praef. confer. NICOL. FABER ad h. l.

commendamus quotidie; nam Senecae hic non potuit attingere aetatem: ſed eius procul dubio parens, *s*) cuius mentionem facit ipſe filius, *t*) et *cur*, inquit, *me prohibeat pudor vti domeſtico exemplo? Pater meus contra eum, qui ſe legationi immoriturum dixerat, deinde vix paucis diebus inſumtis, re infecta redierat, non exigo, vt immoriaris legationi, immorare.* Circumferuntur vulgatae CXLV. ex maiori numero ſuperſtites declamationes, quas huius Quintiliani eſſe volunt. Quod nobis non videtur. Quomodo enim extinctis et obliteratis tot oratorum egregiorum vigiliis, ad noſtra vſque tempora perdurare potuerit, qui vix ſua aetate innotuit, et cuius memoriam Seneca teſtatur cum eo extinctam fuiſſe. Declamationes iſtae profecto felicis, quod proxime ad Auguſti aetatem venit, ſeculi ingenium ac dicendi rationem prae ſe ferre nuſquam videntur. Declamator ille ſemper *aduocati* nomen pro *patrono* vſurpare ſolet, quod ante Neronem factitatum non fuiſſe, ab aliis obſeruatur. *v*) Meminit idem legis, quae in triceſimum diem poenalia iudicia differt, quae ſiue Tiberianum eſt ſenatus conſultum, ſiue Theodoſii lex, auctorem declamationum recentiorem prodit: qui cum ignoraretur, Quintiliani declamatoris notiſſimi nomen adſcriptum fuiſſe, alibi notauimus. *x*)

§. XIII.

CLODIVS TVRRINVS, patre ſplendidiſſimo, auo D. Iulii hoſpite natus, bello ciuili attenuatas ſuae domus

s) Vt aliis placet, auus: immerito. Neque enim aui, ſed patris, meminit ipſe QVINTILIANVS rhetor.

t) QVINTILIANVS orator. inſtit. l. 9. c. 3.

v) Vid. NIC. FABER in Senec. praef. l. 5. controu.

x) Sup. cap. 6. §.

mus vires excitauit nobilis, et ad ſummam dignitatem perduxit. Solebat is declamare ſtudioſe: ſed multum de viribus remiſerat, dum Apollodorum ſequebatur, eumque ſummam legem dicendi putabat. Tantum illi tamen virium ſuperfuit, quantum, etiamſi ars abeſſet, valere poterat. Sententias dicebat excitatas, inſidioſe aliquid petentes. Nihil niſi tutum probabat: non quia imbecillus, ſed quia circumſpectus erat. Cauſſas nemo propoſuit diligentius, nemo reſpondit paratius: ſuamque pecuniam et dignitatem, quam in Hiſpania habuiſſe dicitur, eloquentiae debuit. Illius quoque filius diligentiam in dicendo paternam tenuit, adoleſcens ſummae eloquentiae futurus, niſi maluiſſet exercere, quantum habuit, quam ſequi, quantum conſequi potuiſſet. *y*)

§. XIV.

Q. HATERIVS promtus et popularis orator vſque ad XC. prope annum ſummo honore conſenuit. *z*) TACITO teſte, *a*) familia ſenatoria, *b*) eloquentiae quoad vixit celebratae. Tiberium offendit, quod dixerat: *quouſque patieris, Caeſar, non adeſſe caput reip.* Haterius, cum deprecandi cauſſa palatium introiſſet, ambulantisque Tiberii genua aduolueretur, prope a militibus fuerat interfectus, quia Tiberius, caſu, an manibus

y) SENECA praefat. l. 5. controu. *z*) EVSEBIVS chron. olymp. 200.

a) Annal. l. 4. c. 61.

b) Sunt, qui velint, Aſinii Pollionis filium fuiſſe: quod SENECA epitom. lib 4. praefat. ſcripſerit: *declamauit Pollio Aſinius intra quartum diem, quam filium Haterium amiſerat, ſed tanto vehementius, quam vnquam.* Falluntur lectione deprauata: codices enim optimi *Herium* habent. Neque tempora conueniunt, vt de oratore noſtro illud valere poſſit.

nibus eius impeditus, prociderat: neque periculo liberatus eſt, donec Auguſtam oraret, eiusque curatiſſimis precibus protegeretur. *c*) In ſenatu deinde vir conſularis multa de luxu ciuitatis dixit: decretumque eſt, *ne vaſa auro ſolida miniſtrandis cibis fierent; ne veſtis ſerica viros foedaret. d*) Tribunicia poteſtas cum peteretur Druſo, et impetraretur: Haterius ſenex, foediſſimae adulationis infamia notandus, omnium ſe riſui expoſuit: quod eius diei ſenatus conſulta aureis literis figenda in curia cenſuiſſet. *e*) Diem obiit ſupremum anno V. C. IↃCCLXXVIII. Cn. Lentulo Getulico et C. Caluiſio Sabino COSS. Tiberii annò duodecimo. De monumentis eius iam tum affirmauerat TACITVS, *f*) non retineri: quod impetu magis, quam cura viguerit: atque vt aliorum meditatio et labor in poſterum valeat, ſic Haterii canorum illud et profluens cum ipſo ſimul extinctum eſſe. Audiamus, quid de illo SENECA rhetor: *g*) *Haterium*, inquit, *ſcio tam imbecillo animo mortes filiorum tuliſſe, vt non tantum recenti dolori cederet, ſed veteris quoque et obliterati memoriam ſuſtinere non poſſet. Memini cum diceret controuerſiam de illo, qui a ſepulchris trium filiorum abſtractus iniuriarum agit, mediam dictionem fletu eius interrumpi: deinde tanto maiore impetu dixit, tanto miſerabilius, vt appareret, quam magna interim pars eſſet ingenii dolor. Declamabat Haterius admiſſo populo ex tempore. Solus omnium Romanorum, quos meo tempore cognoui, in Latinam linguam tranſtulit Graecam facilitatem. Tanta illi erat velocitas ora-*

c) TACITVS annal. l. 1. c. 13. *d*) Idem annal. l. 2. c. 33.
e) Idem annal. l. 3. c. 57. *f*) Annal. l. 4. c. 61.
g) Epitom. controu. lib. 4. praefat.

orationis, vt vitium fieret. Itaque diuus Auguſtus optime dixit: Haterius noſter ſufflaminandus eſt: adeo non currere, ſed decurrere videbatur: nec verborum tantum illi copia, ſed etiam rerum erat: quotiens velles eandem rem, et quamdiu velles, diceret. Aliis totiens figuris, aliis tractationibus. Ita vt nec regi poſſet, nec conſumi. —— Is illi erat ordo, quem impetus dederat. Ac non dirigebat ſe ad declamatoriam legem, nec verba cuſtodiebat. Quaedam enim ſcholae iam quaſi obſoleta refugiunt: nec ſi qua ſordidiora ſunt, aut ex quotidiano vſu repetita, poſſunt pati. Ille in hoc ſcholaſticis morem gerebat, ne verbis calcatis et obſoletis vteretur. Sed quaedam antiqua, et a Cicerone dicta, a ceteris deinde deſerta, dicebat, quae nec ille quidem orationis citatiſſimae curſus poterat abſcondere. Adeo quicquid inſolitum eſt, etiam in turba notabile eſt. Hoc exemto, nemo erat ſcholaſticis nec aptior, nec ſublimior: ſed dum nihil vult, niſi culte, niſi ſplendide dicere, ſaepe incidebat in ea, quae deriſum effugere non poſſent. —— Multa erant, quae reprehenderes, multa quae ſuſpiceres, cum torrentis modo magnus quidem, ſed turbidus flueret. Redimebat tamen vitia virtutibus: et plus habebat, quod laudares, quam quod ignoſceres: ſicut in ea, in qua fleuit, declamatione. Alius, forſan et oratoris noſtri filius ille eſt Q. Haterius, qui cum D. Iulio Sullano anno V. C. Iↄcccv. Claudii decimo tertio, conſulatum geſſit: cum ſedecim annos natus Nero Octauiam Caeſaris filiam in matrimonium accepit. *h*)

§. XV.

h) Apud TACITVM annal. l. 12. c. 58.

§. XV.

M. CLAVDIVS MARCELLVS AESERNINVS, Aſinii Pollionis nepos, atque, vt videtur, illius M. Claudii Marcelli, qui cum L. Aruntio anno ab V. C. IↃCCXXXII. Octauiani Caeſaris Auguſti viceſimo ſecundo, conſul fuit, haud degener filius: *i*) etiam cum puer eſſet, tantam indolem oſtendebat: vt Pollio ad illum pertinere ſuae eloquentiae ſucceſſionem crederet: quamuis ſuperſtitem habebat filium, Aſinium Gallum. Coram auo declamabat ita: vt ille primum diſputaret de illa parte, quam Marcellus dixerat; praetermiſſa oſtenderet; tacita leniter impleret; vitioſa coargueret: deinde diceret ipſe partem contrariam. *k*) Ita ad eam eloquentiae vim atque gloriam penetrauit: vt eum, cum Arruntio, Fulcinio, Aſinio Gallo, et Sexto Pompeio, Cn. Piſo, caedis Germanici accuſatus, patronum petierit. *l*) Idemque incorrupta vita et facundia ad honoris ſummum faſtigium proue&tus, atque ditium familiarum heres a Silio in ſuaſione legis Cinciae dicitur. *m*) SVETONIVS *n*) hunc notat Pollionis nepotem crus effregiſſe in Troiae ludo, quem Auguſtus ediderat. Cuius caſu effectum eſt, Pollione grauiter et inuidioſe in ſenatu queſto, ne quid in poſterum eiusmodi ab Auguſto ederetur. PLINIVS *o*) Spadonis Thes-

i) Ita NICOLAVS FABER ad Senec. epit. *l.* 4. praef. putat, ex filia Aeſerninum Pollionis fuiſſe nepotem, et conſulis memorati filium; quod iſte non potuerit eſſe Pollionis nepos. Eandemque ſententiam probat SCHOTTVS de claris apud Senecam rhetoribus pag. 19. *k*) SENECA epit. lib. 4. praef.

l) TACITVS annal. lib. 3. cap. 11.

m) Apud eundem annal. lib. 11. cap. 6. et 7.

n) Auguſt. cap. 43. *o*) Hiſt. natur. lib. 12. cap. 1

Theſſalici, huius Aeſernini praediuitis liberti, meminit, qui platanum, cuius folia nunquam decidunt, primus in Italiam ſub Claudio tranſtulit.

§. XVI.

VOTIENVS MONTANVS, Narbonenſis orator, *p*) extrema Caeſaris Octauiani Auguſti tempora eruditione doctrinaque ſua illuſtrauit: Tiberii vero immanis illius belluae ſaeuitiam cum aliis viris doctis experiri debuit. Nam cognitione habita de contumeliis in principem dictis, vndecimo imperii anno, ab V. C. IↃCCLXXVII. M. Aſinio Agrippa et Coſſo Cornelio Lentulo COSS. poenis affectus eſt maieſtatis, *q*) publicatis bonis in inſulam deportatus vbi triennio poſt, Tiberii anno decimo quarto diem obiit ſupremum. Ita enim HIERONYMVS ad hunc annum: *r*) *Votienus Montanus*, *Narbonenſis orator in Balearibus moritur*, *illic a Tiberio relegatus.* TACITVS *s*) celebris eum ingenii virum nominat: SENECA *t*) hominem rariſſimi, etiamſi non emendatiſſimi ingenii. *Vitium ſuum*, pergit, *quod in orationibus non euitabat*, *in ſcholaſticis quoque euitare non potuit*: *ſed in orationibus*, *quia laxior eſt materia*, *minus earundem annotatur iteratio. — Dixit rem diſertiſſimam et omnibus ſeculis duraturam; quia neſcio an quicquam melius in eo genere cauſſarum dictum. — Habet hoc Montanus vitium. Sententias ſuas repetendo corrumpit: dum non eſt contentus vnam rem ſemel bene dicere*, *efficit*, *ne*

Eee 2 *bene*

p) Vnde MARTIALIS lib. 8. epigr. 72.
Docti patria Narbo Votienſi.
Confer. SENECA controu. 20. *q*) TACITVS annal. l. 4. c. 42.
r) Chron Euſeb. *s*) Loc. cit.
t) Controu. 28. Conf. SCHOTTVS de claris apud Senecam rhetoribus pag. 21.

Digitized by Google

bene dixerit. Et propter hoc, et alia, quibus orator poteſt poetae ſimilis videri, ſolebat Scaurus Montanum inter oratores Ouidium vocare. Nam et Ouidius neſcit, quod bene ceſſit, relinquere.

§. XVII.

MAMERCVS AEMILIVS SCAVRVS, ordinis ſenatorii orator huius aeui celeberrimus, inter eos fuit, qui initio principatus Tiberium offenderunt. *v*) Patruus ſimul atque vitricus fuit Sullae: et *oratorum*, vt TACITVS habet *x*), *ea aetate vberrimus*: vel, vt alibi ſcribit, *y*) *inſignis nobilitate et orandis cauſſis, vita probroſus.* Vir conſularis C. Silanum, proconſulem Aſiae, repetundarum poſtulauit: quod olim P. Rutilius accuſatus quoque eſſet a M. Scauro, quem proauum ſuum, opprobrium maiorum, Mamercus noſter, apud TACITVM *z*) infami opera dehoneſtare dicitur. Ipſe cum aliis maieſtatis denique accuſatur: quam quidem cauſſam Caeſar, vt ipſe cum ſenatu noſceret, aliquandiu diſtulit; datis quibuſdam in Scaurum triſtibus notis. *a*) Rurſum poſtulatur, non quidem Seiani amicitia, ſed valido ad exitium Macronis odio labefactatus: qui easdem artes occultius exercebat; detuleratque argumentum tragoediae a Scauro ſcriptae, additis verſibus, qui in Tiberium flecterentur. Verum ab Seruilio et Cornelio accuſatoribus adulterium Liuiae et magorum ſacra obiectabantur. Scaurus damnationem anteit: hortante Sexitia vxore, quae incitamentum mortis, et particeps

v) TACITVS annal. lib. 1. cap. 13. *x*) Annal. l. 3. c. 31.
y) Annal. l. 6. c. 29. *z*) Annal. l. 3. c. 66.
a) TACITVS annal. l. 6. c. 9. SENECA ſuaſor. 2. *Tuſcus Scaurum Mamercum, in quo Scaurorum familia exſtincta eſt, maieſtatis reum fecerat.*

ticeps fuit. *b*) SENECA teſte *c*) fuit non tantum diſertiſſimus homo, ſed venuſtiſſimus, qui nullius vnquam impunitam ſtultitiam tranſire paſſus eſt: Statim Ouidianum illud ſubiecit:

Dum timet alterius vulnus inepta loci. d)

Nec vltra dixit. Hoc autem vitium aiebat Scaurus e Graecis declamatoribus tractum, qui nihil non et permiſerint ſibi, et penetrauerint. Idem accurate eius ingenium deſcribit: *e*) *non noui quemquam, cuius ingenio P. R. pertinacius ignouerit. Dicebat negligenter ſaepe cauſſam in ipſis ſubſelliis: ſaepe dum amicitur dicebat: deinde litiganti ſimilior, quam agenti, cupiebat euocare aliquam vocem aduerſariorum, et in altercatione vires ſuas nouerat. Nihil erat illo venuſtius, nihil paratius: genus dicendi antiquum, verborum quoque non vulgarium grauitas, ipſe cultus habitusque corporis, mire ad auctoritatem oratoriam optatus. Sed ex iis omnibus ſcire poſſes, non quantum oratorem praeſtaret Scaurus, ſed quantum deſereret. Pleraeque actiones malae, in omnibus tamen aliquod magni neglectique ingenii veſtigium extabat. Raro aliqua actio bona, ſed quam fortunae imputares. Sed illum longa, imo perpetua deſidia eo perduxerat, vt nihil curare vellet, nihil poſſet. Orationes ſeptem edidit, quae deinde ſenatus conſulto combuſtae ſunt. Bene cum illis ignis egerat. Sed extant libelli, qui cum fama eius lugent, mul-*

b) Ita TACITVS annal. lib. 6. cap 29. *c*) Controu. 2. extr.

d) Ex Plauto verſum iſtum interpretatur IOS. SCALIGER in Priapeia. Item DVRANTIVS lib. 3. variar. cap. 11. Vnde probat, *locum* veteres vſurpaſſe pro natura muliebri. Meminit etiam pentametri huius POLITIANVS miſcell. cap. 54.

e) Controu. lib. 5. praef. init.

multoque diſſolutiores ipſis actionibus. SCHOTTO *f*) impuritate vitae, quam eloquentia, notior eſſe videtur antiquorum ſcriptis. Vitia Scauri certe a TERTVLLIANO *g*) breui hoc ſtigmate notantur: *dabo catharticum impuritati Scauri, et aleae Curii, et vinolentiae Antonii.*

§. XVIII.

L. VINICIVS elegantiſſimus huius aeui orator fuit, quo teſte SENECA *h*) nemo ciuis Romanus in agendis cauſſis praeſentius habuit ingenium: quicquid longa cogitatio illi praeſtitura erat, prima intentio animi dabat: ex tempore cauſſas agebat, ſed non deſiderabat hanc commendationem, vt ex tempore agere videretur. Ipſe iam tum diuus Auguſtus, vt idem ait, eleganter de eo dixit: vnus Vinicius ingenium in numerato habet. SCHOTTVS *i*) hunc L. Vinicium ſcribit conſulatum ſub Auguſto geſſiſſe anno V. C. IↃCCXX Sed fallitur corrupto fortaſſis faſtorum conſularium exemplo, quo perperam legit *Vinicium* pro *L. Cornificio* qui conſulatum geſſit cum Sexto Pompeio IↃCCXIIX. C. Caeſar Octauianus II. et L. Volcatius Tullus IↃCCXX. conſules fuere. Neque cum noſtro confundendi ſunt *P. Vinitius* qui cum P. Alfeno Varo Auguſti anno quadrageſimo quarto IↃCCLIV. et M. Vinitius, qui anno Tiberii decimo ſexto cum C. Caſſio Longino IↃCCLXXXII. rurſum Claudii anno quinto cum A. Corn. Coruino IↃCCXCVII. in faſtis notantur.

§. XIX.

f) De claris apud Senecam rhetoribus pag. 26. *g*) De pallio.

h) Controu. 13. extr. De Vinicio idem controu. 20. teſtatur, virum fuiſſe exactiſſimi ingenii, qui nec dicere res ineptas, nec ferre potuerit.

i) De claris apud Senecam rhetoribus pag. 28.

§. XIX.

Hos et alios oratores, qui Caeſaris Octauiani Auguſti ac Tiberii aetate vixerunt, ſuggerit M. ANNAEVS SENECA *k*) qui nobis ex pleriſque ſui temporis declamatoribus excerpta, atque, vt Graeci loquuntur, *χρηστομάθειαν καὶ παρεκβολὰς* dedit, ſtilo ſatis eleganti, nec minori acumine judicii, quo egregie vſus eſt in ingeniis dictisque eorum recenſendis; ex quibus ſua, ſedulae inſtar apis delibauit. Ad grandem vero aetatem perueniſſe, teſtis eſt ipſe, vbi ait, ſe viua voce declamantem potuiſſe Ciceronem audire in atrio illo, in quo duos grandes praetextatos fuiſſe Hirtium et Panſam Tranquillus credidit: ſed Hirtium et Dolabellam, coenandi magiſtros, declamandi diſcipulos ſe habere ipſe TVLLIVS *l*) ſcribit.

§. XX.

L. IVNIVS GALLIO M. Annaei Senecae rhetoris filius, vt SCHOTTVS opinatur, *m*) natu maximus, Senecae philoſophi et Melae frater: honoribus abſtinens, et ſtudiis eloquentiae paterno exemplo deditus, equeſtri ordine contentus vixit. De quo STATIVS PAPINIVS *n*) Lucani genethliaco:

Hoc

k) Cuius vitam, ſcripta et merita ſuperiori capite 6. §. 11. ſeqq. expoſuimus.

l) Ad Paetum epiſt. 16. lib. 9.

m) De claris apud Senecam rhetoribus pag. 16. Sed quis *Nouatus* ille Senecae maximus filius, cui cum reliquis fratribus *Seneca* et *Mela* controuerſiarum libros primum, alterum et quintum inſcripſit? MARTINVS DELRIVS proleg. in Senecam tragicum putat *Annaeum Nouatum* adoptione in gentem Iuniam tranſiſſe, et mutato nomine *Iunium Gallionem* vocatum.

n) Sylu. l. 2. carm. 7. v. 33.

Hoc plus quam Senecam dediſſe mundo,
Aut dulcem generaſſe Gallionem.

Fuit enim facetus et comis, ſuauiſſimisque moribus, nec remiſſo, aut fracto, ſed forti magnoque animo. De hoc Gallione ſcribit ex Dione XIPHILINVS *o*) cum eſſet conſuetudo, necatos a carnificibus in forum magnis quibuſdam vncis trahi, deinde in flumen abiici L. Iunium Gallionem, Senecae fratrem, facete et vrbane dixiſſe: *Claudium vnco in coelum attractum.* Non potuit tamen non adulari Tiberio: qui illum vehementer increbuit, ſtatim curia, mox Italia exegit: et quia incuſabatur facile toleraturus exilium, delecta Lesbo, inſula nobili et amoena, retrahitur in vrbem, et magiſtratuum domibus cuſtoditur. *p*) Nerone tandem imperante, vt TACITVS *q*) habet, Senecae fratris morte pauidus, et pro ſua incolumitate ſupplex, increpatur a Salieno Clemente, donec conſenſu patrum deterritus eſt, ne publicis malis abuti ad occaſionem priuati odii videretur: ſua tamen ſe interfecit manu, mortem eius Nerone in ſuam praeſentiam differente. Eius et QVINTILIANVS *r*) meminit, et paſſim in vtriuſque Senecae monumentis ſuperſtitibus laudantur merita. Tres nouimus M. Senecae rhetori filios fuiſſe, quorum natu minimus M. Annaeus Mela, Lucani poetae parens, medius L. Annaeus Seneca philoſophus, et natu maximus orator fuit noſter, qui primum M. Annaeus Nouatus, mox autem L. Iunius Gallio nominatus eſt, poſtquam adoptatus fuit a Iunio Gallione, eo ad quem Oui-

o) In Claudio. *p*) TACITVS annal. l. *6*. c. *3*.
q) Annal. l. 15. c. 73.
r) Orat. inſtit. lib. 3. cap. 1.

Digitized by Google

Ouidii elegia extat. *s*) Quantus ille orator fuerit, ne pater quidem eius nos ignorare patitur. Ita enim inter alia controuerſiarum libro quinto praefatus eſt: *primum tetracolon quorum faciam quaeritis? Latronis, Fuſci, Albutii, Gallionis. Hi quoties conflixiſſent, penes Latronem gloria fuiſſet, penes Gallionem palma. Reliquos, vt vobis videtur, componite.* Sed huius aeui ſcriptor laudatus dialogi de oratoribus, ſiue de cauſſis corruptae eloquentiae *t*) dictionem eius non magis probat, quam Maecenatis. *Si, omiſſo*, inquit, *optimo illo et perfectiſſimo genere eloquentiae, eligenda ſit forma dicendi, malim hercule C. Gracchi impetum, aut L. Craſſi maturitatem; quam calamiſtros Maecenatis, aut tinnitus Gallionis. Adeo melius oratorem vel hirta toga induere, quam fucatis et meretriciis veſtibus inſignire.*

§. XXI.

Veſpaſiani temporibus ſcripſit elegans anonymus, qui vulgo Tacitus, vel Quintilianus eſſe dicitur, dialogum illum nunquam ſatis laudandum de cauſſis corruptae eloquentiae: ex quo cognoſcimus, ea aetate claros inter oratores fuiſſe M. APRVM, CVRIATIVM MATERNVM, IVLIVM SECVNDVM, et VIPSANIVM MESSALLAM, quos in dialogo ſuo loquentes inducit. Veſpaſiani quoque aeuo PLINIVS Nouocomenſis adoleſcens in foro dicere coepit. In primis autem floruit ſub Traiano; cui, conſul deſignatus, gratias egit illo nobili panegyrico, quo certe Romana facundia in hoc genere nihil elegantius habet. Hoc ergo cum vnicum et integrum extet decreſcente hac Latinae linguae aetate monumentum elo-

s) Ouid. de ponto lib. 4. eleg. 11. *t*) Cap. 26. init.

eloquentiae: operae putamus eſſe pretium de illo accuratius paullo atque diffuſius agere.

§. XXII.

Caivs plinivs caecilivs secvndvs, iunior et Nepos, ad differentiam Plinii ſenioris, illius hiſtoriae naturalis diligentiſſimi ſcriptoris et auunculi, dictus, Caecilio patre, Plinia matre, *v*) in vrbe Nouocomenſi Italiae tranſpadannae, *x*) anno ab V. C. DCCCXIII. Neronis ſeptimo, poſt Chriſtum LXIII. natus eſt. *y*) Puer optimae indolis et excitati ingenii, ſenioris Plinii, auunculi ſui, et tutoris Verginii Rufi curis educatur, eiuſdem familiae per adoptionem inſertus, bonorum atque ſtudiorum heres factus atque ſucceſſor. *z*) Praeceptores habuit fidosque ad elegantiorem diſciplinam ductores, quos ipſe laudat, Fabium Quintilianum rhetorem, *a*) Niceten ſacerdotem, ſophiſtam celeberrimum, *b*) Euphratem philoſophum. *c*) Satis mature ſe literis dedit, atque ingenium optimis artibus, illis praecipue ab humanitate vocatis imbuere ſtuduit: quas breui temporis ſpatio mirum quantum naturae inſigni feli-

v) Quae, amiſſo marito, in fratris domo manſit. vid. plin. l. 6. epiſt. 16. et 20.

x) Comum ergo ſuas delicias vocat lib. 1. epiſt. 3.

y) Inde licet natiuitatis annum coniicere, quod l. 6. epiſt. 20. teſtatur, ſe duodeuiceſimum habuiſſe, cum Veſuuius arderet, qui teſte Dione Caſſio, fuit Titi Caeſaris primus, ann. V. C. DCCCXXXI.

z) Plin. l. 5. epiſt. 8. Patrem mature amiſit, educatus cura matris et auunculi, et tutoris Verginii Rufi, vt ipſe teſtatur l. 2. epiſt. 1.

a) Vid. plin. l. 2. epiſt. 14. et l. 6. ep. 6. *b*) Idem l. 6. ep. 6.

c) Idem l. 1. ep. 10.

felicitate iuuit. Diligens ac indefeſſus Ciceronis aemulus *d*) ad gloriam eloquentiae et maximum culmen properauit, tanto magis, quo communem ſui temporis corruptionem atque defectum obſeruabat: *e*) vt quantum in ſe eſſet, priſtinam dicendi facultatem dignitatemque reuocaret. Hinc et Tullii exemplo, Demoſthenem exprimere, et Graecam orationem in Latinam, et viciſſim Latinam transferendo in Graecam adoleſcens ſtudium intendere coepit, atque copiam vtrinque incomparabilem ſibi parare. Liuium praeterea, hiſtoriae Romanae principem, toties a Fabio praeceptore laudatum, cum lactea eius vbertate magis magisque caperetur, manibus nunquam ſepoſuit. *f*) Quatuordecim annos natus tragoediam compoſuit Graecam; *g*) elegos et heroicos aliquando verſus pangens, *h*) ſuos etiam hendecaſyllabos emiſit, *i*) ab ipſis Graecis, ſi fides auctori, valde probatos. Aetatis anno viceſimo coepit dicere in foro, *k*) et magnos aliquot viros vel accuſando, vel defendendo, cauſſas apud centumuiros, *l*) et in Senatu *m*) grauiſſimas egit: in quibus non modo pactione, dono, munere, verum etiam xeniis abſtinuit. Sic prouidus atque ſolers, eloquens et expeditus, ab imo ad altiſſimum honoris gradum peruenit; miles, *n*) quaeſtor Caeſaris, *o*) tribunus militum, *p*) tribunus plebis, *q*) Praetor, *r*) praefectus aerarii Saturni *s*) militaris

d) Lib. 4. epiſt. 8. *e*) Non enim ſui ſeculi eloquentia contentus erat. Lib. 1. epiſt. 5.
f) Lib. 6. epiſt. 20. *g*) Lib. 7. epiſt. 4. *h*) Lib. 7. epiſt. 4.
i) Lib. 4. epiſt. 14. *k*) Lib. 5. epiſt. 8.
l) Lib. 1. ep. 18. Lib. 9. ep. 23. *m*) Lib. 7. epiſt. vlt. paſſim.
n) Lib. 1. ep. 10. *o*) L. 7. ep. 16. *p*) L. 3. ep. 11.
q) L. 1. ep. 23. *r*) L. 3. ep. 11. et L. 7. ep. 16.
s) Lib. 5. ep. 15.

ris aerarii praefectus, *t*) Aemiliae viae et aluei Tyberis curator, *v*) augur, *x*) atque Conſul. *y*) Vt ipſe teſtatur, *z*) in Syria adoleſcens militabat. In tribunatu militum et quaeſtura Caleſtrium Tyronem, in conſulatu et praefectura Cornutum Tertullum collegas ſortitus. Augurali dignitate Iulio Frontino ſucceſſit: pari fortuna et integritate quicquid fuit munerum adminiſtrans. Dio, Caſſiodorus et alii eum inter conſules non referunt. At ſatis tamen patet, ei Traianum Imperatorem tertium conſulatum ſuum, poſt Chriſtum anno CV. reſignaſſe: et proconſulari poteſtate miſſus eſt ad ſtatum Ponti ac Bithyniae ordinandum. Vnde non minoris prudentiae et moderationis, quam diligentiae gloriam reportauit. In ſigillo quadriga vtebatur. Notatu digniſſimum, quod eo tempore inſonti Chriſtianorum genti contigit. Fuere ſub Nerua Caeſare quieta omnia: is enim legem tulit, ne ob religionem iſtam aliquis ſupplicio afficeretur, ſi non alicuius facinoris, alia lege prohibiti, reus oſtenderetur. Huius ſucceſſor et filius adoptiuus, Nerua Traianus, paulo fuit immitior, qui principio omnes Chriſtianos puniri paſſus eſt, et Paulinum ex ſuis praefectis vnum, pertinaciae ſcrutatorem, Mediolanum miſit. *a*) Verum a C. Caecilio

t) L. 7. ep. 14. Et ſic eum putamus quaedam geſſiſſe ex iis officiis, quae noua excogitaſſe D. Auguſtum SVETONIVS memorat; curam ſcilicet operum publicorum, aquarum, viarum, et aluei Tyberis; quae honeſtiſſima fuiſſe abunde IVLIVS FRONTINVS docet.

v) L. 5. ep. 15. *x*) L. 4. ep. 8. *y*) L. 3. ep. 13. et 18.

z) Lib 1. epiſt. 10. *a*) Vid ANDR. ALCIATVS hiſtoriae Mediolanenſis lib. 1. Apud Graeuium theſauro antiquit. et hiſtoriarum Italiae tom. 2. part. priori p. 42.

cilio Plinio, qui conſulari poteſtate praeſes erat prouinciae Ponti, nihil contra leges Romanas Chriſti cultores facere; ſolum vana aliorum Deorum numina exiſtimantes, admonitus Caeſar ſententiam mutauit, accuſationem permiſit; extraordinarium vero inquiſitionis remedium, quo per praefectos agitabantur, ſuſtulit. Patet inprimis Plinii noſtri poſt ſtudioſam inquiſitionem miſericordia et Iuſtitiae ſtudium ex epiſtola libri decimi centeſima: vbi teſtis ille digniſſimus fide ita loquitur: *affirmabant hanc fuiſſe ſummam vel culpae ſuae, vel erroris, quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem conuenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum inuicem, ſeque ſacramento non in ſcelus aliquod aſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent: quibus peractis, morem ſibi diſcedendi fuiſſe, rurſusque coeundi ad capiendum cibum, promiſcuum tamen et innoxium* etc. Vnde fabula, Plinium a Tito in Creta inſula ad fidem Chriſtianam conuerſum, ad Nouocomum, ſeptima ſextilis martyrium obiiſſe. *b*) Iuſtitiam non ex legum rigore, ſed aequitatis modulo proſequebatur, *c*) redemtoribus ob ſterilitatem remiſſiones faciens. *d*) Non ſatis praedicandum habebat auunculi, eiuſdemque per adoptionem patris exemplum: quod in omni ſtudiorum ratione imitari volebat. *Inuenio*, ſcribit *e*) *apud ſapientes, honeſtiſſimum eſſe maiorum veſtigia ſequi, ſi modo recto*

b) Sic quoque Traianum fabulantur S. Gregorii I. papae precibus in vitam reuocatum, peccatorum veniam impetraſſe. De ſcriptis ad vtramque fabulam pertinentibus et vtrinque vulgaris vid. FABRICIVM bibl. Lat. l. 2. c. 22. p. 478. ſeqq.

c) L. 2. epiſt. 16. et L. 4. ep. 10.

d) Lib. 8. epiſt. 2. et. L. 10. ep. 24.

e) Lib. 5. epiſt. 8. n. 5.

recto itinere praeceſſerint. Cur ego cunctor? Parciſſimus erat cibi atque ſomni vbique legere, ſimul atque vtiliſſima inde excerpere iam adoleſcens coeperat: *f*) literarum ſtudio, praeter illius aetatis conſuetudinem, adeo intentus, vt ne publicam quidem loci calamitatem ab inſtituto ſe auocare paſſus ſit. Eoque ſenſu ad Caninium ſuum ſcribit: *g*) *quicquid eſt temporis, futilis et caduci, ſi non datur factis (nam horum materia in aliena manu) certe ſtudiis proferamus: et quatenus nobis denegatur diu viuere, relinquamus aliquid, quo nos vixiſſe teſtemur.* Temporis quicquid deinde reliquum fuit a ciuilibus, publicis, et domeſticis rebus, id totum manſuetis et liberalioribus ſtudiis impendit, eamque nominis famam tot lucubrationibus obtinuit, quod et hodie floret, et ſecuturis forſan longae. poſteritatis temporibus celebrabitur. Cum nec alienus eſſet a poeſi: *h*) ingenium ſortitus hilare et poeticum. *i*) Et capaciſſima omnium literarum indole, et inexhauſto labore id tandem conſecutus eſt, vt ab omnibus eruditis amaretur: *k*) et ipſe cum Tacito pro doctiſſimo illius aeui haberetur. *l*) Recitationes propter multiplicem vſum inprimis vrgebat: *m*) neque ſolum ipſe frequens aliorum auditor erat: *n*) verum etiam ſua poemata recitabat, *o*) ac forenſes orationes. *p*) At ne quis ſibi perſuadeat, haec iuuenilibus conuenire annis atque ſcriptis. Iam tum conſulari dignitate, cum Traiano Imperatori panegyricum dixiſſet, curas poſteriores amicis non ſine maxima

f) Lib. 6. epiſt. 20. n. 5.
g) Lib. 3. epiſt. 7. extr.
h) Lib. 7. epiſt. 4.
i) Lib. 5. epiſt. 3.
k) Lib. 1. epiſt. 13.
l) Lib. 7. epiſt. 20. et Lib. 9. epiſt. 23.
m) Lib. 5. epiſt. 3.
n) Lib. 1. epiſt. 13. Lib. 8. ep. 12.
o) Lib. 5. epiſt. 3.
p) Lib. 2. epiſt. 19.

Digitized by Google

ma voluptate recitauit. *q*) Vxores habuit duas. De priori nihil, praeter viduitatem, compertum habemus. *r*) Poſterior Calpurnia fuit, illius haud incelebris Calpurnii *s*) et Pompeiae filia felix et erudita: *t*) quacum, vtut ſine prole, ſuaui conſortio quam iucundiſſime vixit. Fuit enim mariti, aetate iam tum maioris, amantiſſima. *v*) Et ſemel abortum fecit. *x*) Ipſo PLINIO *y*) auctore, ex coniugis ſui amore flagranti ſtudium literarum concepit. Eius libellos habuit, lectitauit prope et edidicit. Cum ageret, maximo illa gaudio affecta eſt, atque diſpoſuit, qui nuntient ſibi, quem aſſenſum maritus, quos clamores excitarit, quem euentum iudicii tulerit. Imo quoties recitauit noſter, optimae indolis muliercula in proximo, diſcreta velo, ſedit, laudesque mariti auidiſſimis auribus excepit. Ipſa quoque verſus mariti cantare conſueuit, atque formare cithara, non artifice aliquo docente, ſed amore, qui magiſter eſt optimus. Vlterius IOH. REICHIVS *z*) progreditur, et hanc Iunioris Plinii vxorem affirmat tantos in humanioribus ſtudiis et ipſa iuriſprudentia progreſſus feciſſe; vt non ſolum librum a marito inchoatum perfecerit, et luci donauerit publicae; verum etiam inſigni prorſus facundia et animi promtitudine cauſſas in foro perorauerit. Quae quidem Doctiſſimus IENICHEN, Lipſienſis ICtus, *a*) haud immerito infringit,

q) Lib. 3. epiſt. 18. *r*) Vid. PLIN. lib. 9. epiſt. 13.

s) De Calpurniorum gente vid. ONVPHRIVS PANVINIVS de nominibus Rom. apud Graeuium antiq. Rom. theſ. tom. 2.

t) Lib. 4. epiſt. 1. et 19. Lib. 6. epiſt. 7. *v*) Lib. 4. epiſt. 19.

x) Lib. 8. epiſt. 10. *y*) Lib. 4. epiſt. 19.

z) Referente GOTTLOB. AVG. IENICHEN, Viro Clariſſimo, elegantiſſima diſſertatione de C. Afrania pag. 7. ſeq. *a*) L. c.

git, eamque Calpurniam magis verecundam fuiſſe docet. Vel quis ſibi perſuadere poterit, in ea gentis Calpurniae numeroſa prole, Plinii coniugem fuiſſe, quae praetori, vt edictum de poſtulando ſcriberet, occaſionem ſua garrulitate praebuit? VLPIANVS enim *b*) auctor eſt, praetorem, ne ſine delectu paſſim apud ſe poſtuletur, inter alios feminas prohibuiſſe pro aliis poſtulare; et rationem prohibendi fuiſſe, ne, contra pudicitiam ſexui congruentem, alienis cauſſis ſe immiſceant: ne virilibus officiis fungantur mulieres. Originem vero introductam eſſe *a Calphurnia, improbiſſima femina, quae inuerecunde poſtulans, et magiſtratum inquietans, cauſſam dedit edicto.* Quamuis ego omnium minime crediderim Calpurniam, doctam et pudicam Iunioris Plinii coniugem, olim de poſtulando ſuſpectam fuiſſe: eorum tamen emendationes probare non poſſum, qui in Vlpiani fragmento primum, ex codice Florentino, pro *Calphurnia* ſcribere maluerunt *Carfania*, mox 6. *Afrania* ſubſtituere conati ſunt. Rationes enim, ſi quid video, obſtant ſequentes. (1) Vulgata et communis omnium exemplorum, ante Contii emendationem lectio conſtans et ſana eſt de *Calphurnia* quadam, vt plures huius nominis fuerunt feminae, in primis ad lites et poſtulandum prona. (2) Eouſque valet ſententia maioribus tradita, donec illius probetur contrarium. (3) Exemplum ſine mendo nullum, nec ipſum Florentinum omni ſua parte perfectum eſſe poteſt. (4) Vitium in nomine proprio apertum, vero et omnibus noto ſubſtituere, praeter neceſſitatem et rationes alias ſtringentes, non licet. (5) *Calphurnia* eſt omnibus ſatis notum, *Car-*

b) l. 1. de poſtulando. Digeſt. lib. 3. tit. 1.

Carfania inauditum atque inſolens verbum. (6) Certum ex incerto emendari nequit. (7) Vitium in voce *Carfania* ipſi ICti critici ſtatim intellexerunt: iterumque medicam arbitrati ſunt adhibendam eſſe manum: ſed immerito vt textus et legis verba haberent ſuſpecta, maluerunt VALIRIVM MAXIMVM, *c*) alia narrantem, audire, et ſcribere *C. Afrania*, quam VLPIANI *d*) fidem non infringere et vulgatam probatamque lectionem *Calphurnia* retinere. (8) Vtriuſque ſalua poteſt eſſe ſcriptura, ſalua fides: et longe plures, quam vtrinque indicantur, potuerunt eſſe mulieres, *e*) minus verecundae, atque adeo ad poſtulandum pronae. (9) Alius Vlpiani atque Valerii Maximi ſcopus, cum hic virtutem illi vitium ſexus ſequioris enarrare inſtituerit. Vlpianus Calphurniam proponit exemplum mulieris, cui non fuerit religioni, poſtulare pro aliis, contra pudicitiam ſexus agentis, adeo quidem, vt alienis cauſſis ſe immiſcere non vereatur; notat ergo Calphurniam iſtam improbiſſimam feminam, quae inuerecunde poſtularit, ſuaque garrulitate ſaepius inquietarit magiſtratum, tandemque prohibitionis dederit occaſionem. Valerius Maximus contra mulieres deſcribit, quas animi magnitudo et ipſa neceſſitas, non pro aliis, verum ſemet ipſis in foro et iudiciis, ne ſuccumberent, cauſſam dicere coe-

c) Lib. 8. cap. 3. *d*) L. 1. de poſtulando. Digeſt. lib. 3. tit. 1.

e) In hunc cenſum et Semiamira Heliogabali Imperatoris mater impudica venit. Qua tandem extincta, cautum fuit, ne vnquam mulier ſenatum ingrederetur, vtque inferis caput eius dicaretur atque deuoueretur, per quem id factum eſſet. LAMPRIDIVS Heliogabali cap. 18.

Digitized by Google

git, eamque Calpurniam magis verecundam fuiſſe docet. Vel quis ſibi perſuadere poterit, in ea gentis Calpurniae numeroſa prole, Plinii coniugem fuiſſe, quae praetori, vt edictum de poſtulando ſcriberet, occaſionem ſua garrulitate praebuit? VLPIANVS enim *b*) auctor eſt, praetorem, ne ſine delectu paſſim apud ſe poſtuletur, inter alios feminas prohibuiſſe pro aliis poſtulare; et rationem prohibendi fuiſſe, ne, contra pudicitiam ſexui congruentem, alienis cauſſis ſe immiſceant: ne virilibus officiis fungantur mulieres. Originem vero introductam eſſe *a Calphurnia, improbiſſima femina, quae inuerecunde poſtulans, et magiſtratum inquietans, cauſſam dedit edicto.* Quamuis ego omnium minime crediderim Calpurniam, doctam et pudicam Iunioris Plinii coniugem, olim de poſtulando ſuſpectam fuiſſe: eorum tamen emendationes probare non poſſum, qui in Vlpiani fragmento primum, ex codice Florentino, pro *Calphurnia* ſcribere maluerunt *Carfania*, mox 6. *Afrania* ſubſtituere conati ſunt. Rationes enim, ſi quid video, obſtant ſequentes. (1) Vulgata et communis omnium exemplorum, ante Contii emendationem lectio conſtans et ſana eſt de *Calphurnia* quadam, vt plures huius nominis fuerunt feminae, in primis ad lites et poſtulandum prona. (2) Eouſque valet ſententia maioribus tradita, donec illius probetur contrarium. (3) Exemplum ſine mendo nullum, nec ipſum Florentinum omni ſua parte perfectum eſſe poteſt. (4) Vitium in nomine proprio apertum, vero et omnibus noto ſubſtituere, praeter neceſſitatem et rationes alias ſtringentes, non licet. (5) *Calphurnia* eſt omnibus ſatis notum, *Car-*

b) l. 1. de poſtulando. Digeſt. lib. 3, tit. 1.

Carfania inauditum atque inſolens verbum. (6) Certum ex incerto emendari nequit. (7) Vitium in voce *Carfania* ipſi ICti critici ſtatim intellexerunt: iterumque medicam arbitrati ſunt adhibendam eſſe manum: ſed immerito vt textus et legis verba haberent ſuſpecta, maluerunt VALIRIVM MAXIMVM, *c*) alia narrantem, audire, et ſcribere *C. Afrania*, quam VLPIANI *d*) fidem non infringere et vulgatam probatamque lectionem *Calphurnia* retinere. (8) Vtriuſque ſalua poteſt eſſe ſcriptura, ſalua fides: et longe plures, quam vtrinque indicantur, potuerunt eſſe mulieres, *e*) minus verecundae, atque adeo ad poſtulandum pronae. (9) Alius Vlpiani atque Valerii Maximi ſcopus, cum hic virtutem illi vitium ſexus ſequioris enarrare inſtituerit. Vlpianus Calphurniam proponit exemplum mulieris, cui non fuerit religioni, poſtulare pro aliis, contra pudicitiam ſexus agentis, adeo quidem, vt alienis cauſſis ſe immiſcere non vereatur; notat ergo Calphurniam iſtam improbiſſimam feminam, quae inuerecunde poſtularit, ſuaque garrulitate ſaepius inquietarit magiſtratum, tandemque prohibitionis dederit occaſionem. Valerius Maximus contra mulieres deſcribit, quas animi magnitudo et ipſa neceſſitas, non pro aliis, verum ſemet ipſis in foro et iudiciis, ne ſuccumberent, cauſſam dicere coe-

c) Lib. 8. cap. 3. *d*) L. 1. de poſtulando. Digeſt. lib. 3. tit. 1.

e) In hunc cenſum et Semiamira Heliogabali Imperatoris mater impudica venit. Qua tandem extincta, cautum fuit, ne vnquam mulier ſenatum ingrederetur, vtque inferis caput eius diceretur atque deuoueretur, per quem id factum eſſet. LAMPRIDIVS Heliogabali cap. 18.

coegit. Ita, ſi Valerio credimus, Amaeſia Sentia *f*) rea cauſſam ſuam, L. Titio paetore iudicium cogente, maximo populi concurſu egit: partesque omnes ac numeros defenſionis non ſolum diligenter, ſed etiam fortiter executa, prima actione, cunctis pene ſententiis liberata eſt. Afrania, Licinii Buccionis ſenatoris vxor, pro ſe ſemper apud praetorem verba fecit. Quod adeo illi non vertendum vitio: tantumque abeſt, vt ſua potius, quam cauſſidici, aliquando res male agentis, lingua virago vti ſi velit, improbitatis habeatur nota: cum et hodie iſtud nouimus ſaepe vſu venire. Nec Hortenſiae, Q. Hortenſii filiae, crimen obiectum, quae, cum ordo matronarum a triumuiris graui tributo eſſet oneratus, nec virorum quiſquam auderet illis ſuum commodare patrocinium, ipſa conſtanter et feliciter feminarum cauſſam apud triumuiros egit, ac impetrauit, vt pars maior imperatae pecuniae remitteretur. (10) Difficilis et abſurda vocum *Calphurniae atque Afraniae* commutatio. Si vel maxime C. praefigatur nomen Valerio incognitum, et nudius tertius demum, vt aliqualis coniecturae videatur eſſe probatio, in criticorum cerebello natum. (11) Si vel maxime concederemus *Caiam Afraniam* fuiſſe dictam, ex VALERIO PROBO aliisque grammaticis, qui de notis Romanorum interpretandis quam accuratiſſime commentati ſunt, facile conſtat omnibus, C. quidem ſignificare *Caium; Caiam* vero litera inuerſa Ɔ. indicari, et ƆL. *Caiae libertum.* Haec in tranſitu. Ad Plinium noſtrum vt redeamus: ex amicorum grege, quos ſecum frequentes habuit et doctiſſimos,

f) Niſi potius legendum *praetoris ſententia rea*, vt STEPHANVS PIGHIVS voluit.

mos, vt quoſdam indicemus ſaltem, valde familiariter vſus eſt Ariſtone, Neratio, Frontino, Cornelio, Arriano, aliis Jureconſultis, quorum in digeſtis haud rara fit mentio. Quintilianum vt praeceptorem, Cornelium Tacitum *g*) vt rectorem et magiſtrum ſuſpexit. Suetonium Tranquillum, contubernalem ſuum amauit atque fouit. Valerium Martialem poetam, quocum ſingularis illi amicitia placuit, aliquando ſecedentem egregio viatico ornauit. *h*) Maxima enim in eo liberalitas et munificentia laudatur: vt opes, quas habuit ex tot hereditatibus ſatis opimas, in egentes et amicos diſpenſarit. Templum Tifernatibus ſua pecunia exſtruxit: *i*) et Cereris aedem in praediis ſuis. *k*)In municipio ſuo bibliothecam dedicauit; *l*) et annuos ſumtus in alimenta ingenuorum erogauit; *m*) tertiam ſalarii partem publico praeceptori obtulit; *n*) Romanum et Firmum cenſu equeſtri iuuit; *o*) Caninium ad bonas artes reuocauit. Quintiliani praeceptoris filiae dotem auxit. *p*) Artemidoro philoſopho, vrbe excedere iuſſo, quae Domitiani ſaeuitia fuit, pecuniam, qua opus erat, gratuitam dedit. *q*) Ad Larium lacum, cui Comum adiacet, villas amoeniſſimas poſſidebat. *r*) Ipſe frugalis et abſtinens fuit: *s*) vt voluptates etiam ſtudiis condiret, *t*) et inter venandum ſtuderet. *v*) Nec minus diligens fuit pater-

g) Lib. 7. epiſt. 20. *h*) Lib. 3. epiſt. 21.
i) Lib. 4. epiſt. 3. *k*) Lib. 9. epiſt. 39.
l) Lib. 1. epiſt. 8. *m*) Lib. 1. epiſt. 8.
n) Lib. 4. epiſt. 13. *o*) Lib. 1. epiſt. 19.
p) Lib. 6. epiſt. 32. *q*) Lib. 3. epiſt. 11.
r) Lib. 9. epiſt. 7. *s*) Lib. 2. epiſt. 4. et 6.
t) Lib. 9. ep. 36. *v*) L. 1. ep. 6. L. 5. ep. 18. et L. 9. ep. 36.

Digitized by Google

paterfamilias, qui praedia ſua mirifice coluit et aedificauit. *x*) In ſeruos mitis *y*) nullos habuit vinctos: *z*) ac domum ſuis permiſit eſſe ciuitatis inſtar. *a*) Corpore fuit imbecillo et minime robuſto, quod TRAIANVS Imperator *b*) *corpuſculum* vocauit, et cauſſam intentius orantem, per libertum monuit, vt lateri conſuleret. *c*) Aliquando lippitudine laborauit, *d*) procul dubio lucubrationibus contracta: quibus et omnis imbecillitas corporis forte imputanda erit. Vixit ſub Imperatoribus, Flauio Veſpaſiano, Tito, et Domitiano. Sed inprimis floruit ſub Traiano Caeſare, eruditorum maximo fautore, et ipſo Principe erudito, quem ſcriptis ſuis et panegyrico ſupra modum laudauit. De obitu nihil certi proditum. Secundum plurimorum ſententiam Traianus Imperator regnauit vſque ad annum ſeruatoris CXVIII. quo tempore etiam, vel paulo poſt noſter Plinius videtur diem obiiſſe ſupremum. Sed et hodie varia tanti viri memoriam ſeruantia paſſim exſtant monumenta. Mediolani fuit magna marmorea tabula. Sed cum literae et artes bonae armis ceſſiſſent barbaris, homines plane rudes, quid ea menſa contineret, quod ingentis eam videbant eſſe magnitudinis, nobile Lothario Regi ſepulchrum facturi, in quatuor ſecuere partes, compoſitamque in D. Georgii aedicula, quae in Ambroſiano delubro eſt, pro cenotaphio repoſuerunt, ita in commiſſuris ſcalpello exeſis notis, vt quando-

x) Vid. L. 2. epiſt. 17. L. 5. epiſt. 6. L. 9. epiſt. 7.

y) Lib. 1. epiſt. 4. *z*) Lib. 5. epiſt. 19.

a) Lib. 8. epiſt. 16. *b*) Lib. 10. epiſt. 29.

c) Lib. 2. epiſt. 11.

d) Lib. 7. epiſt. 21.

quandoque integer ordo deſideretur. Literas notabimus, vt eas TRISTANVS CALCHVS, Mediolanenſis hiſtoriographus *e)* notauit.

C. PLINIVS. L. F. AVGVR	O. V. F. CAECILI. PR.
LEGAT. PROCONSVLARI	PROVINCIAE. PON
POTESTATE. IMP. CAESAR	IN EAM PROVINCIAM
NERVA. CVRATOR. ALVEI	E. TRAIANO AVG. GER
TI. PRAEF. AERARII	MAERIS. ET. RIPARVM
SAT. QVAESTOR. IMP.	ENI. PRAEF. AERARII. MIL
ADIECTIS. IN	SE. VIR. EQVITVM
LIVS. IN. TVTELAM. LIBER	TIB. IVDICANS. THERA
TORVM. SVORVM. HOM	ORNATVM. HS. CC. HS. CC
EMENT. POSTEA. AD EPV	T. F. L.
LVM. S. DEDIT. ALIMENTA	HS. XVIII. LXVI. DCLXVI.
PVERI. N. TVTELAM	RE
BIBLIOTH	PLEB. VRBAN. VOLVIT
	PERTIN. ET. PVLEARVM
	PLEB. VRBAN. HS. CAES
	HS. C

Sed ANDREAS ALCIATVS *f)* ſolicitudine ſua veterum incuriam e veſtigiis redemit, quodque in ea tabula ſingulis annotatum erat literis, integre maluit referre, quod ſuſpicabatur fore vt plerique, quanquam docti, minus eam intelligerent. Reſtituit vero turbatam ruptamque inſcriptionem hoc modo:

C. Plinius, Luci filius, olim veteri familia, Caecilius, Augur,
Legatus, Proconſul, Praeſes Prouinciae Ponti, Conſulari

 Poteſta-

e) Hiſtoriae patriae l. 1, apud Graeuium theſ. antiq. et hiſt. Ital. tom. 2. part. prior. p. 108.

f) Hiſt. Mediolanenſis lib. 1. apud Graeuium theſauro antiq. et hiſtoriarum Italiae tom. 2. part. prior. p. 43. ſeq.

Poteſtate in eam prouinciam, et Imperatore Caeſare Nerua Traiano Auguſto Germanico, Curator aluei Tiberis et Riparum, et Praefectus aerarii Saturni, Praefectus aerarii militum Quaeſtor Imperatoris, Seuir equitum, Tribunus militum, Legionis VI. Gallicanae, Decemuir litibus iudicandis; Thermas adiectis in ornatum ſeſtertiis tercentis, et eo amplius in tutela, ſeſtertiis ducentis, teſtamento fieri iuſſit. Et libertorum ſuorum nominibus ſeſtertiorum decies millies noningentorum ſexaginta ſex dedit; centum quinquaginta ſex rei incrementum poſtea ad epulum plebis vrbanae voluit pertinere; his dedit in alimenta puerorum et puellarum plebis vrbanae ſeſtertia centum; in tutelam bibliothecae, ſeſtertia centum. Bibliothecae, addit, curam Caecilio fuiſſe, vel ob hoc teſtimonium in promtu eſt, quod literarum ſtudia quammaxime tum Mediolani florerent, et praeceptores de publico conducti etiam vicinorum municipum liberos inſtruebant, quam commoditatem ipſe Plinius epiſtola quadam ciuibus ſuis non fuiſſe teſtatur. g) TRISTANVS CALCHVS h) vero propter mentionem bibliothecae, et alimentorum pueris deſignatorum dubitandum cenſet, vtrum potius fuerit Comi i. e. in patria, quam Mediolani poſita illa tabula, et inde per temporum varietates tranſuecta; ſiquidem in epiſtolis ipſe teſtis ſermonem ſe apud ſuos municipes habuiſſe, cum eſſet dedicaturus bibliothecam, et munificentiam ſuam erga patriam declarans, *non*, inquit, *ludos aut gladiatores, ſed annuos ſumtus in alimenta ingenuorum pollicebamur.* Et aegre, quod ſupra monitum, ferebat, praeceptores et ſtudia literarum in patria non haberi;

g) Lib. 4. epiſt. 13. h) Loco ſupra citato.

beri; ſed mitti adoleſcentes Mediolanum, et procul conſpectu parentum educari, ſi qui literis operam dare vellent; atque vt magiſtri conducerentur, ſe tertiam daturum partem impenſarum oſtendit. *i*) Ecquid ſtatuendum de alio Plinii noſtri monumento, quod, teſte ALCIATO, *k*) Mediolani in orientalis portae fornicibus conſpici poteſt, quo ſibi, et Caecilio patri, et vxori ſuae Calpurniae, viuus memoriam poſuit? Saxum ipſum vetuſtate tam corroſum eſſe diligentiſſimus hiſtoriae Mediolanenſis ſcriptor ait, vt quaedam in eo verba vix cognoſci poſſint. Vtriuſque tandem eo ſententia redit, noſtrum Mediolani vicarium a Traiano datum, in eam ciuitatem tot largitionibus ſuam liberalitatem et beneuolentiam teſtari voluiſſe. Quam Comenſes ſibi quoque ambabus manibus tribuunt. Certe in agro Comenſi: *l*) C. PLINIO. L. F. O. V. F. CAECILIO. SECVNDO. COS. AVGVR. CVR. ALV. TIBER. ET. CLOAC. VRB. PRAEF. AER. SAT. PRAEF. AER. MIL. Q. IMP. SEVIR. EQ. ROM. LEG. III. GALL. XVIRO. STL. IVD. FL. DIVI. T. AVG. — — — RCELIENS. Comi in exteriore ſtructura templi maximi haec leguntur: C. PLINIO. L. F. O. V. F. CAECILIO. SECVNDO. COS. AVG. CVRAT. TIBER. Pro foribus aedis B. Virginis marmori inſculptum: *C. Plinio Caecilio Secundo, qui conſulatu, auguratu, militiae geſtis, orandis cauſſis, poematibus et hiſtoriis conficiendis, Caeſare Traiano Auguſto luculentiſſime laudando, afficiendoque immenſa liberalitate patriam ſuam, eidem immortale contulit ornamentum, Ordo Comenſis conciui ſuo deſiderabili, honore accepto, monumentum poſuit. M. CCCC. LXXXIIX. Cal. Mai.*

Fun-

i) Lib. 4. epiſt. 13. *k*) Loco ſupra citato.
l) Apud Gruterum p. 454.

Functus eram ſed tum veteri praeclarus honore;
Viuebam, perii. Nunc quoque vita mihi eſt.

E latere dextro huius monumenti extat et aliud C. Plinii Secundi ſenioris: ſed integram eius inſcriptionem videre poſſumus apud VOLATERRANVM: *m*) quocum conferri merentur BOXHORNII de Plinio Caecilio iudicium, quo aduerſus aliorum ſententiam, eum Chriſtianum fuiſſe negat: VOSSIVS quoque, *n*) et qui ex profeſſo Plinii vitam deſcripſerunt, IOH. MARIA CATANEVS, CONRADVS LYCOSTENES, CVNR. RITTERSHVSIVS, GEORG. CASP. KIRCHMAIERVS, CHRISTOPHORVS CELLARIVS, et omnium diligentiſſimus IOH. MASSON. *o*) Etiam Plinii vitam deſcripſit, ac per annos digeſſit IAC. DE LA BAVNE S. I. quam panegyrico praemiſit, in vſum Delphini illuſtrato.

§. XXIII.

Ex omnibus Plinii Caecilii Secundi ſcriptis ſuperſunt hodie *Epiſtolarum libri X.* quorum vltimus Traiani et Plinii epiſtolas de rebus grauiſſimis complectitur mutuas, et primum anno poſt Chriſtum natum MDII. a Petro Leandro e Gallia in Italiam allatus, publici iuris ab Hieronymo Auantio Veronenſi factus eſt. *p*) Plurimi tunc quidem hunc epiſtolarum librum decimum Plinii eſſe negarunt: tum quia ſtilo et elegantia a reliquis diuerſus: tum quia, praeter doctorum conſuetudi-

m) Lib. 18. *n*) De hiſtoricis Latinis l. 1. c. 30.

o) Plinii vita a Maſſone deſcripta, huius claſſici auctoris editioni Oxonienſi 1703. 8. praemiſſa; et ſeparatim edita eſt *Amſtelodami* 1709. 8.

p) Etiam hic liber ſeparatim CVNR. RITTERSHVSII commentario illuſtratus 1609. *Ambergae* prodiit; vitis Plinii et Traiani praemiſſis.

Digitized by Google

dinem, in illis Traianus tantum vocetur Dominus. Sed in illis Plinio noſtro vindicandis praeter Cataneum et Aldus Manutius *q*) et alii fuerunt occupati, reliquis hunc decimum epiſtolarum librum praeferentes. Ita VIGNOLIVS MARVILLIVS: *r*) *le dixieme liure des epitres du ieune Pline eſt le chef d' oeuure de ce grand homme. Ses autres lettres ont de grandes beautez, et des agremens ſinguliers pour les gens, qui aiment les belles lettres, mais celles-ci qui regardent le miniſtere, ſont incomparables, principalement quandelles ſe trouuent accompagnées des reponſes de Traian, qui leur aportent un grand luſtre. Iamais rien ne m' a fait mieux conceuoir ce que les Romains apelloient imperatoria breuitas, que ces reponſes ſi breues et ſi ſages. Si les pour eſprits ſe meloient d' écrire, ils n' écriroient pas autrement. C' eſt là le plus haut point de la perfection.* Simul vero omnes de meliori nota commendari merentur et omnino valet, CASP. BARTHII *s*) iudicium: *Plinii epiſtolas quo magis legas, eo plus diligas.* Et OLAI BORRICHII: *t*) *epiſtolarum libros X. exarauit, in quibus dictio ſine pompa elegans, ſine digreſſionibus maſcula et cordata. Scriptor candidus, vir bonus, et boni principis, boni politici imaginem animo repraeſentans, chriſtianorum etiam in acerrima perſecutione fautor.* Sunt profecto elegantiſſimae, quas ob concinnam breuitatem quidam ipſiſmet Ciceronianis praeferre non dubitarunt. Quo iure iam vidimus. Alii contra, et hos inter

q) Ad Aloiſium epiſtola Plinianis praemiſſa.

r) Miſc. hiſt. liter. tom. 3. p. 197.

s) Aduerſ. lib. 19. cap. 25.

t) Conſp. auct. Lat. linguae p. 51.

Digitized by Google

inter POLITIANVS, *v*) totum illud ſeculum aſpernantes, Plinios etiam Senecis, ratione ſtili, deteriores iudicarunt.

§. XXIV.

Exſtat etiam Plinii *panegyricus*, Imperatori Traiano dictus, cum ab eo conſul anno ab V. C. DCCCLV. poſt Chriſtum natum CV. ſuo loco deſignatus eſſet. Elegantiſſimum opuſculum Romano ſuo miſſurus *x*) conſiderari vult, vt pulchritudinem materiae, ita difficultatem. Vulgata ſimulat dicta eſſe omnia, vt lector quaſi otioſus atque ſecurus tantum elocutioni vacet. Ordinem, tranſitus atque figuras commendat; neque affectanda ſemper eſſe elata et excelſa. Nam vt in pictura lumen non alia res magis quam vmbra commendat, ita orationem tam ſubmittendam, quam attollendam fore. Ipſam orationem vberius, quam in ſenatu dixerat, elaborauit poſtea, et recitauit maxima cum audientium voluptate: quod Seuero ſuo *y*) exultans quaſi exponit. Ab exordio vero, *officium*, inquit, *conſulatus iniunxit mihi, vt reip. nomine principi gratias agerem: quod ego in ſenatu quum ad rationem et loci, et temporis ex more feciſſem; bono ciui conuenientiſſimum credidi, eadem illa ſpatioſius et vberius volumine amplecti. Primum, vt Imperatori noſtro virtutes ſuae veris laudibus commendarentur: deinde, vt futuri Principes non quaſi a magiſtro, ſed tamen ſub exemplo praemonerentur, qua potiſſimum via poſſent ad eandem gloriam niti. Nam praecipere, qualis eſſe debeat Princeps, pulchrum quidem, ſed oneroſum, ac prope ſuperbum eſt: laudare vero optimum principem, ac per hoc poſteris, velut e ſpecula lumen, quod*

v) Epiſt. 1. *x*) Lib. 3. epiſt. 13. *y*) Lib. 3. epiſt. 18.

quod ſequantur, oſtendere; idem vtilitatis habet, arrogantiae nihil. Hoc panegyrico, ſi Cuiacio credimus, certe poſt Ciceronis aeuum, nullum extat elegantius linguae ac facundiae Latinae monumentum. Et auctor bibliothecae curioſae, qui procul dubio Boeclerus fuit: *z*) *poſt Ciceronem*, inquit, *nominandus eſt Plinius panegyriſtes, qui ingenii praeſtantiam, et eloquentiae vbertatem inimitabili momento explicauit, et cui nihil ſimile extat.* ALDVS quoque MANVTIVS: *a*) *panegyricum de laudibus Traiani, quia adeo elegantem, doctum, acutum, vtilem iudico, vt in eo ſeipſum ſuperaſſe Plinius videatur: legendus ille quidem aſſidue omnibus, tum ſententiarum grauitate, tum rerum copia, tum ad bene beateque viuendum ſanctiſſimis optimisque praeceptis; ſed praecipue magnis viris et principibus, iisque omnibus, qui aliis praeſunt.* Secundum MORHOFIVM *b*) arte magna, nec minore dictionis concinnitate panegyricus ille compoſitus eſt, quem haud ab re prudentiae ciuilis imperatoriae penu dicas.

§. XXV.

Scripſit praeterea, quae temporum iniuria periere, multas orationes in quocunque dicendi genere: quibus et Marcum Tullium noſtrum et Demoſthenem, ſummos oratores, non inuita Minerua imitatus eſt. Satis mature orator extitit clariſſimus, cui nemo facile praeferebatur. Iam vndeuiceſimo anno dicere coepit in foro: *c*) atque cauſſas per omnem aetatem egit cum apud centumuiros, *d*) quorum iudicia arenam ſuam vocat, *e*)

Hhh 2 etſi

z) §. 15. *a*) Epiſtola dedicatoria ad Aloiſium Plinianis praemiſſa.
b) Polyhiſt. lit. l. 4. c. 12. §. 2. *c*) Lib. 5. epiſt. 8.
d) Lib. 1. ep. 18. L. 9. ep. 23. *e*) Lib. 6. epiſt. 12.

etſi ingenio ſaepe ſuo indigna; *f*) tum in ſenatu nobiliores agitauit, procul dubio et orationes ſcripſit ex. gr. contra *Baebium Maſſam*, *g*) *Caecilium Claſſicum*, *h*) et *Marium Priſcum*; *i*) pro *Iulio Baſſo*, *k*) et *Rufo Vareno*: *l*) quas in ſummam collegit. *m*) Etiam hiſtorias confeciſſe, de ea ſaltem condenda cogitaſſe, patet ex epiſtolis, praeſertim octaua libri quinti, et Nouocomenſi inſcriptione paulo ſuperius allata, vbi patriae orandis cauſſis, poematibus et hiſtoriis conficiendis ornamentum contuliſſe dicitur. De poematibus etiam ipſe paſſim teſtatur, quod ſuo loco in eius vita notauimus.

§. XXVI.

Accuſandus merito eſt, vir elegans cetero et doctus, Priſci Iauoleni nuperus defenſor, GOTTLOB AVGVSTVS IENICHEN, *n*) qui vt ſapientem et incomparabilem orbi literato redderet dubiae ſanitatis ICtum; haud certe ſeruata aequitatis regula, vt ſuum cuique tribuat, Plinium incomparabile huius ſeculi ornamentum, neſcio quot criminum et malae fidei accuſare non veretur. Neque, vt verum fatear, ſatis capio, quid deſiderari poſſit in auctore noſtro, quem ipſe *o*) magni facit ob praeclaras atque rariores animi dotes, quas iure ſcriptores in eo celebrare ſoleant, aut quomodo virtutes maxumas vitiis conſpurcare potuerit maxumis.

1) No-

f) Lib. 2. epiſt. 14. *g*) Lib. 7. epiſt. vlt.
h) Lib. 3. epiſt. 4. *i*) Lib. 2. epiſt. 11.
k) Lib 4. epiſt. 9. *l*) Lib. 5. epiſt 20. *m*) Lib. 6. epiſt. 29.
n) Diſſertatione ad Frider. Ottonem Menckenium de Priſco Iauoleno ICto incomparabili et praecipuo ſeculi ſui ornamento, quae prodiit Lipſiae 1754. 4.
o) Vid. doctae diſſertationis pag. 21.

1) Nobis perſuadere conatur, immoderatius de ſemetipſo ſentire, et effuſum eſſe totum in laudibus de ſe ipſo enarrandis. Quod ſi moderate eumque in finem fecit, vt alios ſecum honeſta ambitione incenderet atque adeo ad virtutis ſtudium pertraheret: non modo ferendum, ſed omnino laudandum eſſe puto. Neque difficili negotio, id ſi iam agerem, in ſanctis vtriuſque foederis verbi diuini miniſtris atque clarioribus virtutum exemplis idem eſſe factum demonſtrare poſſem. Immoderatius aliquid agere, vel totum in laudibus ſuis recenſendis fuiſſe, nuſquam reperio. Sed exempla profert. Videamus. Lib. 1. epiſt. 5. §. 12. *Eſt*, inquit, *mihi cum Cicerone aemulatio, nec ſum contentus eloquentia ſeculi noſtri.* Miror, virum his literis exercitatiſſimum non videre, hoc loco ipſum Plinium Reguli cauſſidici calumniam, et maligne dictum diluere: quod cetero et ipſe profiteatur, et honorificum exiſtimet. Nam ſtultiſſimum credit, ad imitandum non optima quaeque proponere. Ecquis hodie erubeſceret, palam affirmare, ſibi aemulationem cum Cicerone, nec contentum eſſe recentioris ſeculi eloquentia? Quod mecum certe primus ipſe dixerit doctiſſimus IENICHEN, quem propter elegantiora ſtudia ſuſpicio. Lib. 1. epiſt. 13. §. 6. *Neque*, ſcribit, *enim quiſquam eſt fere, qui ſtudia, vt non ſimul et nos amet.* Recte. Et addit: *His ex cauſſis longius, quam deſtinaueram, tempus in vrbe conſumſi.* Quaſi vero, quod etiam hodie fieri a pleriſque videmus, non liceret praedicare aliorum beneuolentiam. Ich kan nicht genung rühmen / was ſie mir für Ehre angethan haben. Alle Gelehrte / und die von Studirn was machen / haben mich lieb und werth gehabt: ſo daß ich länger / als ich willens war / mich in der Stadt auf-

Digitized by Google

aufgehalten habe. Equidem in illis nihil reprehendendum inuenio. Lib. 4. epiſt. 1. §. 5. commemorat templum Tifernatibus extruxiſſe ſua pecunia. Quid ni? Vel quotuſquiſque noſtrum eſt, qui amicis non quicquid egerit ſine vlla iactationis ſuſpicione abſens literis nunciauerit? Ita Tullius vnis literis res totius aeſtatis ad ſenatum ſcripſit. Ita et nos quotidie de rebus noſtris eos praecipue, quorum ſcire intereſt, certiores facere ſolemus. Neque Plinio aliquis facile vitio verterit, quod in itinere quid ornamenti praediolis ſuis addiderit Fabato Proſocero ſuo ſignificarit. Ecquid verius aut ſimplius ſcribere potuiſſet? *Oppidum eſt*, inquit, *praediis noſtris vicinum, nomen Tifernum Tiberinum, quod me paene adhuc puerum patronum cooptauit: tanto maiore ſtudio, quanto minore iudicio aduentus meos celebrat, profectionibus angitur, honoribus gaudet. In hoc ego, vt referrem gratiam (nam vinci in amore turpiſſimum eſt) templum pecunia mea exſtruxi: cuius dedicationem, quum ſit paratum, differre longius, irreligioſum eſt* etc. Lib. 9. epiſt. 23. nihil ſuperbe et arroganter de ſe ipſo pronunciat; verum iocatur potius, ac ludit, cum Tacito ſe in primis doctorum nomine intelligi et ab viris honeſtiſſimis digito commonſtrari: vt idem ſibi acciderit, quod olim Demoſtheni, *p*) qui illo ſuſurro delectari ſe dicebaaquam ferentis mulierculae Atticae, inſuſurrantisque alteri: οὗτός ἐςι Δημοσθένης: *hic eſt ille Demoſthenes.* Scilicet, vt PERSIVS *q*) habet,

Pulchrum eſt digito monſtrari, et dicier: hic eſt.

Longe vero minorem, imo nullam iactantiam reperio Lib. 9. ep. 39. qua Muſtium ſuum rogat, ſibi, aedem Cere-

p) Confer. CICERON. Tuſcul. quaeſt. l. 5. c. 36.
q) Satyr. 1. v. 28.

Cereris refecturo, marmora et ſigna emere velit: quandoquidem religio poſtulet, vt aedem pulcherrimam, nec ſumtuum habita ratione, exſtrueret. Sed verba captari miſerum. Sic tamen aliquando

Caedimus inque vicem praebemus crura ſagittis.

2) Non ſine admiratione pergit Doctiſſimus Priſci Iauoleni defenſor Plinio faſtum prope et ſtultum inclareſcendi ſtudium exprobrare: *quam ſeruili adulatione et immani liberalitate proſequitur illos, qui elogia ipſi plus iuſto admetiuntur? Hos enim ſolos aeſtimat, hos magni facit, hos colit, hos beneficiis ornat, hos veneratione admirationeque dignos cenſet, qui fortia facta illius enarrant, qui laudibus immeritis eundem extollunt, et qui nominis immortalitatem ſcriptis ſuis ipſi pollicebantur.* Nollem, Virum cetero elegantem et iuriſprudentiae politioris amantiſſimum eo vſque progredi, erroris incautum. Valde enim et hoc verendum eſt, ne exiſtimationi illius viri, quae apud me certe magna eſt, tantum decedat, quantum ipſe tot ſeculorum conſenſu probatis Plinii virtutibus, irrito quamuis conatu, detrahere ſtudet. Specimina quae profert illius ſordidae ambitionis, ne tanti quidem ſunt: quae adeo potuiſſemus ſilentio praeterire: niſi criminis auctor vnum in illis ſentiam poſuiſſe fundamentum, quod cuiuſmodi ſit ex argumentatione ſequenti facile patet.

Titius Meuium propter merita laudat et ornat.
Meuius Titium beneficiis cumulat.
Ergo Meuius ſolos adulatores aeſtimat, ornat, atque ab illis immortalitatem nominis ſibi pollicetur.

Egregia argumentatio. Sed videamus, vbi tanquam ſorex ſe Plinius prodat. Lib. 3. epiſt. 11. Quid videtur egiſſe aliud, quam Iulio Genitori ſuo, ſummas laudes, qui-

quibus ab Artemidoro exulante propter beneficia eueheretur, referenti, gratum ſibi eius animum, reſpondiſſe, et quod illi inprimis liberalitatem ſuam probarit? Siccine Plinius, praetor cum eſſet, ab egeno philoſopho, ſua quem iuuit pecunia, maiorem nominis gloriam ſperare poterat? D. IENICHENVS vero inuertit omnia: et Plinium dicit liberalem erga Artemidorum fuiſſe: quoniam hic illius laudum buccinator: non Artemidorum erga Plinium fuiſſe gratum: quoniam beneficiis ab illo fuerit ornatus. Lib. 3. epiſt. 21. vbi mortem Martialis Priſco ſuo nuntiat ac defuncti ingenium laudat: inter alia monet eum ſecedentem viatico proſecutum fuiſſe, propter amicitiam, et propter verſiculos, quos ad eum ſcripſerit: imo propter librum, quem tranſmiſerit cum verſibus ſuis. r) Quid inde? famam ab adulatoribus ſperat. Ergo nihil dandum amicitiae. Et peccant, qui muneris aliquid doctis pro librorum dedicatione reddere ſolent. Sed hanc quoque Plinius addit liberalitatis rationem: *fuit moris antiqui, eos, qui vel ſingulorum laudes, vel vrbium ſcripſerant, aut honoribus, aut pecunia ornare.* Huius furfuris ſunt quoque argumenta, quae ex lib. 4. epiſt. 27. lib. 6. epiſt. 11. lib. 9. epiſt. 20 et 21. producere non erubeſcit: et illis omnibus ſimul hoc agit, vt amicis non licere doceat pro laudibus agere gratias: aut, quod vbiuis locorum adhuc obtinuit, redamare amantem. Contra quod OVIDIVS s) monet:

—— vt ameris amabilis eſto.

Concedamus iuſto maiorem noſtri in adulatores indulgentiam fuiſſe: Iauoleni defenſor, nullo tamen modo pro-

r) Confer. MARTIAL. Lib. 10. epigr. 19.

s) Artis amatoriae Lib. 2.

Digitized by Google

probare poterit, Plinium, in cuius ingenium moresque paulo accurationem ſibi videtur inquiſitionem inſtituiſſe, magni ſolos aeſtumare et ornare adulatores. Laudibus vero ornatum fuiſſe immeritis, pugnat cum eo, quod paulo ſuperius dederat: *magni facio Plinium ob praeclaras rarasque animi dotes, quas iure concelebrant in eo ſcriptores.* Et qui auctoritate in republica plurimum valet, eloquentia excellit, bonis artibus inclutus eſt, ſcriptis meritisque poſt funera viuit, ab adulatoribus immortalitatem nominis minime gentium exſpectare videtur. Sed vbi probatio deficit, rem perficere conatur Excellentiſſimi IENICHENI audacia: et 3) *neque illos*, calumniatur, *ferre poterat homo perdite ambitioſus, qui gratia apud optumates et populum valebant. Verebatur enim, vt cum maxume, detrahi ipſius famae, quod alienae gloriae laudique adiiceretur.* Bona verba, quaeſo. Multa dicuntur, non probantur. Sed quorſum haec omnia? Finguntur, vt procedant, quae ſequuntur, iſtis non ſaniora: *in magna nominis celebritate Romae vixiſſe Iauolenum, praecipua et honorificentiſſima munera geſſiſſe — Hoc pupugit Plinium, intolerabilis ambitionis reum*, et quae ſuo loco illuſtrabimus, cum fuerit de ICtis huius ſeculi commodior differendi occaſio. Plinius certe vir conſularis apud populum, optumates et ipſum imperatorem ea valebat gratia et dignitate, vt nullius plane, nedum Iauoleni, hominis obſcuri et male aliquando ſani fortuna illi videretur fuiſſe formidanda. Ea viri liberalitas, ea virtus, ea cum optumis quibusque viris conſuetudo et familiaritas fuit: vt ne per ſomnium quidem id genus flagitia cogitare potuerim.

§. XXVII.

Quanti fuerit ipſis veteribus propter ingenium aeſtimatus: illorum notabimus teſtimoniis. MARTIALIS *t*) *facundum* vocat, eumque multis verſiculis ornauit. *v*) FABIVS QVINTILIANVS *x*) celebrium oratorum exempla et characteres exponens *elegantiam* tribuit Secundo: nec alium intelligit, quam noſtrum Plinium Caecilium Secundum, quem ipſe non modo diſcipulum formauit, ſed etiam poſtea florentem eloquentia vidit. *y*) MACROBIVS *z*) illi pingue et floridum ſcribendi genus adſcribit, Ciceroni copioſum, Salluſtio breue, Frontoni ſiccum. SIDONIVS APOLLINARIS *a*) Plinii diſciplinam maturitatemque laudat, perpetuus eius imitator qui voluit ac diſcipulus vocari. *b*) CASSIODORVS *c*) Celſo et Criſpino conſulibus Plinium Secundum Nouocomenſem oratorem et hiſtoricum inſignem haberi, cuius ingenii opera extent plurima. Sed quid aliena colligo cum in ipſo PLINIO domeſticum habeamus teſtimonium. Ille atque Tacitus eo tempore in literis velut duumuiri principatum tenebant, vt vna nominarentur, cum de ſtudiis ſermo eſſet. *d*) atque in hos ferretur coniectura, ſi qua de doctis non nominatis ferenda. *e*)

§. XXVIII.

t) Lib. 10. epigr. 19.
v) Vid. ipſius PLINII. l. 3. epiſt. 21.
x Inſtit. orat.. l. 12 c. 10. *y*) Conf. PLIN. l. 6 epiſt. 32.
z) Saturn. l. 5. cap. 1.
a) Lib. 1. epiſt. 1. mentionem eius quoque fecit l. 4. epiſt. 3. et l. 8. epiſt. 10. *b*) Lib. 4. epiſt. 22.
c In chronico ſub Traiano.
d) PLINIVS lib. 7. epiſt. 20.
e) Idem l. 9. epiſt. 23.

§. XXVIII.

Plinius certe eruditiſſimus et floridus auctor in panegyrico ſatis eloquentiae incomparabili verborum ac ſententiarum apparatu oſtendit. Ingenii vbique elucet praeſtantia et orationis vbertas. *f*) Epiſtolae ſunt purae, elegantes, terſae et argutae: vt recondita Latinitas cum arte et exornandi facultate certare videatur. Hinc et ſtatim cum illis Ciceronianis coniungi merentur: et ſine dubio multum in ſtilo proficientibus conferre poterunt. Sed in primis cauenda eſt Atticiſmi affectatio; et probe videndum ne ab illa commodiori Ciceronis vbertate et vera eloquentia nimium aberretur. Inuenies hic affatim cumulatos flores, arcte inter ſe ſtipatas et ſubtiles ſententias; orationem aliquando ſine copula luxuriantem; aliquando egregiis alluſionibus abundantem. Et mirum quantum in Plinio quidem haec lectorum animos capiant atque delectent: magis tamen ad oſtentationem ingenii et pompam, quam ad ſeria negotia et res tractandas accommodantur. Nec adeo multorum indoles hanc orationis formam capere poteſt: qui recentiori aeuo tot Lipſiomimi deliriis ſuis ad nauſeam vſque teſtatum fecere. Nihil ſupra ingenii vires tentandum: nec quicquam inuita Minerua, aut praeter naturae voluntatem aemulandum. Expreſſio verborum, pondus,

f) Nec derogat illius laudi IOH. STVRMII de imitatione oratoria l. 1. c. 4. ſententia, qui vbi reiecit Fabii declamationes, vt foro et iudiciis non idoneas, eadem de cauſſa Plinii panegyricum etiam repudiandum ducit immerito: quaſi omnes orationes generis iudicialis eſſe debeant. Licet preſſior etiam, et acutior atque ſubtilior, quam populi aures ferant, tanto magis tamen probatur doctis et bonis; neque minus audientibus, quam legentibus placere poteſt.

nitor, copia et praeclara de ſubtilibus perite loquendi auctoritas, haec ſunt, quae praeſertim in hoc atque in aliis Romanae eloquentiae ſcriptoribus commendamus. Ab ipſo ſeculo commendatis facile concedimus ſuo abundare ingenio. Sed qui adeo Plinii lectione capiuntur, vt ipſi Tullio eum anteponant: illi meo quidem iudicio nimium ſibimet ipſis indulgere videntur. Cicero dulcis, candidus, copioſus. Plinius breuis, floridus, ſucculentus. Ille ex vbertate Romana latius euagatur; hic ex breuitate Laconica ſtrictius concludit. Illi nihil addi; huic nihil demi poteſt. Ille verbis vberior; hic ſententia denſior. Illi plus facundiae; huic plus nitoris. In illo plus naturae; in hoc plus curae. Illum illaborata, hunc meditata decorant. Hinc praeclare et argute quidam lingua vernacula de Plinio Caecilio Secundo cecinit: *g*)

Schreibſt du gleich nicht ſo rein/ als chmals Tullius;
Genung daß/ auſſer dem/ dir jeder weichen muß:
Dann ob ſich andere ſchon noch ſo viel befleiſſen/
So wirſt du dennoch ſtets/ wie jetzt/ Secundus heiſſen.

§. XXIX.

In dictione occurrunt quaedam, non omnino probanda. ADOPTATIO, de cuius Latinitate cum aliis Voſſius dubitauit, pro *adoptione* ſcribitur, *h*) forſan librariorum incuria: nam alibi: *i*) *auunculus meus, idemque per adoptionem pater*, ſenior Plinius ab eo vocatur. Licet apud LIVIVM *k*) etiam *cooptatio in patres*, i. e. in

---

g) Vid. des Schleſiſchen Helicons auserleſene Gedichte part. 2. pag. 50.

h) Paneg. cap. 5. n. 1. *i*) Lib. 5. epiſt. 8.

k) Lib. 4. c. 4. et l. 5. c. 12.

in ſenatorium ordinem, et *cooptatio tribunorum* valeat. Cum aliis huius aeui ſcriptoribus *l*) voce AVDENTIA *m*) pro *audacia* vtitur. AVOCAMENTVM illi eſt remiſſio a labore, eine Ergößlichkeit. *n*) Alibi: *o*) *admittere auocamenta*, ſich zufrieden geben. BELLATORIVS *ſtilus*; *p*) VT AMMIANO *q*) *bellatoria iumenta*. FESTO auctore: *bes appellatum eſt, quod bis triens ſit, quamuis dura compoſitio fiat beſſis ex triente*. Sic noſter: *r*) *reliquit heredes*, EX BESSE, i. e. ex duabus tertiis, *nepotem*, *ex tertia parte neptem*. Quod vix liceret poetae, pro ſpumoſo, dixit CANVM *mare*: *s*) *vaſtus illic fragor*, *canumque circa mare*. CAPITALITER *laceſſere*, *t*) peinlich/ auf Leib und Leben belangen/ quantum memini, hoc aeuo ſolus dixit. COLVMBVLVS, diminutiuo ein Täubgen. *v*) Poetica licentia COMAS tribuit arboribus, pro frondibus atque foliis. *x*) CVSTODITIVS i. e. prudentius: *y*) DIMENSVS paſſiue. *z*) MORTIFERE *aegrotare*. *a*) SERVATIO pro obſeruantia. *b*) SINISTERITAS, pro maleuolentia, aut moroſa placendi imperitia, Ungeſchicklichkeit. *c*) Nec raro vocabula Graeca miſcet, quae nunc vſurpare integra, nunc Latina flexione, velut in ipſo Latio nata, ponere non veretur. APOPHRAGISMA

 ima-

l) Vid. TACITVS Annal. l. 15. c. 53. n. 3. de Germ. c. 34. n. 4. Confer. NONIVS cap. 5. n. 84.

m) Lib. 8. epiſt. 4. n. 4.
n) Paneg. c. 82. n. 8.
o) Lib. 8. epiſt. 5. n. 3.
p) Lib. 7. epiſt. 9. n. 7.
q) Lib. 23. c. 5.
r) Lib 7. epiſt. 24. n. 2.
s) Lib. 6. ep. 31. n. 17.
t) Lib. 1. epiſt. 5. n. 4.
v) Lib. 9. epiſt. 25. n. 4.
x) L. 5. epiſt. 6. n. 19.
y) L. 9. ep. 26. n. 12.
z) L. 4. epiſt. 30 n. 3.
a) L. 3. epiſt 16. n. 3.
b) L. 10. epiſt. 121. n. 1.
c) L. 6. epiſt. 17. n. 3. l. 9. ep. 5. n. 2.

imago illi eſt caracterque ſigilli. *d*) APSIS curuatura fornicis. *e*) ARCHETYPVS primitiuum exemplar, ad quod res formatur. *f*) BVLE ſenatus. *g*) BALEVTA ſenator. *h*) HYPERBATON facere, pro tranſgreſſionem ordinis vel ſtructurae. *i*) PSEPHISMA, decretum ſuffragiis populi factum. *k*)

§. XXX.

Epiſtolae Plinianae primum prodiere *Neapoli* 1476. fol. Deinde *Mediolani* 1478. fol. per Philippum Lauagniam. *Romae* 1490. 4. per Eucharium Silber, curante Pomponio Laeto. *Bononiae* 1498. per Philippum Beroaldum, editio a Ioh. Iucundo ad MS. Pariſienſe emendata.

§. XXXI.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto epiſtolae et panegyricus coniunctim plerumque prodierunt. *Venetiis* 1504. et 1508. 8. apud Aldum, in quibus editionibus primum ex membranis Gallicis ab Aloyſio Mocenico, Veneto Senatore in Italiam allatis nonnulla acceſſerunt. 1518. 8. cum libro de viris illuſtribus, Suetonio et Obſequente. *Mediolani* 1506. fol. apud Alex. Minutianum cum laudato Ioh. Mariae Catanaei commentario. *Pariſiis* 1588. 12. Plinium notis et ampliſſimis indicibus illuſtrauit Claud. Minos. Quae rarior editio eſt. Sequitur alia 1591. 12. ex officina H. Stephani,

d) Lib. 10. epiſt. 16. extr. *e*) Lib. 2. epiſt. 17. 8.
f) L. 1. ep. 20. n. 9. l. 5. ep. 10. n. 1.
g) Lib. 10. ep. 85. n. 1. ep. 112. 113. 117.
h) Lib. 10. ep. 113. et 115. *i*) L. 8. ep. 7. n. 2.
k) L. 10. ep. 52. n. 2.

ni, cum Iſ. Caſauboni notis, adiectis vna Pacati, Mamertini, atque Nazarii panegyricis. *Lugduni* 1539. 8. cum libro de viris illuſtribus, Suetonio et Obſequente. *Argentorati* 1514. ex B. Rhenani recenſione.

§. XXXII.

Illuſtriores ſequenti ſeculo commendantur editiones, quae prodiere *Pariſiis* 1601. cum Ioh. Mariae Catanaei commentario. *Oxonii* 1686. cum panegyrico et notis. *Amſtelodami* 1659. 12. apud Elzeuirios, ex recenſione M. Z. Boxhornii. *Lugduni Batauorum* 1640. 12. apud Elzeu. 1653. et 1659. 12. ex recenſ. Marci Zuerii Boxhornii. 1669. 8. cum notis integris Iſ. Caſauboni, Iani Gruteri, H. Stephani, Auguſti Buchneri, Caſp. Barthii, Ioh. Frid. Gronouii, ſelectiſſimis autem Ioh. Mariae Catanaei, Rittershuſii et aliorum; nec non inſertis ſuo loco integris commentariis Franciſci Balduini, Cunradi Rittershuſii, et G. I. Voſſii, in relationem ſeu conſultationem Plinii, et ad hanc reſcriptum Traiani Imperatoris, de Chriſtianis, accurante Ioh. Veenhuſio. *Roterodami* 1669. 8. eadem modo laudata Veenhuſiana editio. *Geneuae* 1625. et 1643. cum Ioh. Mariae Catanaei commentario. *Lipſiae* 1675. et 1695. 8. cum Iac. Thomaſii eruditis de auctore et eius commentatoribus prolegomenis atque notis variorum ſelectis. Accedit panegyricus cum analyſi et breuibus notis M. Alberti Chriſtiani Rothii, eccleſiaſtae Lipſienſis. 1693. et 1700. 12. cum notis, tabulis geographicis, et nouo Latinitatis indice Chriſtophori Cellarii. 1694. 8. cum notis Alberti Chriſtiani Rothii. *Halae Saxonum* 1686. 8. iam laudata editio Iac. Thomaſii, qui praefatione ſingulas editiones fuſe recenſet, ſuas etiam auctori, et alio-

Digitized by Google

aliorum animaduerſiones addit. *Ienae* 1650. 8. cum notis Buchneri, Iſ. Caſauboni, H. Stephani, et Caſp. Barthii, curante Andrea Riuino: additis Plinii et aliorum panegyricis. *Francofurti ad Viadrum* 1644. 12. cum Auguſti Buchneri animaduerſionibus. 1650. et 1665. 8. cum notis Buchneri, Caſauboni, Stephani et Barthii, curante Andrea Riuino. Accedunt Plinii et aliorum panegyrici.

§. XXXIII.

Noſtra aetate et ſeculo recentiſſimo, Plinii cum panegyrico epiſtolae prodierunt *Oxonii* 1703. 8. accurante Thoma Hearne, cum notis adiunctis, et Plinii vita a Ioh. Maſſone deſcripta. *Londini* 1716. 8. panegyricus cum interpretatione et notis Iacobi de la Baune S. I. in vſum Delphini. *Lipſiae* 1710. et 1721. 12. cum notis, tabulis geographicis et Latinitatis indice Chriſtophori Cellarii. M. Ioh. Chriſtianus Hertzogius, gymnaſii Cizenſis conrector, nouis annotationibus magis illuſtrauit, et ad maiorem tyronum vſum applicauit. 1712. 12. cum Ioh. Frid. Weinrichii notis ad modum Minellii. Rurſum 1727. 12. cum annotationibus ad modum Ioh. Minellii. *Amſtelodami* 1734. 4. cum notis ſelectis Ioh. Mariae Catanaei, Iacobi Schlegkii, Iac Sirmondi, Iſ. Caſauboni, Henr. Stephani, Conr. Rittershuſii, Cl. Minois, Caſp. Barthii, Aug. Buchneri, Ioh. Schefferi, Ioh. Frid. Gronouii, Ioh. Veenhuſii, Chriſtoph. Cellarii, aliorumque recenſuerunt et annotationibus illuſtrarunt Gottlieb Cortius et Paulus Daniel Longolius.

CAP.

Digitized by Google

CAPVT VIII.

De clarioribus, ſeneſcente Latina lingua, Iureconſultis.

§. I.

Quamobrem Iuriſprudentia Ciceroni ſuſpecta. 2. Eius neglectum fuit ab initio ſtudium. 3. Temporis progreſſu maiores ſe prodiderunt naeui; et ſectis denique diſtracta veritas. 4. Maſſurius Sabinus. 5. M. Cocceius Nerua pater. 6. Filius. 7. Licinius Proculus. 8. Eius ſcripta, et, quae in Digeſtis ſuperſunt, fragmenta. 9. Quodnam eius praenomen. 10. Alii Proculi. 11. C. Caſſius Longinus. 12. Coelius Sabinus. 13. Pegaſus. 14. Iuuentius Celſus pater. 15. Priſcus Iauolenus. 16. Eius libri, atque ex illis fragmenta recenſentur.

§. I.

Iam tum Ciceronis aetate coepit diuina iuriſprudentia in deterius verti, ac viris cordatis propemodum fieri ludibrio. Peruerſum innuo, non genuinum, quod ſapientes decet atque ſatis nunquam praedicari poteſt, legum atque iuris ſtudium. Et alibi *a*) dixi, hoc legum interpretandarum munus Romae grauiſſimum atque ſanctum fuiſſe, adeo quidem, vt non niſi optimi et eruditiſſimi viri ad illud admitterentur. Dixi et ipſam iuriſprudentiam cum eximia dicendi arte ac ſtudio fori neceſſario coniunctam eſſe debere. Nunc inepta declamandi ratio veram expulit ſapientiam, vt vulgo

a) De virili aetate Latinae linguae part. 2. c. 3. §. 1.

go ſine iuris exacto ſtudio oratores, ſine aliqua in concionibus agendi facultate formulis ſuis adſtricti ſint iureconſulti. Adeoque haud immerito ille TVLLIVS *b*) noſter, maximus cauſſarum patronus, optimorum ſaluo honore, indignabundus in id genus hominum ſtomachatur: vbi inſignem inſtituit artis militaris comparationem cum iure ciuili, et oſtendit militarem operam non minus ad conſulatum adipiſcendum Murenae dignitatis dediſſe, quam Sulpicio dedit forenſis induſtria. *Qui*, inquit, *poteſt dubitari, quin ad conſulatum adipiſcendum multo plus afferat dignitatis, rei militaris quam iuris ciuilis gloria?* Neque illum genuinam innuere iurisprudentiam, teſtantur quae de oratoria dicendi facultate ſubiungit, et eam eſſe grauem et dignitatis plenam: adeo quidem, vt ſaepe valuerit in conſule deligendo, et ſenatus, et populi, et eorum, qui iudicant, mentes conſilio et oratione permouere potuerit. Nihil vero dignitatis eſſe in tam tenui iuris ſcientia, quam deſcribit: res ſunt paruae prope in ſingulis literis atque interpunctionibus occupatae. — Si quid apud maiores in iſto ſtudio fuerit admirationis, enunciatis recentiorum myſteriis totum fuiſſe contemtum et abiectum. Vulgatis demum faſtis iratos veritosque ne, dierum ratione cognita, lege poſſet ſine opera ſua agi, notas quaſdam compoſuiſſe, vt omnibus in rebus ipſi intereſſent. Verbis conceptis agebant omnia: qui cum peruulgarentur, inaniſſima prudentiae reperta ſunt, at fraudis et ſtultitiae pleniſſima. Nam cum permulta praeclare legibus eſſent conſtituta: ea iureconſultorum ingeniis pleraque corrupta fuiſſe ac deprauata; in omni iur ciuili aequitatem

b) Orat. pro L. Murena cap. 10. ſeqq.

tatem reliquiſſe, verba ipſa tenuiſſe. Denique miratur, tot homines, tam ingenioſos. per tot annos ſtatuere non potuiſſe, vtrum diem tertium, an perendinum; iudicem an arbitrum; rem an litem dici oporteret. Poſt pauca: *peritus ideo haberi nemo poteſt, quod in eo, quod ſciunt omnes, nullo modo poſſunt inter ſe diſcrepare. Difficilis autem res ideo non putatur, quod et perpaucis et minime obſcuris literis continetur. Itaque ſi mihi, homini vehementer occupato, ſtomachum moueritis, triduo me iuriſconſultum eſſe profitebor.* Nihil vero dici potuiſſet luculentius, quam quod ipſam dicendi conſuetudinem oppoſuerit formulis et actionibus: vt longe et multum iſti ad honorem antecellat. Pleroſque initio eloquentiam maluiſſe: poſt, cum eam aſſequi non potuerint, ad iuris ſtudium deueniſſe. *Duae ſunt artes, quae poſſunt locare homines in ampliſſimo gradu dignitatis: vna imperatoris, altera oratoris boni. Ab hoc enim pacis ornamenta retinentur: ab illo belli pericula repelluntur.*

§. II.

Ita videmus primum ſacrae Themidis myſteria recondita fuiſſe *libris faſtis* pontificum Romanorum, quibus ſignificabantur dies faſti et nefaſti. *Faſti* dicebantur, quibus fari licebat Praetori verba ſolennia tria, *do*, *dico*, *addico*. Si quando non liceret, dies erant *nefaſti*. Teſtis OVIDIVS: *c*)

Ille nefaſtus erit, per quem tria verba ſilentur,
Faſtus erit, per quem lege licebit agi.

Tum vero ex XII. tabularum legibus erant compoſitae actiones, quibus inter ſe homines diſceptarent. Aſt ne populus, prout vellet, actiones iſtas inſtitueret; vo-

 lue-

c) Faſt. l. 1.

Digitized by Google

fuerunt eſſe certas atque ſolennes. Et ea iuris pars dicebatur legis actio, vel actio legitima. Ita prudentes, quicquid XII. tabulis continebatur, certis quibuſdam iuris formulis ac ritu ſolenni traduxerunt in vſum forenſem. Id genus formulas obtinendae et augendae potentiae ſuae cauſſa, in pontificum penetralibus reconditas habuerunt, vſque ad Cn. Flauium, Annii filium, aedilem curulem, qui cornicum oculos confixit, i. e. homines callidos et verſutos ſua calliditate et verſutia vicit: cum ab ipſis adeo cautis ICtis compilarit ſapientiam, et faſtos populo ediſcendos propoſuerit. *d*) Itaque et illi irati, quod timerent, ne, dierum peruulgata ratione, ſine opera ſua legibus agi poſſet, formulas compoſuere notis, ac ſingulis aut binis literis integra verba deſignarunt: ne poſſent a populo intelligi, ac omnibus in rebus ipſi intereſſent. *e*) Et hoc modo deſcripta fuiſſe legitimorum actuum inſtrumenta, indicio eſt praeter infinita alia teſtamentum militare Sempronii Tucidani, L. Mallio et Q. Torquato coss. quod etiamnum inter antiquitatum reliquias apud GEORGIVM FABRICIVM *f*) legimus. Porro quia in notarum interpretatione, ob varias et incertas vnius literae aut ſyllabae ſignificationes, ipſi leguleii ſaepe fuerunt hallucinati, haud raro etiam ſyllabarum aucupes appellatos fuiſſe conſtat.

§. III.

d) CICERO orat. pro Muraena cap. 11. Ad Attic. l. 6. epiſt. 1. AVL. GELLIVS noct. Attic. l. 6. c. 9.

e) Conferatur quod ex inſtituto veterum de notis ſcriptum a nobis eſt in commentario de virili aetate Lat. linguae parte 2. c. 8. §. 8.

f) Vid. apud eum antiquitatis monumenta pag. 12.

Digitized by Google

§. III.

De naeuis iuriſprudentiae Romanae anteiuſtinianeae CHRISTIANVS THOMASIVS conſulendus eſt, qui ſatis accurate et eleganter pleroſque libris duobus deſcripſit. In republica ſatis mature patrum et plebis euenerunt diſſenſiones: quibus legislatoriae poteſtatis partem ad ſe populus, per ſeceſſiones, pertraxit. Prima ſeceſſione ab V. C. CCLIX. Seruilio et Appio coss. in montem ſacrum, obtinuit, vt ſuos conſtitueret tribunos plebis, qui intercedendi haberent poteſtatem: atque vt id ratum eſſet, quod plebs, ad ſe per tribunos latum, iuſſiſſet. Inde plebiſcita venerunt. *g*) Altera ſeceſſione in montem Auentinum CCCIII. cum patres ſe plebiſcitis teneri negarent, L. Valerius et Horatius coss. legem ad populum tulerunt: vt, quod tributim plebs iuſſiſſet, populum teneret. *h*) At quia lex Horatia populi tantum faciebat mentionem, ac rurſum patres nolebant populi nomine comprehendi: lege Publilia, quam Q. Publilius Dictator tulit, CCCCXVI. eius modi plebiſcitis omnes Quirites teneri iubebantur. *i*) Tertia denique plebis in ianiculum ſeceſſione CCCCLXVII. cum legi patriciorum ambitione iterum eſſet derogatum; eandem Q. Hortenſius dictator reſtituit. *k*) Qualis inde rerum confuſio, quae iuris incertitudo, facile omnibus patet. Eademque patres inter ac plebem diſſenſio praetoris creandi occaſionem dedit, primum ex patribus, *l*) mox ex plebe; *m*) pri-

 mum

g) Confer. LIVIVS l. 2. c. 33. *h*) Idem l. 3. c. 55.

i) Idem l. 8. c. 12.

k) Epitome Liuii l. 11. PLINIVS hiſt. natur. l. 16. c. 10. AVGVSTINVS de ciuitate Dei l. 3. c. 17.

l) LIVIVS l. 6. c. vlt. l. 7. c. 1. *m*) Idem l. 8. c. 15.

mum vnius, mox duorum et temporis ſucceſſu plurium. *n*) Illorum vero cum magna conſtaret in iure reddendo poteſtas, qui mala intentione ſaepius ad plebem decipiendam creabantur; edicta etiam praetoria ſaepius mutarentur: magna iuris confuſio exorta eſt. Eodem fere, quo praetor, tempore aediles curules ad curandos ludos publicos conſtituebantur: *o*) ad quos temporis ſucceſſu et viarum, et publicarum venditionum cura, ſimul atque edictorum eo nomine proponendorum tranſiit poteſtas: quae et legis vim obtinuerunt. *p*) Cum vero ea non ſemper vtilitatem publicam, ſed plebis aliquando incommoda et litium multitudinem reſpiciebant: quammaxime ſuſpecta reddebantur, tanto magis, quod aedilium creatio in odium plebis etiam facta credebatur. Ecquis negauerit, propter tot variantes leges, plebiſcita, edicta, multiplicatum eſſe ICtorum diſſenſum; atque adeo illorum explicationibus cumulatis atque diuerſis, obſcuram, difficilem, ac pene incertam eſſe factam iuriſprudentiam? Et optimo conſilio iam tum, bellis ciuilibus compoſitis, nouo iuris ſyſtemate propoſito, defectus reſtituere naeuosque illos quouis modo emendare decreuit. *q*) Sed morte praeuentus tam ſalutare opus perficere non potuit. Imperio ad Auguſtum delato, et mutata reip. forma, neceſſario et iuriſprudentiae et legum alia conditio fuit. Sed res pedetentim proceſſit. Leges initio non paucae in ſpeciem libertatis ſunt latae; prin-

n) Vid. ALEX. ab ALEX. gen. dier. l. 2. c. 15.
o) LIVIVS lib. 6. fin.
p) Vid. t. t. Digeſt. de aedil. edict.
q) SVETONIVS Caeſ. cap. 44.

principum conſilia orationibus commendata; conſtitutiones ipſae per modum ſenatuſconſultorum propoſitae; reſponſa prudentum ſanctione corroborata, vt iudici ab iis recedere non liceret; praetorum ac aedilium poteſtas coercita; praetorum edictum in perpetuam formam redactum; formulae ſublatae; ipſum denique collegium pontificum extinctum fuit. Interea temporis ingens Romana iuriſprudentia damnum eo paſſa eſt, quod Auguſtus ac Tiberius primum reſpondendi facultatem, quibus voluerunt, per modum beneficii conceſſerunt, ac iudicibus quaſi neceſſitatem impoſuerunt ab illis ICtorum reſponſis non recedendi. Hinc variae ſenſim ſuboriebantur ſectae, quae iuris incertitudinem auxerunt. Antiſtius Labeo et Atteius Capito, de quibus ſcitu maxime neceſſaria ſcripſi in eo libro, qui de virili aetate Latinae linguae prodiit; *r*) ſectarum in iuris diſciplina auctores primi fuerunt. Ita enim POMPONIVS: *s*) *hi duo primum velut diuerſas ſectas fecerunt: nam Ateius Capito in his, quae ei tradita fuerant, perſeuerabat; Labeo ingenii qualitate et fiducia doctrinae, qui et ceteris operis ſapientiae operam dederat, plurima innouare inſtituit.* Ante quidem ſemper in iure diſſenſus fuit, et maior fortaſſis libera rep. cum ſinguli, qui poterant, doctrinae fiducia reſpondebant. Aliud vero eſt diſſentire, aliud ſectas facere, vel ineptum requirere, ab ſolo auctoritatis praeiudicio ortum conſenſum. Hoc tempore nec liberum cuique fuit diſſentire. Et ipſi ſenatores, maximi quique viri viliſſimis adulationibus aſſuefiebant. Ratio et magnitudo animi cum ciuitatis libertate

r) Part. 2. cap. 3. §. 8. p. 153. ſeq.

s) L. 2. de origine iuris §. 47.

tate periit: coepit iam tum regnare auctoritas. Diſſentiebant inter ſe patroni: non poterant non diſſentire clientes. Ex ſententiarum diuerſitate, quae non ratione, ſed auctoritate praeceptoris nitebantur, ſectae; ex ſectis inuidia, ambitio, adulatio et odia oriebantur longe lateque diffuſa. Ita maxime turbulenta fuerunt ante Traianum reip. tempora: quibus et imperatores ipſi ſua intereſſe ſibi perſuadebant: ſi maxima quaeque ingenia odio priuato a publicis negotiis impedirentur. Egregie THOMASIVS *t*) atque ex eo HOFFMANNVS *v*) capita ſectarum prima compoſuit, eaque comparatione differentiam inter iuriſprudentiam liberam et ſectariam oſtendit. Atteius Capito Sabinianae, et Antiſtius Labeo Proculeianae ſcholae auctores, vt inſigni prudentia fuerunt praediti, *x*) ingenio vero et moribus diuerſi, non potuerunt non in partes abire: de quibus vt alibi dictum eſt, nunc et ſectatores operae fuerit pretium, vt coepimus, breuiter perſequi. Plura ſuppeditabunt vitae tripartitae Iuriſconſultorum veterum RVTILII, BERTRANDI, et GVIL. GROTII; GVIDO PANZIROLVS, libris quatuor de claris legum interpretibus; EBERLINVS, GRAVINA, omnes qui de origine et progreſſu iuris Romani commentati ſunt.

§. IV.

Tiberio Caeſare imperante iureconſultos inter celebris habeatur MASSVRIVS SABINVS, Capitonis in iuris diſciplina ſucceſſor, qui Cocceium Neruam, Labeonis ſectatorem, aemulum habuit. Primus fuit, qui ab Auguſto, deinde a Tiberio ius publice reſpondendi obti-

t) Progr. ad diſp. Huberi. et naeuis iuriſpr. Rom. l. 2. c. 2. p. 74. ſeqq.
v) Hiſtoria iuris Romani vol. 1. p. 146. ſeq.
x) Vid. TACITVS annal. l. 3. c. 75.

Digitized by Google

obtinuit: cum, ante Auguſti tempora, nulla principis requirebatur auctoritas, ſed qui ſtudiorum habebant ſuorum fiduciam, de iure conſulentibus reſpondere poterant: vt iureconſultum faceret popularis opinio. Ab eo tempore, quo neceſſe fuit, hoc munus a principe impetrari, reſponſa iuris, iudicibus offerenda, ſcriptis mandari obſignarique conſueuerunt. Inſtitutum hoc ex principum auctoritate reſpondendi, mox gratia et ambitione corruptum, Hadrianus neglexit, qui, non petendum hoc munus, reſpondit, ſed praeſtandum; h. e. non ex principis conceſſione, ſed ex ipſa ſcientia et ſuis cuiuſque meritis expromendum: quandoquidem princeps potuerit ius etiam tribuere indocto et rudi; de iure vero nemini recte reſpondere, niſi docto, licuerit. Maſſurius noſter obſcuro loco natus, cum nec viuendi commoda eſſet ratio, diſcipulorum pietate et liberalitate ſuſtineri debuit. Diligentia vero et ingenii felicitate id conſecutus eſt, vt iuriſprudentiae non ſolum acquiſiuerit nouum honorem; verum etiam ipſe, cum annos natus eſſet quinquaginta, nullis maiorum meritis, ſua tantum virtute, cum alias dignitates, tum ordinem equeſtrem obtinuerit. Quanta fuerit illius auctoritas, vel inde patet, quod illius nomine PERSIVS y) totam iuriſprudentiam notauit.

Vindicta, inquit, *poſtquam meus a praetore receſſi,*
Cur mihi non liceat iuſſit quocunque voluntas,
Excepto ſi quid Maſuri rubrica vetauit?

Intelligit vero iuris ciuilis et legum titulos, minio notatos,

y) Satyra 5. verſ. 88.

tos, quos illuſtri iuris interpreti Maſurio adſcribit. Frequens in pandectis eſt huius ICti memoria. Mentionem Maſſurii faciunt quoque MACROBIVS *z*) vbi: *Maſurius et alii vno die, i. e. decimo quarto Kalend. Ianuarii aſſuiſſe ſaturnalia crediderunt.* PLINIVS *a*) qui, eo teſte, ait, *L. Papyrium praetorem, ſecundo herede lege agente, bonorum poſſeſſionem contra eum dediſſe, cum mater partum ſe XIII. menſibus diceret tuliſſe, quoniam nullum certum tempus pariendi ſtatutum videretur.* Alibi: *b*) *Maſſurius ſanqualem oſſifragam eſſe dicit, immusſulum autem pullum aquilae priuſquam albicet cauda.* Rurſum: *c*) *Maſſurius auctor eſt, curru quoque triumphantes myrtea corona vſos.* Et ſequenti capite, *d*) de lauro Maſſurium tradidiſſe, in triumphis honorari, quia ſuffimentum ſit caedis hoſtium atque purgatio. A. GELLIVS: *e*) *Libertinos ab ingenuis adoptari quidem iure poſſe Maſſurius Sabinus ſcripſit: ſed id neque permitti dicit, neque permittendum eſſe vnquam putat, vt homines libertini ordinis per adoptionem in iura ingenuorum inuadant.* etc. Scripſit 1) *iuris ciuilis libros tres*, qui in catalogo, pandectis Florentinis praepoſito, indicantur: licet ex iis nulla legum capita, in digeſtorum libros relata, inueniantur. 2) *libros reſponſorum* quorum ſecundus citatur l. 4. de leg. Rhod. 3) *ad edictum praetoris vrbani* libro quinto citatur l. 18. de oper. li-

z) Saturn. l. 1. cap. 10.

a) Hiſt. natur. l. 7. cap. 5. Meminit Maſſurii quoque noſtri lib. 7. cap. 43.

b) Lib. 10. cap. 7. *c*) Lib. 15. c. 29. *d*) Lib. 15. c. 30.

e) Noct. Attic. lib. 5. cap. 19. Eius mentionem fecit etiam lib. 10. cap. 15. et lib. 14. cap. 2.

libert. 4) *librum memorialium* l. 144. de verb. ſignif. 5) *libros ad Vitellium* l. 45. de legat. lib. 3. et paſſim alibi laudatos. 6) *librum de furtis* cuius in Atticis noctibus meminit GELLIVS. *f*) Alia, quae temporum iniuria perierunt omnia. Pauca de furtis modo laudatus Gellius exſcripſit: in toto vero legum Romanarum ſyſtemate, vbi ſaepius citatur nulla prorſus ex eo decerpta loca aut fragmenta reperiuntur.

§. V.

M. COCCEIVS NERVA ab eo Cocceio natus eſt qui cum L. Gellio Publicola, triumuirali dominatu conſulatum geſſit, anno ab V. C. DCCXVIII. et conciliandae inter Auguſtum et Antonium amicitiae cum Mecaenate ſe interpoſuit. Hic Labeonis ſectam in iuriſprudentia ſuſcepit, atque diſciplinarum diſſenſiones ingenio et diſputationibus auxit, cum Capitonis ſucceſſoribus. Ita illuſtris natalibus, et diuini humanique iuris ſcientia inclutus, in Tiberii Caeſaris familiaritatem intimam peruenit. Ad dignitatem euectus conſularem, vnus ſenator, cum Seiano et arto comitatu, a Tiberio, Romam relinquente, Capreas in Campaniam deductus eſt: *g*) vbi flagitioſae libidinis ſpectator proximus et inuitus erat: adeo quidem vt communem patriae miſeriam, oppreſſamque libertatem perpetuo contemplaretur. Ea ſumma animi perturbatione et aegritudine, cum effrenatae libidinis tyrannum orationis auctoritate nulla comprimere auderet, ſemet ipſum ea ſcelerum licentia voluit morte ante tempus ſumenda educere. Cum ante ſuſpiriis ſaepe ac triſti deſperatione haud obſcure

 ſigni-

f) Lib. 11. c. 18. *g*) Vid. TACITVS annal. l. 4. c. 58.

ſignificaret, aliquid graue in ſemet ipſum conſtituiſſe: cauſſae noſcendae percupidus Caeſar, eam intelligere ex eo nunquam potuit, aut perſuaſionibus multis aegrum animum a voluntaria morte abſterrere. Maluit enim vitae finem exitumque liberum, quam turpem tyranni conſuetudinem: ratus, vitam ſibi ſatis ignominioſe tranſigendam fore, Tiberio ſi placere velit; aut illius, ſi offenderetur, exponendam crudelitati. Sic tandem inedia periit vltro, Tiberii anno XVIII. poſt Chriſtum natum XXXIV. Triſtem tanti ICti caſum TACITVS *h*) ita deſcribit: *Cocceius Nerua continuus principis, omnis diuini humanique iuris ſciens, integro ſtatu, corpore illaeſo, moriendi conſilium cepit. Quod vt Tiberio cognitum, aſſidere, cauſſas requirere, addere preces, fateri poſtremo, graue conſcientiae, graue famae ſuae: ſi proximus amicorum nullis moriendi rationibus vitam fugeret. Auerſatus ſermonem Nerua, abſtinentiam cibi coniunxit. Ferebant gnari cogitationum eius, quanto propius mala reip. viſeret, ira, et metu, dum integer, dum intentatus, honeſtum finem voluiſſe.* Pauca eius doctrinae veſtigia in Digeſtis occurrunt: et aliquando tantum eius *reſponſa* referuntur.

§. VI.

Eiuſdem nominis reliquit filium, qui eadem cum patre iuris cognitione inclaruit; tanta quidem ingenii felicitate praeditus, vt decimo ſeptimo aetatis anno ſemet offerret publice conſulentibus, atque de iure pari prudentia reſponderet. *i*) Quo in munere cum liberius ali-

h) Annal. l. 6. c. 26.

i) Vid. VLPIANVS l. 1. D. de poſtulan.

aliquando indulgeret ingenio: etiam paulo argutior nonnunquam eſſe videbatur. *k)* Scripſit *de vſucapionibus libros: l)* quorum ſaepius in digeſtis fit mentio. Et hunc aiunt patrem fuiſſe Neruae imperatoris, qui vtut ſenex non ſine maxima rerum geſtarum laude Romanis praefuit.

§. VII.

Neruae patris diſciplinam, ſub finem principatus Tiberii, LICINIVS PROCVLVS, tanta quidem cum nominis fama et eruditionis laude ſuſcepit: vt ab eo *Proculiani* ſint dicti, qui prius a Labeone et Nerua nominabantur. De Proculo ICto cum nihil certi traditum, ac ne praenomen quidem eius in legum libris expreſſum reperiatur: de aetate, perſona et honoribus eius geſtis critici varie diſputarunt. Veriſimilior coniectura mihi videtur eorum, qui Licinium illum eſſe putarunt praetorio praefectum, intima familiaritate coniunctum Othoni imperatori, cum de ſumma rerum ille ipſe atque Vitellius certarent. Eumque ICtum TACITVS *m)* teſtatur Othonis conſilia fouiſſe. Hinc plurimum ſpei atque fiduciae imperator collocauit in eum praetorii praefectum ſuum: qui vrbanae militiae impiger, bellorum inſolens, auctoritatem Paulini, vigorem Celſi, maturitatem Galli, qui rectores peditum equitumque deſtinati fuerat, at cuique erat, criminando, quod facillimum facta, prauus et callidus bonos ac modeſtos anteibat, ac ipſe peditum equitumque copiis praeficie-

LII 3 ba-

k) Vid. PAVLVS l. penult. D. in quibus cauſſis pign. et hypoth.
l) PAPINIANVS l. 47. D. de acquirend vel amitt. poſſeſſ.
m) Hiſt. l. 1. c. 46. confer. eiuſdem libri cap. 82.

batur: *n*) vt ſummam in duces Othonis poteſtatem haberet. *o*) At ſibi fortaſſis quam Imperatori magis conſuluit. Nam, ſi TACITO *p*) credimus, *Otho pronus ad decertandum: frater eius Titianus, et praefectus praetorii Proculus, imperitia properantes, fortunam et Deo, et numen Othonis adeſſe conſiliis, aſſore conatibus, teſtabantur. Neu quis obuiam ire ſententiae auderet, in adulationem conceſſerant.* Exercitu imprudentia et temeritate profligato, noſter cum Suetonio Paulino ſupplex factus Vitellio, magis neceſſaria, quam honeſta defenſione vtitur, ac proditionem vltro ſibi imputare non veretur. Statium longi ante proelium itineris, fatigationem Othonianorum, permixtum vehiculis agmen, ac pleraque fortuita, fraudi ſuae aſſignat. Vitellius de perfidia credit, et fidem abſoluit. Atque ita noſter in gratiam a Vitellio recipitur. *q*) Siue is, ſiue alius fuerit illi in legum libris ſaepe citatus Proculus: magnam certe in iure ciuili gloriam aſſecutus eſt, ſuumque, vt dixi, nomen ſectae Proculianae dedit. Acerrimus enim doctrinae, quam a Labeone et Nerua patre accepit, defenſor fuit: ſupra ceteros ſui temporis ICtos valuit auctoritate: vnus omnium maxime diuini et humani iuris ſcientia excelluit: ac defendenti Capitonis tradita Caſſio ſe in primis oppoſuit. Vnde factum eſt, vt ſacrae Themidis ſacerdotes partim *Caſſiani*, partim *Proculiani* appellarentur. A diuis fratribus, vel ab VLPIANO *r*) Proculus hic non leuis vocatur iuris auctor.

§. VIII.

n) TACITVS hiſt. l. 1. c. 87. extr.
o) Idem. hiſt. l. 2. c. 39. init. *p*) Hiſt. l. 2. c. 33.
q) Vid. TACITVS hiſtor. l. 2. c. 60.
r) l. 17. D. de iure patron.

Digitized by Google

§. VIII.

Scripſit, quantum quidem ex ſuperſtitibus fragmentis conſtat, 1) *Epiſtolarum libros vndecim*; 2) *Notas ad Labeonem*; 3) *Libros tres ex poſterioribus Labeonis.* Ex *primo* epiſtolarum libro in Digeſtis ICtorum ſuperſunt fragmenta l. 16. quemadm. ſeruit. amitt. *s*) Ex *ſecundo* l. 31. de dolo malo. *t*) l. 13. de ſervitut. praed. vrban. *v*) l. 69. de heredib. inſtit. *x*) l. 15. de tritic. vin. vel ol. legat. *y*) l. 55. de acquir. rer. dom. *z*) l. 113. de verbor. obligat. *a*) l. 124. de verb. ſignif. *b*) Ex *quarto* l. 12. de offic. praeſidis. *c*) Ex *quinto* l. 36. de pactis. *d*) l. 13. ſi ſervitus vindicetur. *e*) l. 76. pro ſocio. *f*) l. 78. et 80. eodem. l. 82. de iure dotium. *g*) l. 60. ſoluto matrim. *h*) l. 46. de legat. et fideic. lib. 2. *i*) l. 86. de legat. et fideic. lib. 3. *k*) l. 6. de tritic. vin. vel ol. legat. *l*) l. 11. de aur. arg. mund legat. *m*) l. 27. de acquir. vel amittend. poſſeſſ. *n*) l. 82. de ſolut. et liberat. *o*) l. 125. de verbor. ſignif. *p*) Ex epiſtolarum libro *ſexto* l. 68. de contrah. emt. et vend. *q*) l. 47. de legat. et fideic. lib. 2. *r*) l. 126. de verbor. ſignif. *s*) Ex *ſeptimo* l. 53. de condict. indebiti. *t*) l. 67. de iure dotium. *v*) l. 84. de ſolut. et liberat. *x*) Ex *octauo* l. 44. de adopt. et emancip. *y*) l. 48. de legat. et fideic. lib. 2. *z*) l. 56. de acquir. rerum domin. *a*) l. 7. de captiu. et de poſtlim. reuerſ. *b*) Ex *vndecimo* l. 69. de contrah. emt. et vend. *c*) l. 12. de praeſcript.

---

s) Lib. 8. tit. 6. *t*) 4. 3. *v*) 8. 2. *x*) 28. 5. *y*) 33. 6. *z*) 41. 1. *a*) 45. 1. *b*) 50. 16. *c*) 1. 18. *d*) 2. 14. *e*) 8. 5. *f*) 17. 2. *g*) 23. 3. *h*) 24. 3. *i*) 31. *k*) 32. *l*) 33. 6. *m*) 34. 2. *n*) 41. 2. *o*) 46. 3. *p*) 50. 16. *q*) 18. 1. *r*) 31. *s*) 50. 16. *t*) 12. 6. *v*) 23. 5. *x*) 46. 3. *y*) 1. 7. *z*) 31. *a*) 41. 1. *b*) 49. 15. *c*) 18. 1.

ſcript. verb. *d*) l. 17. de pactis dotalib. *e*) *Notae* Proculi ad Labeonem citantur l. 10. §. 1. de negot. geſtis. *f*) l. 69. de condit. et demonſtrat. *g*) *Liber tertius* ex poſterioribus Labeonis citatur l. 16. de tritic. vin. vel ol. legat. *h*) Libri neque numero, neque nomine notato Proculus in digeſtis ſaepius citatur. l. 2. §. 47. de origine iuris. *i*) l. 7. §. 1. de ſenatoribus. *k*) l. 11. pr. de iuriſdictione. *l*) l. 11. §. 2. eodem. l. 21. §. 2. et l. 27. pr. de pactis. *m*) l. 11. et 18. de negot. geſtis. *n*) l. 35. §. 9. ex quibus cauſſis maiores. *o*) l. 21. §. 9. l. 23. §. 1. et l. 23. §. 2. de receptis. *p*) l. 11. pr. l. 36. pr. et l. 40. pr. de hered. petition. *q*) l. 27. §. 1. et 5. de rei vindicat. *r*) l. 19. pr. de vſufructu. *s*) l. 3. pr. de vſufruct. earum rerum. *t*) l. 4. pr. de vſu et habitat. *v*) l. 12. §. 1. eodem. l. 7. pr. vſufructuar. quemadmodum caueat. *x*) l. 10. de ſeruitutibus. *y*) l. 19. pr. de ſeruitut. praed. vrban. *z*) l. 5. §. 1. de ſeruitut. praed. ruſtic. *a*) l. 24. eodem. l. 7. §. 3. et 8. l. 11. pr. et §. 5. l. 27. §. 1. 10. et 11. l. 29. §. 1. 2. et 3. ad leg. Aquil. *b*) l. 52. pr. familiae Erciſcundae. *c*) l. 5. communi diuidundo. *d*) l. 18. de interrogat. in iure faciend. *e*) l. 14. §. 11. de relig. et ſumtib. funer. *f*) l. 9. §. 9. et l. 11. §. 1. de rebus creditis. *g*) l. 3. §. 3. et l. 15. de condict. cauſſa data. *h*) l. 5. de condict. ob turp. cauſ. *i*) l. 17. §. 4. de inſtitor. action. *k*) l. 4. §. 5. quod cum eo, qui in al. pro-

d) 19. 5. *e*) 23. 4. *f*) 3. 5. *g*) 35. 1. *h*) 33. 6.
i) 1. 2. *k*) 1. 9. *l*) 2. 1. *m*) 2. 14. *n*) 3. 5.
o) 4. 6. *p*) 4. 8. *q*) 5. 3. *r*) 6. 1. *s*) 7. 1.
t) 7. 5. *v*) 7. 8. *x*) 7. 9. *y*) 8. 1. *z*) 8. 2.
a) 8. 3. *b*) 9. 2. *c*) 10. 2. *d*) 10. 13. *e*) 11. 1.
f) 11. 7. *g*) 12. 1. *h*) 12. 4. *i*) 12. 5. *k*) 14. 3.

proteſt. *l*) l. 17. 30. pr. et 47. §. 3. de peculio. *m*) l. 32. depoſiti. *n*) l. 4. et 22. §. 7. mandati. *o*) l. 38. §. 1. l. 65. pr. l. 65. §. 5. et l. 67. pr. pro ſocio. *p*) l. 1. §. 1. de contrah. emt. et vend. *q*) l. 6. et 8. pr. de pericul. et commod. rei vend. *r*) l. 38. §. 2. de action. emt. et vendit. *s*) l. 3. et 15. §. 8. locati, conducti. *t*) l. 13. qui potiores in pign. vel hypoth. *v*) l. 17. §. 4. de aedilit. edicto. *x*) l. 13. et 16. §. 2. de euict. et duplae ſtip. *y*) l. 19. pr. de vſur. et fructib. *z*) l. 48. §. 1. de iure dotium. *a*) l. 31. §. 7. et l. 64. de donat. inter vir. et vx. *b*) l. 10. §. 1. l. 17. pr. et §. 1. ſoluto matrim. *c*) l. 1. et l. 3. §. 4. de action. rer. amot. *d*) l. 10. §. 3. et l. 33. de teſtamentar. tutela. *e*) l. 6. §. 1. de liberis et poſtumis. *f*) l. 9. §. 3. l. 11. et l. 59. §. 2. de heredib. inſtit. *g*) l. 60. et l. 62. pr. de acquir. vel omitt. hered. *h*) l. 14. pr. de iure codicill. *i*) l. 12. pr. l. 15. pr, et l. 26. §. 2. de legat. et fideic. lib. 1. *k*) l. 20. et 49. §. 3. de legat. et fideic. lib. 2. *l*) l. 49. §. 6. l. 79. §. 1. l. 100. §. 2. et 3. de legat. et fideic. lib. 3. *m*) l. 3. §. 2. de penu legata. *n*) l. 3. l. 19. §. 3. et l. 32. §. 5. de aur. argent. mund. legat. *o*) l. 14. l. 40. §. 5. l. 43. pr. et l. 58. de condit. et demonſtrat. *p*) l. 1. §. 14. et l. 45. §. 1. ad legem Falcid. *q*) l. 10. l. 17. pr. et §. 1. de iure patronat. *r*) l. 20. §. 1. de operis libertor. *s*) l. 26. de damno infecto. *t*) l. 11. §. 2. de aqua, et aquae

l) 14. 5. *m*) 15. 1. *n*) 16. 3. *o*) 17. 1. *p*) 17. 2.
q) 18. 1. *r*) 18. 6. *s*) 19. 1. *t*) 19. 2. *v*) 20. 4.
x) 21. 1. *y*) 21. 2. *z*) 22. 1. *a*) 23. 3. *b*) 24. 1.
c) 24. 3. *d*) 25. 2. *e*) 26. 2. *f*) 28. 2. *g*) 28. 5.
h) 29. 2. *i*) 29. 7. *k*) 30. *l*) 31. *m*) 32. *n*) 33. 9.
o) 34. 2. *p*) 35. 1. *q*) 35. 2. *r*) 37. 14. *s*) 38. 1. *t*) 39. 2.

aquae pluu. arc. *v*) l. 7. §. 1. qui et a quibus manumiſſ. *x*) l. 7. §. 7. l. 21. pr. l. 26. §. 1. l. 27. §. 2. et l. 28. de acquirend. rerum domin. *y*) l. 3. §. 3. de acquir. vel amitt. poſſeſſ. *z*) l. 4. §. 10. et l. 31. pr. de vſurpat. et vſucap. *a*) l. 2. §. 1. pro derelicto. *b*) l. 6. §. 13. l. 7. et l. 25. §. 5. quae in fraudem creditor. *c*) l. 1. §. 25. de vi et vi armata. *d*) l. 8. l. 21. l. 112. §. 1. et l. 138. pr. de verbor. obligat. *e*) l. 28. §. 4. de ſtipulat. ſeruorum. *f*) l. 93. §. 3. de ſolut. et liberat. *g*) l. 11. §. 4. et 5. de iniur. et famoſ. libell. *h*) l. 4. et l. 116. de verbor. ſignif. *i*)

§. IX.

Sunt, qui ICtum hunc, inter ſex illos relatum, qui a Maſurio Sabino ad Iulianum vſque floruerunt, non *Licinium* vocant, ſed *Sempronium*, diuerſum a praefecto praetorio, qui ſub Othone imperatore fuit. Et huius quidem ſententiae argumentum petunt ex l. 47. D. de legat. lib. 2. *k*) vbi ex libro ſexto epiſtolarum de duobus teſtamenti exemplis haec leguntur: *Sempronius Proculus Nepoti ſuo ſalutem. Binae tabulae teſtamenti eodem tempore exemplarii cauſſa ſcriptae, vt vulgo fieri ſolet, eiuſdem patris familias proferuntur: in alteris centum, in alteris quinquaginta aurei legati ſunt Titio. Quaero, vtrum et quinquaginta aureos, an centum dumtaxat habiturus ſit.* NB. *Proculus reſpondit: in hoc caſu magis heredi parcendum eſt. Ideoque vtrumque legatum nullo modo debetur: ſed tantummodo quinqua-*

v) 39. 3. *x*) 40. 9. *y*) 41. 1. *z*) 41. 2. *a*) 41. 3. *b*) 41. 7. *c*) 42. 8. *d*) 43. 16. *e*) 45. 1. *f*) 45. 3. *g*) 46. 3. *h*) 47. 10. *i*) 50. 16.

k) Digeſt. lib. 31. tit. 1.

Digitized by Google

quaginta aurei. Ex illo vero loco mihi nihil mutandum eſſe videtur. Et iam tum PETRVS FABER *l*) in eo legis fragmento, *Sempronius Nepos Proculo ſuo ſalutem* legendum eſſe putauit, ratione petita ex l. 67. D. de iure dotium *m*) et l. 125. de verbor. ſignif. *n*) vbi *Proculus Nepoti ſuo*, et *Nepos Proculo ſuo ſalutem* dixerunt. Scio illuſtrem EVERARDVM OTTONEM, Anteceſſorem Vltraiectinum, *o*) illius non audire ſententiam, et rationem, quam adduxerit, ſibi perſuadere, dicta lege 47. vnica voce *quaeris* profligari. Sequuntur Virum elegantiori literatura et diuini humanique iuris ſcientia excellentiſſimum cum recentiores alii, tum CHRIST. GODOFR. HOFFMANNVS *p*) et ABRAHAMVS WIELINGIVS ICtus Franequeranus, Fautor et Amicus, vel propter politiora ſtudia inaeſtimabilis mihi. *q*) Manus tanto Viro et lubentiſſime darem ego: niſi codices probatae fidei, et antiquiſſimi *r*) contrariam mihi lectionem ſuppeditarint hanc: *Sempronius Proculo Nepoti ſuo ſalutem.* Media quoque epiſtola non *quaeris*, ſed *quaero* habent. Ita certe Sempronius quaerit diſtincte: et

 Pro-

l) Semeſtr. l. 3. c. 12. *m*) Digeſt. lib. 23. tit. 3.

n) Digeſt. lib. 50. tit. 16.

o) Elegantiſſima praefatione, quam tomo primo Theſauri iuris Romani ſcripſit, pag. 13.

p) Hiſt. iuris volum. 1. pag. 150.

q) Iuriſprudentia reſtituta pag. XCI.

r) Digeſto infortiato, quod prodiit Lugduni 1508. fol 131. Rurſum 1514. fol. 134. vbi leges numeris primum inueniuntur diſtinctae. Eandemque lectionem in margine ſuarum editionum Pacius et Charondas agnoſcunt. CONTIVS et qui eum ſequuntur ex pandectis Florentinis primum *Proculus* et *quaeris* legerunt.

Proculus reſpondet: neque in epiſtolis aliter fuiſſe, res ipſa loquitur. In eadem ſerie ſi Proculus ſcripſiſſet: vix ferenda eſſet eius dictatoria reſponſio. At legis, ſi quid video, compilator ex epiſtolis ſcripſit primo Sempronii quaeſtionem, ICti deinde reſponſionem eaſdemque diſertis verbis diſtinguit his: *Proculus reſpondit*: vt in aliis quoque legibus, et ſequenti, vbi *Licinius Lucuſta Proculo ſuo ſalutem* dicit et de iure quaerit: media lege *Proculus Locuſtae* reſpondet.

§. X.

Proculi celebrantur plures in hiſtoria: quandoquidem veteres eum conſueuerunt hoc nomine appellare, qui patre peregrinante a patria procul natus erat; vel qui patribus ſenibus, quaſi procul progreſſis aetate, natus. *s*) Sunt apud TACITVM *Proculus Barbius*, *t*) *Ceruarius Proculus*, *v*) *Ceſtius Proculus*, *x*) *Cocceius Proculus*, *y*) *Conſidius Proculus*, *z*) *Titius Proculus*, *a*) atque *Voluſius Proculus*. *b*) Latinos inter poetas Proculus fuit Callimachi imitator, de quo OVIDIVS: *c*)

Callimachi Proculus molle teneret iter.

Proculus imperator libidinoſus a Probo victus et occiſus a FLAVIO VOPISCO deſcribitur. Proculus etiam grammaticus, M. Antonini Philoſophi praeceptor, cuius opus de admirandis TREB. POLLIO *d*) et CAPITOLINVS *e*) ſaepe laudant. Ille vero etiam grammaticum

s) Vid. FESTVS in voc. *Proculum*. *t*) Hiſt. lib. 1. cap. 15.

v) Annal. lib. 15. cap. 50. 66. et 71. *x*) Annal. l. 13. c. 30.

y) Hiſtor. l. 1. c. 24. *z*) Annal. l. 6. c. 18.

a) Annal. l. 11. c. 35. *b*) Annal. l. 15. c. 51. et 57.

c) Ex Ponto lib. 4. eleg. 16. *d*) In triginta tyrannis.

e) In Antonino. Et cap. 2. teſtatur Proculum vſque ad proconſulatum prouectum ab imperatore, onera in ſe recipiente.

cum hunc ait virum ſui temporis doctiſſimum fuiſſe. *f*) Et a noſtro diuerſus eſt Proculus ICtus ille, apud AELIVM LAMPRIDIVM, *g*) Alexandro Seuero a conſiliis: quem adeo imperator dilexit, ac ſingulari magiſtratus honore ornauit. *h*)

§. XI.

Sub Tiberio et aliquot ſequentibus imperatoribus floruit C. CASSIVS LONGINVS, Seruii Sulpitii pronepos, ex nepte illius, Q. Tuberonis filia, natus. Hic Sabino ſucceſſit eius diſcipulus, et opinionum, quas Sabinus fouebat, tenaciſſimus defenſor: quamuis laudi ac famae praeceptoris ſui obfuiſſe videretur: cum Sabinianam ſcholam a ſuo nomine Caſſianam appellari voluerit. Ita Caſſianorum eo tempore inualuit nomen. Et PLINIVS *i*) eum Caſſianae ſcholae principem, vt AGGENVS VRBICVS ad Iulium Frontinum virum prudentiſſimum vocat. Tiberii temporibus conſulatum geſſit cum M. Vinitio Quartino, anno ab V. C. DCCLXXXII. Licet in primis videatur libertatis amantiſſimus fuiſſe: magni eum tamen Tiberius fecit. Sub Claudio Caeſare praefectus fuit Syriae. *k*) Quantum in ciuitate habuerit auctoritatis, vel ex eius oratione patet, qua, in paricidas praefecti vrbis vt lege agatur, ſenatoribus perſuaſit. *l*) At funeſtum illi Neronis imperium. Cum publicae ducerentur exſequiae

 ene-

f) POLLIO trig. tyrannis c. 22. *g*) Alex. Seuer. cap. 68.

h) Confer. l. 9. C. ad legem Iuliam de adulteriis.

i) Lib. 7. epiſt. 24.

k) Vid. IOSEPHVS antiq. iudaic l. 15. c. 14. et l. 20. c. 1. TACITVS annal l. 12. c. 11. extr. qui cap. ſeq. addit: *ea tempeſtate Caſſius ceteros praeminebat peritia legum.*

l) Apud. TACITVM annal. l. 14. c. 43. ſeq.

enecatae Poppaeae: Nero earum officio C. Caſſium prohibuit. Quod primum indicium mali fuit, in longum haud differendum. Nullum crimen fuit, niſi quod Caſſius opibus vetuſtis et grauitate morum excelleret. Miſſa ad ſenatum oratione, vt a rep. remoueretur, illi obiectauit, quod inter imagines maiorum, etiam C. Caſſii effigiem coluiſſet, inſcriptam *duci partium*: quaſi belli ciuilis ſemina, et defectionem a domo Caeſarum quaereret: ac memoria infenſi nominis tantum ad diſcordias vteretur. In coniugem eius Lepidam, Silani amitam, inceſtum cum fratris filio, et diros ſacrorum ritus confingebat. Ita ſenatus conſulto exilium Caſſio decernitur, qui in Sardiniam inſulam deportatus eſt. De Lepida voluerunt ſenatores, vt Caeſar ipſe ſtatueret. *m*) Caſſium luminibus fuiſſe orbatum TRANQVILLVS *n*) ſcribit. Longiſſimae tamen aetatis beneficio ad Veſpaſiani vſque imperium peruenit: a quo cum Romam eſſet reuocatus, breui poſt diem obiit ſupremum. *o*) C. Caſſius Longinus hic confundendus non eſt cum alio eiuſdem nominis viro itidem conſulari, qui vltra centum et quinquaginta annis ante eum cum Sexto Domitio Caluino conſulatum geſſit anno ab V. C. DCXXX. cum libera adhuc eſſet reſp. ille fortaſſis Cenſor, cuius VELLEIVS PATERCVLVS *p*) meminit. Alius L. Caſſius Longinus cum C. Mario Nepote; anno DCXLVII. et C. Caſſius Longinus cum Cn. Domitio Aenobarbo *q*) DCLVIII. conſulari dignitate inclaruit. *Fuit*, inquit POM-

m) TACITVS annal. l. 16. c. 7. 8. et 9. Confer. eiuſd. libri cap. 22. extr. *n*) Neron. cap. 37.

o) Vid. POMPONIVS l. 2. D. de orig iuris. extr. *p*) Lib. 2. c. 10.

q) PLINIVS hiſt. natur. l. 7. c. 4. cum P. Licinio Craſſo ſcribit, qui, vt in faſtis eſt; anno ſequenti conſul fuit.

POMPONIVS, *r*) *et alius Longinus ex equeſtri quidem ordine, qui poſtea ad praeturam vſque peruenit.* Ad eum FREYMONIVS *s*) refert, quod SVETONIVS *t*) ſcripto reliquit, ab Nerone luminibus fuiſſe orbatum, quod in vetere gentili ſtemmate C. Caſſii percuſſoris Caeſaris imagines reſtituiſſet. Sed eadem eſt cauſſa, cuius meminit TACITVS, *v*) idem flagitium: vt fruſtra mihi videantur diuerſis eadem tribuere fata. Eſt huius Caii Caſſii Longini ICti frequens mentio in legum libris, quorum loca FREYMONIVS *x*) et EBERLINVS *y*) induſtria ſingulari notarunt. Scripſit 1) *notas ad Vitellium*, teſte VLPIANO l. 12. §. 18. de inſtit. vel inſtrum. leg. 2) *notas ad Vrſeium Ferocem*, eodem teſte l. 10. §. 3. D. quibus mod. vſuſf. amit. 3) *libros iuris ciuilis*, quorum decimus citatur l. 70. D. de vſufructu. Omnia vero Caſſii monumenta, ex quibus alii iuris hauſerunt prudentiam, iniuria temporum interiere. TACITVS deſcribit eius de ſupplicationibus ſententiam, *z*) ſeueritatem, *a*) et bonam diſciplinam. *b*)

§. XII.

E Caſſii Longini ſchola eius prodiit in iuris diſciplina ſucceſſor, COELIVS SABINVS, qui Veſpaſiani imperatoris temporibus plurimum potuit: vt non modo vir eſſet eruditionis magnae, verum et ſummae auctoritatis; qui a POMPONIO *c*) in primis a potentia commen-

r) l. 2. D. de origine iuris extr.
s) Symphonia iuris chronologica pag. 137.
t) Neron. cap. 37. *v*) Annal. l. 16. c. 7.
x) Symphonia iuris chronologica pag. 125. ſeqq.
y) De origine iuris pag. 374. ſeq. *z*) Annal. l. 15. c. 41. extr.
a) Annal. l. 12. c. 12. l. 13. c. 48. *b*) Annal. l. 15. c. 52.
c) l. 2. D. de orig. iuris.

mendatur. Ab Othone imperatore, honoris cauſſa, in duos menſes, quinctilem videlicet atque ſextilem, acceptum conſulatum cum Flauio Sabino geſſit: quam dignitatem ſub Vitellio quoque retinuit. *d*) Sunt, qui velint, ab eo Sabinianorum appellationem veniſſe: quam alii a Maſurio Sabino deducunt. Scripſit librum *de edicto aedilium curulium:* ex quo multae illius ſententiae in rebus venalibus obtinuerunt. Hunc. librum A. GELLIVS laudat: *e*) qui et alibi teſtatur, *f*) pileatos ſeruos venum ſolitos ire, quorum nomine venditor nihil praeſtaret, Coelium Sabinum iuris peritum ſcripto reliquiſſe; eiusque rei cauſſam eſſe, quod huiuſmodi conditionis mancipia inſignia eſſe in vendundo deberent, vt emtores errare, et capi non poſſent; neque lex vendundi operienda eſſet: ſed oculis iam perciperent, quodnam eſſet mancipiorum genus. *Sicuti*, inquit ICtus, *antiquitus mancipia iure belli capta coronis inducta veniebant, et icciro dicebantur ſub corona venire: namque vt ea corona ſignum erat captiuorum venalium: ita pileus impoſitus demonſtrabat eiuſmodi ſeruos venum dari, quorum nomine emtori venditor nihil praeſtaret.* In digeſtis citatur l. 14. 17. 20. 38. 65. et 72. de aedilicio edicto. *g*)

§. XIII.

Proculum eadem iuris diſciplina ſecutus eſt PEGASVS, quem obſcuro loco natum, propriaque virtute ſummos honores adeptum eſſe, IVVENALIS innuit, *h*) vbi

— — *rapta*, inquit, *properabat ab olla*
Pegaſus, attonitae poſitus modo villicus vrbi.

Anne

d) TACITVS hiſtor. l. 1. c. 77. *e*) Noct. Attic. l. 4. c. 2.
f) Lib. 7. c. 4. *g*) Lib. 21. tit. 1.
h) Satyr. 4. verſ. 76. ſeqq.

Anne aliquid tunc praefecti? quorum optimus atque
Interpres legum ſanctiſſimus: omnia quanquam
Temporibus diris tractanda putabat inermi
Iuſtitia. — — — — —

A re tenui vult poeta ICtum laudatiſſimum ad honores properaſſe, vrbi a Veſpaſiano praefectum: attamen, cum ſub auaro principe praefecti fuerint tantum villici, qui quauis ratione corraderent vndecunque omnia optimum atque ſanctiſſimum iuris interpretem hunc Pegaſum fuiſſe. Neque ſolum praefectus fuit vrbi ſub Veſpaſiano imperatore: *i*) verum et, IVSTINIANO teſte, *k)* cum Puſione conſul fuit. Quoniam vero in faſtis conſulatus hic non reperitur, conſtat eum non ordinarium, ſed ſuffectum fuiſſe. Factum eſt in eo conſulatu ſenatus conſultum, ab eo *Pegaſianum* dictum, vt ei, qui rogatus eſſet hereditatem reſtituere, perinde liceret quartam partem retinere, ſicut per legem Falcidiam ex legatis retinere pridem licuerat. Ex ſingulis quoque rebus per fideicommiſſum relictis eadem permiſſa retentio eſt. Illud quoque hoc ſenatus conſulto cauebatur, vt ſi recuſaſſet ſcriptus heres adire hereditatem, quaſi ſuſpectam atque damnoſam, deſiderante fideicommiſſario, iuſſu praetoris adiret, et reſtitueret hereditatem. Cuius decreti multa Iuſtinianus imperator abrogauit, multa in ſenatus conſultum *Trebellianum* tranſtulit. *l)* De libris, quos ſcripſit, nihil certi conſtat: nulla

i) Vid. etiam POMPONIVS l. 2. D. de origine iuris. Confer POMP. LAETVS de mag. Rom. l. 1. c. vlt.

k) Inſtit. l. 2. tit. 23. §. *ſed quia heredes* etc.

l) Vid. inſtitutiones Iuſtin. l. c.

nulla etiam eorum fragmenta ad nos peruenerunt. In Digeſtis ICtorum frequens tamen eius celebratur memoria. Leges, quibus facta eius mentio, FREYMONIVS *m)* et EBERLINVS *n)* notarunt.

§. XIV.

A Pegaſo Proculiana iuris diſciplina in IVVENTIVM CELSVM, patrem, inde ad eiuſdem nominis filium, tranſiit. Celſus pater initae coniurationis auctor a Domitiano compertus, cum fruſtra negaret, aſtu tandem ac ſimulatione poenam effugit. *o)* Promiſit enim clam inquiſiturum, atque criminis delaturum conſcios, ſi vita ſibi condonaretur. Tyranno placuit conditio. Noſter vero aliud ex alio nectens, rem ad Domitiani mortem extraxit: atque ita ſemet ipſum et ſocios praeſenti periculo exemit. Plurimum valuit auctoritate apud Traianum, a quo tanto habitus eſt in honore, vt, DIONE et XIPHILINO *p)* teſtibus, ſtatuam illi poſuerit. Cum praetor eſſet, Licinium Nepotem, qui ambitus et repetundarum reis facultatem teſtium Romam euocandorum fieri volebat, animi tanto feruore obiurgauit: vt accenſis vtrinque animis ad contumelias excurrerint. Id quod C. PLINIVS Vrſo ſuo *q)* non ſine dolore ſcribit. Etiam poſt ea Traiani tempora Hadriano imperatori inter iudicandum praecipue a conſiliis fuit. Cum vero illi Domino ſuo diceretur in venatione ſtruxiſſe inſidias; iubente ſenatu, etiam Hadriano innito, Baiis occiſus eſt. *r)* Non adeo frequens eius in pan-

m) Symphonia iuris chronologica pag. 161. ſeq.

n) De origine iuris pag. 380.

o) Vid DIO CASSIVS lib. 67.

p) In Traiano.

q) Lib. 6. epiſt 5.

r) Vid. XIPHILINVS ex Dione in Hadriano pr. AELIVS SPARTIANVS Hadriano cap. 7.

Digitized by Google

pandectis fit mentio. Cum enim, POMPONIO *s*) auctore, duo fuerunt Celſi, pater et filius: hic vero poſt Traianum floruit tandem, ac patris famam longe poſt ſe reliquit, Celſi filii, non Celſi patris, ab iure conſultis in legum libris laudantur ſcripta: de quibus ſuo loco agemus. Citatur tamen ille in digeſtis l. 3. de condictione cauſſa data. *t*) l. 20. et 29. de legat. et fideic. lib. 2. *v*) l. 39. mandati, oct. contra. *x*)

§. XV.

Vt Pegaſo Celſus, ita Coelio Sabino PRISCVS IAVOLENVS in iuris diſciplina ſucceſſit. Hic ſub Traiano, Iunioris PLINII temporibus floruit, ita quidem, vt dubiae haberetur aliquando ſanitatis. Qua de re ſatis cognita PLINIVS *y*) Romano ſuo ſcribit: *Paſſienus Paulus, ſplendidus eques Romanus, et in primis eruditus, ſcribit elegos. — Is quum recitaret, ita coepit dicere, Priſce iubes? Ad hoc Iauolenus Priſcus (aderat enim vt Paulo amiciſſimus) Ego vero non iubeo. Cogita, qui riſus hominum, qui ioci. Eſt omnino Priſcus dubiae ſanitatis: intereſt tamen officiis, adhibetur conſiliis, atque etiam ius ciuile publice reſpondet: quo magis, quod tunc fecit, et ridiculum, et notabile fuit. Interim Paulo aliena deliratio aliquantum frigoris attulit. Tam ſolicite recitaturis prouidendum eſt, non ſolum vt ſint ipſi ſani, verum etiam vt ſanos adhibeant.* Eum maſcule quidem ſingulari diſſertatione docta ſatis et elegante GOTTLOB AVG. IENICHEN V. CL. defendit: ac maiorem praeter merita Plinio calumniae ac inuidiae notam inurit; quam ſuperiori capite paucis abſtergere ſtudui. Rem narrat Plinius, viro graui indignam; non vero detrahit

 eius

s) L. 2. D. de orig. iuris §. 47. *t*) 12. 4. *v*) 31.
x) 17. 1. *y*) Lib. 6. epiſt. 15.

eius famae: indicat potius, ea mentis leuitate nihil imminutam eſſe minime vulgarem in iuriſprudentia auctoritatem. *Intereſt*, inquit, *officiis; adhibetur conſiliis; ius ciuile reſpondet*. De iure non minus acute, quam recte reſpondit: omnibus prodeſſe ſtuduit. In iuris diſciplina Labeoni eiuſque ſectatoribus infenſus, quantum quidem potuit, opiniones eorum deſtruxit. *z*) Strenuus e contrario fuit Caſſii propugnator: cuius ſcripta et ſententias ſaepius allegauit. Ipſe plures habuit diſcipulos, eosque inter Tuſcianum, et Valentem, et omnium praeſtantiſſimum Iulianum: in quo ſectarum diſſidia quieuerunt. Aetatem ad Antonini Pii vſque tempora perduxit, cui a conſiliis fuit, ſuaque opera in legibus condendis profuit. Eoque imperante, Syriae praefuit. *a*)

§. XVI.

Scriptis inclaruit non paucis: quo pertinent 1) *Libri ex Caſſio quindecim*. 2) *Libri ex poſterioribus Labeonis decem*. 3) *Libri ad Plautium quinque*. 4) *Epiſtolarum quatuordecim libri*. Fragmenta in Digeſtis reperiuntur ex *primo librorum ex Caſſio* l. 5. de liberis et poſtum. *b*) l. 14. et 63. de heredib. inſtit. *c*) l. 37. de legat. et fideic. lib. 2. *d*) Ex *ſecundo* l. 38. de legat. et fideic. lib. 2. *e*) l. 84. de legat. et fideic. lib. 3. *f*) l. 14. de optione legat. *g*) l. 11. de inſtruct. vel inſtrum. legat. *h*) l. 17. de peculio legat. *i*) l. 6. de alim. vel cib. legat. *k*) l. 54. et 68. de condit. et demonſtrat. *l*) Ex *tertio* l. 48. de hered. petition. *m*) l. 39. de

z) Vid. l. 81. de fund. dot l. 44. D. de iniur. et famoſis libellis.

a) Vid. IVLIVS CAPITOLINVS Antonino Pio cap. 12. IVLIANVS l. 5. D. de manumiſſis vindicta. 40. 2.

b) 28. 2. *c*) 28. 5. *d*) 31. *e*) 31. *f*) 32. *g*) 33. 5. *h*) 33. 7. *i*) 33. 8. *k*) 34. 1. *l*) 35. 1. *m*) 5. 3.

Digitized by Google

de legat. et fideic. lib. 2. *n*) l. 34. de bonis libertor. *o*) Ex *quarto* l. 64. de iure dotium. *p*) l. 1. de pactis dotalib. *q*) Ex *quinto* l. 24. de teſtamentar. tutela. *r*) l. 22. de rebus dubiis. *s*) Ex *ſexto* l. 16. de adopt. et emancip. *t*) l. 2. de iuriſdictione. *v*) l. 21. et 33. de operis libertor. *x*) l. 28. de ſtatu liberis. *y*) l. 12. de munerib. et honor. *z*) l. 111. de verbor. ſignificat. *a*) Ex *ſeptimo* l. 36. mandati. *b*) l. 63. de contrah. emt. et vend. *c*) l. 16. de peric. et commod. rei vend. *d*) l. 18. de actionib. emt. et vend. *e*) l. 21. de acquir. vel omitt. poſſeſſ. *f*) l. 5. et 7. pro legato. *g*) Ex *octauo* l. 28. de negot. geſtis. *h*) l. 37. locati conducti. *i*) Ex *nono* l. 14. de interrogat. in iure faciend. *k*) l. 51. mandati. *l*) Ex *decimo* l. 12. de ſeruitut. praed. vrban. *m*) l. 13. de ſeruit. praed. ruſtic. *n*) l. 4. communia praedior. *o*) l. 14. quemadmod. ſeruitut. amitt. *p*) l. 18. de aqua et aq. pluu. arc. *q*) l. 2. de via public. et itin. public. *r*) Ex *vndecimo* l. 39. de receptis. *s*) l. 58. de acquir. rerum domin. *t*) l. 104. de verbor. obligat. *v*) l. 78. de ſolut. et liberat. *x*) l. 112. de verb. ſignif. *y*) Ex *duodecimo* l. 33. et 35. de peculio. *z*) l. 2. et 9. de in rem verſo. *a*) Ex *decimo tertio* l. 22. de acquir. vel omitt. posſeſſ. *b*) l. 5. de tabulis exhibend. *c*) l. 198. de diuerſ. reg. iuris. *d*) Ex *decimo quarto* l. 37. ad leg. Aquil. *e*)

n) 31. *o*) 38. 2. *p*) 23. 3. *q*) 23. 4. *r*) 26. 2.
s) 34. 5. *t*) 1. 7. *v*) 2. 1. *x*) 38. 1. *y*) 40. 7.
z) 50. 4. *a*) 50. 16. *b*) 17. 1. *c*) 18. 1. *d*) 18. 6.
e) 19. 1. *f*) 41. 2. *g*) 41. 8. *h*) 3. 5. *i*) 19. 2.
k) 11. 1. *l*) 17. 1. *m*) 8. 2. *n*) 8. 3. *o*) 8. 4.
p) 8. 6. *q*) 39. 3. *r*) 43. 11. *s*) 4. 8. *t*) 41. 1.
v) 45. 1. *x*) 46. 3. *y*) 50. 16. *z*) 15. 1. *a*) 15. 3.
b) 41. 2. *c*) 43. 5. *d*) 50. 17. *e*) 9. 2.

Digitized by Google

l. 60. ad leg. Falcid. *f*) l. 24. de donationibus. *g*) l. 113. de verbor. ſignif. *h*) Ex *decimo quinto* l. 8. quod cuiuscunque vniuerſit. nomine *i*) l. 34. ex quibus cauſſis maiores. *k*) l. 9. de in litem iurando. *l*) l. 14. de compenſationibus. *m*) l. 71. et 73. de furtis. *n*) l. 12. arbor. furtim caeſar. *o*) l. 13. de muner. et honor. *p*) l. 114. de verb. ſignif. *q*) Ex *poſteriorum Labeonis primo* l. 53. de aedilit. edicto. *r*) l. 39. de vulg. et pupill. ſubſtit. *s*) l. 60. et 62. de acquir. vel omitt. hered. *t*) l. 39. de condit. et demonſtrat. *v*) l. 217. de verb. ſignif. *x*) *Secundo* l. 64. de acquir. vel omitt. hered. *y*) l. 100. de legat. et fideic. lib. 3. *z*) l. 30. et 41. de vſu et vſufr. legat. *a*) l. 7. de tritic. vin. vel ol. legat. *b*) l. 4. et 25. de inſtruct. vel inſtrum. legat. *c*) l. 39. de aur. arg. mund. legat. *d*) l. 17. de liberat. legat. *e*) l. 40. de condit. et demonſtrat. *f*) l. 242. de verbor. ſignif. *g*) Ex libro *tertio* l. 24. quibus modis vſusfruct. amitt. *h*) l. 49. de vſur. et fructib. *i*) l. 10. de ſupellect. legat. *k*) l. 28. de rebus dubiis. *l*) l. 72. de diuerſis reg. iuris. *m*) Ex libro *quarto*. l. 77. de contrah. emt. et vend. *n*) l. 11. de iure deliberandi. *o*) l. 26. de manumiſſionibus. *p*) l. 39. de ſtatu liberis. *q*) Ex libro *quinto* l. 20. de ſeruitutibus. *r*) l. 79. de contrah. emt. et vend. *s*) l. 59. locati conducti. *t*) l. 25. qui teſtam. facere poſſunt. *v*) l. 42. de

f) 35. 2. *g*) 39. 5. *h*) 50. 16. *i*) 3. 4. *k*) 4. 6. *l*) 12. 3. *m*) 16. 2. *n*) 47. 2. *o*) 47. 7. *p*) 50. 4. *q*) 50. 16. *r*) 21. 1. *s*) 28. 6. *t*) 29. 2. *v*) 35. 1. *x*) 50. 16. *y*) 29. 2. *z*) 32. *a*) 33. 2. *b*) 33. 6. *c*) 33. 7. *d*) 34. 2. *e*) 34. 3. *f*) 35. 1. *g*) 50. 16. *h*) 7. 4. *i*) 22. 1. *k*) 33. 10. *l*) 34. 5. *m*) 50. 17. *n*) 18. 1. *o*) 28. 8. *p*) 40. 1. *q*) 40, 7. *r*) 8. 1. *s*) 18. 1. *t*) 19. 2. *v*) 28. 1.

de vſu et vſufruct. legat. *x*) l. 26. de inſtruct. vel inſtrum. legat. *y*) l. 51. de acquir. vel omitt. poſſeſſ. *z*) Ex libro *ſexto* l. 57. ad leg. Aquil. *a*) l. 80. et 83. de iure dotium. *b*) l. 32. de pactis dotalib. *c*) l. 18. de fundo dotali. *d*) l. 64. de donat. inter virum ex vxor. *e*) l. 66. ſoluto matrimonio. *f*) Ex libro *octauo* l. 33. de teſtamentaria tutela. *g*) Ex libro *nono* l. 57. locati, conducti. *h*) l. 90. de furtis. *i*) l. 44. de iniur. et famoſis libellis. *k*) l. 27. de captiu. et de poſtlim. *l*) Ex libro *decimo* l. 11. de ſupellect. legat. *m*) l. 46. de fideiuſſ. et mandat. *n*) *Ex librorum ad Plautium primo* l. 44. de hered. petition. *o*) l. 10. de condict. cauſſa data. *p*) l. 58. de euict. et duplae ſtip. *q*) l. 57. de iure dotium. *r*) l. 10. de legat. et fideic. lib. 2. *s*) l. 77. de legat. et fideic. lib. 3. *t*) Ex libro *ſecundo* l. 45. de condict. indebiti. *v*) l. 19. de in diem addict. *x*) l. 8. et 10. de hered. vel action. vendit. *y*) l. 60. de euict. et duplae ſtip. *z*) l. 4. pro emtore. *a*) l. 34. de ſtipulat. ſeruorum. *b*) Ex libro *tertio* l. 9. quemadmodum ſeruitut. amitt. *c*) l. 2. de duob. reis conſtit. *d*) Ex libro *quarto* l. 46. de condict. indebiti. *e*) l. 16. de vſurpat. et vſucap. *f*) Ex libro *quinto* l. 83. de verbor. ſignif. *g*) *Ex epiſtolarum libro primo* l. 36. de rebus creditis. *h*) l. 52. mandati. *i*) l. 40. de legat. et fideic. lib. 2. *k*) l. 23. de acquir. vel omitt. poſſeſſ.

x) 33. 2. *y*) 33. 7. *z*) 41. 2. *a*) 9. 2. *b*) 23. 3. *c*) 23. 4. *d*) 25. 5. *e*) 24. 1. *f*) 24. 3. *g*) 26. 2. *h*) 19. 2. *i*) 47. 2. *k*) 47. 10. *l*) 49. 15. *m*) 33. 10. *n*) 46. 1. *o*) 5. 3. *p*) 12. 4. *q*) 21. 2. *r*) 23. 3. *s*) 31. *t*) 32. *v*) 12. 6. *x*) 18. 2. *y*) 18. 4. *z*) 21. 2. *a*) 41. 4. *b*) 45. 3. *c*) 8. 6. *d*) 45. 2. *e*) 12. 6. *f*) 41. 3. *g*) 50. 16. *h*) 12. 1. *i*) 17. 1. *k*) 31.

ſeſſ. *l*) l. 19. de vſurpat. et vſucap. *m*) l. 28. de rebus auctorit. iud. poſſid. *n*) Ex libro *ſecundo* l. 53. de vſufructu. *o*) l. 5. communia praedior. *p*) l. 12. ſi ſeruitus vindicetur. *q*) l. 15. quemadm. ſeruitut. amitt. *r*) l. 18. communi diuidundo. *s*) l. 15. de compenſationibus. *t*) l. 64. de contrah. emt. et vendit. *v*) l. 15. de optione legat. *x*) l. 105. de verbor. obligat. *y*) Ex libro *tertio* l. 54. de vſufructu. *z*) l. 35. de bonis libertorum. *a*) l. 12. ſi quid in fraud. patroni. *b*) Ex libro *quarto* l. 12. de ſeruitutibus. *c*) l. 15. de iniuſt. rupt. et irrit. *d*) l. 76. de acquirend vel omitt. hered. *e*) l. 61. ad leg. Falcid. *f*) l. 20. de vſurpat. et vſucap. *g*) l. 74. de furtis. *h*) l. 115. de verbor. ſignif. *i*) Ex libro *quinto* l. 3. de eo, qui pro tutore vel cur. *k*) Ex libro *ſexto* l. 6. de liberat. legat. *l*) l. 25. de donationibus. *m*) l. 21 de vſurpat. et vſucap. *n*) l. 106. de verbor. obligat. *o*) l. 199. de diuerſ. reg. iuris. *p*) Ex libro *ſeptimo*. l. 11. et 64. de heredib. inſtit. *q*) l. 11. ſi quis omiſſa cauſſa teſtam. *r*) l. 41. de legat. et fideic. lib. 2. *s*) l. 23. de operis noui nunciat. *t*) l. 22. de vſurpat. et vſucap. *v*) l. 4. de diuerſ. temporal. praeſcript. *x*) l. 116. de verb. ſignif. *y*) l. 200. de diuerſis reg. iuris. *z*) Ex libro *octauo* l. 36. de bonis libertor. *a*) l. 107. de verbor. obligat. *b*) Ex libro *nono* l. 38. ad leg. Aquil. *c*) l. 4. de ſeruitut. legat. *d*) l. 23. de vſurpat. et vſucap. *e*) l. 21. de iniur.

et

l) 41. 2. *m*) 41. 3. *n*) 42. 5. *o*) 7. 1. *p*) 8. 4. *q*) 8. 5.
r) 8. 6. *s*) 10. 3. *t*) 16. 2. *v*) 18. 1. *x*) 33. 5.
y) 45. 1. *z*) 7. 1. *a*) 38. 2. *b*) 38. 5. *c*) 8. 1.
d) 28. 3. *e*) 29. 2. *f*) 35. 2. *g*) 41. 3. *h*) 47. 2.
i) 50. 16. *k*) 27. 5. *l*) 34. 3. *m*) 39. 5. *n*) 41. 3.
o) 45. 1. *p*) 50. 17. *q*) 28. 5. *r*) 29. 4. *s*) 31.
t) 39. 1. *v*) 41. 3. *x*) 44. 3. *y*) 50. 16. *z*) 50. 17.
a) 38. 2. *b*) 45. 1. *c*) 9. 2. *d*) 33. 3 *e*) 41. 3.

et famoſ. libellis. *f*) l. 11. de iure fiſci. *g*) l. 117. de verbor. ſignif. *h*) Ex libro *decimo* l. 35. de iudiciis. *i*) l. 108. de verb. obligat. *k*) l. 42. de fideiuſſ. et mandat. *l*) l. 79. de ſolut. et liberat. *m*) l. 201. de diuerſ. reg. iur. *n*) Ex libro *vndecimo* l. 65. de contrah. emt. et vend. *o*) l. 21. et 51. locati, conducti. *p*) l. 20. de donat. inter vir. et vx. *q*) l. 42. de legat. et fideic. lib. 2. *r*) l. 67. de condit. et demonſtrat. *s*) l. 46. ad ſenatus conſultum Trebellian. *t*) l. 44. de fideiuſſ. et mandat. *v*) l. 202. de diuerſ. reg. iur. *x*) Ex libro *duodecimo* l. 65. de heredib. inſtit. *y*) l. 55 de obligat. et actionib. *z*) Ex libro *decimo tertio* l. 3. de conſtitut. princip. *a*) l. 10. de praeſcript. verbis. *b*) l. 50. de donat. inter vir. et vx. *c*) l. 55. de condit. et demonſtrat. *d*) l. 20. de fideiuſſ. et mandat. *e*) Ex libro *decimo quarto* l. 56. de condit. et demonſtrat. *f*) l. 24. de acquir. vel amitt. poſſeſſ. *g*) l. 36. de ſtipulat. ſeruorum. *h*) Libri nec nomine, nec numero notato, Priſcus Iauolenus in Digeſtis citatur l. 2. §. 47. de origine iuris. *i*) l. 20. §. 1. de interrogat. in iure faciend. *k*) l. 2. §. 17. de hered. vel action. vendit. *l*) l. 46. de ritu nuptiar. *m*) l. 6. pr. de liberis et poſtumis. *n*) l. 19. de heredib. inſtit. *o*) l. 15. de annuis legat. *p*) l. 8. de aur. arg. mund. legat. *q*) l. 5 de manumiſſ. vindict. *r*) l. 42. de liberali cauſſa. *s*) l. 236. §. 1. de verbor. ſignif. *t*)

CAP.

f) 47. 10. *g*) 49. 14. *h*) 50. 16. *i*) 5. 1.
k) 45. 1. *l*) 46. 1. *m*) 46. 3. *n*) 50. 17.
o) 18. 1. *p*) 19. 2. *q*) 24. 1. *r*) 31. *s*) 35. 1.
t) 36. 1. *v*) 46. 1. *x*) 50. 17. *y*) 28. 5. *z*) 44. 7.
a) 1. 4. *b*) 19. 5. *c*) 24. 1. *d*) 35. 1. *e*) 46. 1.
f) 35. 1. *g*) 41. 2. *h*) 45. 3. *i*) 1. 2. *k*) 11. 1.
l) 18. 4. *m*) 23. 2. *n*) 28. 2. *o*) 28. 5. *p*) 33. 1. *q*) 34. 2.
r) 40. 2. *s*) 40. 12. *t*) 50. 16.

CAPVT IX.

De Hiſtoricis ab exceſſu Auguſti ad Hadriani vſque principatum illuſtrioribus.

§. I.

Miſera ſub principibus hiſtoricorum conditio deſcribitur. 2. *Haud adeo triſtia ſub Traiano fata.* 3. C. VELLEIVS PATERCVLVS. 4. *Eius ſcripta.* 5. *Merita.* 6. *Fides hiſtorica.* 7. *Stilus.* 8. *Codex inuentus.* 9. *Editiones ſeculi decimi ſexti.* 10. *decimi ſeptimi et* 11. *decimi octaui.* 12. VALERIVS MAXIMVS. 13. *Eius ſcripta.* 14. *Vt dubia ſunt.* 15. *Vindicata.* 16. *Capitum inſcriptiones.* 17. *Merita et ſtilus.* 18. *Adulatio.* 19. *Vſus.* 20. *Editiones ſeculi decimi quinti.* 21. *decimi ſexti.* 22. *decimi ſeptimi.* 23. *decimi octaui, recenſentur.* 24. Q. CVRTIVS RVFVS. 25. *Eius aetas in dubium vocata.* 26. *Aſſerta.* 27. *Scripta.* 28. *Stilus.* 29. *Character hiſtoricus.* 30. *Editiones ſeculi decimi quinti.* 31. *decimi ſexti.* 32. *decimi ſeptimi et* 33. *decimi octaui, enarrantur.* 34. POMPONIVS MELA. 35. *Eius ſcripta.* 36. *Merita.* 37. *Vſus.* 38. *Stilus.* 39. *Editiones ſeculi decimi quinti.* 40. *decimi ſexti.* 41. *decimi ſeptimi.* 42. *decimi octaui, deſcribuntur.* 43. C. PLINIVS SECVNDVS. 44. *Eius ſcripta.* 45. *Sigillatim naturalis hiſtoria.* 46. *Stilus.* 47. *Editiones ſeculi decimi quinti.* 48. *decimi ſexti.* 49. *decimi ſeptimi.* 50. *decimi octaui, commendantur.* 51. C. SVETONIVS TRANQVILLVS. 52. *Eius ſcripta.* 53. *Merita.* 54. *Stilus.* 55. *Editiones ſeculi decimi quinti.* 56. *decimi ſexti.* 57. *decimi ſeptimi.* 58. *decimi octaui, exponuntur.* 59. C. CORNELIVS TACITVS. 60. *Salluſtii*

luſtii imitator. 61. *Eius ſcripta.* 62. *Merita.* 63. *Elegantia.* 64. *Obtrectatores.* 65. *Praeſtantia.* 66. *Stilus.* 67. *Editiones ſeculi decimi quinti.* 68. *decimi ſexti.* 69. *decimi ſeptimi.* 70. *decimi octaui, recenſentur.* 71. L. ANNAEVS FLORVS. 72. *Eius ſcripta.* 73. *Dictio.* 74. *Editiones ſeculi decimi quinti.* 75. *decimi ſexti.* 76. *decimi ſeptimi.* 77. *decimi octaui, laudantur.* 78. SEXTVS IVLIVS FRONTINVS. 79. *Ab aliis eius nominis diuerſus.* 80. *Eius ſcripta cum editionibus recenſentur.* 81. *Vſus.* 82. *Stilus.* 83. *Operum editiones iudicantur.* 84. *Plures fuerunt, quorum monumenta temporum iniuriâ periere.*

§. I.

Miſera iam tum coepit eſſe hiſtoricorum ſub principibus conditio: qui, vt placendi magis quam veritatis abrepti ſtudio: priſtinae dignitatis multum amiſerunt. Tiberii certe ſuſpicioſiſſimis temporibus, non licuit iam non diſſimulare verum, aut ſcribere, quod diſplicuerit principi. Neque adeo mirum, inolito etiam illuſtribus familiis more, Tiberio et domui Auguſtae adulatos eſſe non infimi nominis hiſtoricos, Velleium, Valerium Maximum, atque alios. Id ſeculi vitium Cremutii Cordi quoque apud TACITVM *a*) querela oſtendit. Hic enim anno V. C. DCCLXXVII. M. Aſinio Agrippa et Coſſo Cornel. Lentulo COSS. nouo ac tunc primum audito crimine poſtulatur, quod editis annalibus, laudatoque M. Bruto, C. Caſſium Romanorum vltimum dixiſſet. Elegans ergo eius meretur legi defenſio. *Titus Liuius,* inter alia inquit, *eloquentiae ac*

Ooo 2 *fidei*

a) Annal. lib. 4. cap. 34.

ſidei praeclarus inprimis, Cn. Pompeium tantis laudibus tulit, vt Pompeianum eum Auguſtus appellaret. Neque id amicitiae eorum offecit. Scipionem Afranium, hunc ipſum Caſſium, hunc Brutum, nuſquam latrones et paricidas, quae nunc vocabula imponuntur, ſaepe vt inſignes viros nominat. Poſt cumulata aliorum exempla: *Suum cuique decus poſteritas rependit. Nec deerunt, ſi damnatio ingruit, qui non modo Caſſii et Bruti, ſed etiam mei meminerint.* Egreſſus deinde ſenatu, vitam abſtinentia finiuit. Libros per aediles cremandos cenſuere patres; ſed manſerunt occultati et editi. Domitianus, teſte SVETONIO, *b*) Hermogenem Tarſenſem occidit, propter quaſdam in hiſtoria figuras: librariis etiam, qui eam deſcripſerant, cruci affixis.

§. II.

Hiſtoricos ſub Traiano Imperatore literarum amantiſſimo ad res geſtas ſcripto conſignandas denuo quaſi excitatos fuiſſe, cum ante illius tempora poſt Auguſti obitum ſub tyrannis ac ſceleſtibus ſtudium iſtud iucundiſſimum prope obliteratum fuerit: non obſcure IVVENALIS *c*) innuit:

Veſter porro labor fecundior, hiſtoriarum
Scriptores: petitur plus temporis atque olei plus:
Namque oblita modi milleſima pagina ſurgit
Omnibus, et creſcit multa damnoſa papyro.
Sic ingens rerum numerus iubet, atque operum lex.
Quae tamen inde ſeges? terrae quis fructus apertae?
Quis dabit hiſtorico, quantum daret acta legenti?
Sed genus ignauum, quod tecto gaudet et vmbra.

Teſta-

b) Domit. cap. 10. *c*) Satyr. 7. in illa enim Traiani tempora feliciora notat, verſ. 98.

Teſtatur id ipſe quoque FLORVS: *d*) *A Caeſare Auguſto in ſeculum noſtrum haud multo minus anni CL. quibus inertia Caeſarum* (Romanorum res geſtas earundemque ſcriptores conſtituens imperium) *quaſi conſenuit, atque decoxit, niſi quod ſub Traiano Principe mouet lacertos, et praeter ſpem omnium ſeneɫus imperii, quaſi reddita iuuentute, reuireſcit.*

§. III.

CAIVS *e*) VELLEIVS PATERCVLVS, *f*) quantum quidem coniicere licet, natus eſt Romae, DCCXXXV.

Ooo 3 ordi-

d) Hiſt. Rom. l. 1. prolog.

e) De Velleii praenomine inter viros doctos non conuenit. Plerique MSti et impreſſi codices *Caium* habent. Ita BEATVS quoque RHENANVS legit, qui Velleium primus in lucem protraxit: neque tamen eundem veretur aſſerere noſtrum atque illum eſſe Velleium, quem TACITVS annal. lib. 3. cap. 39. *Publium* vocat, exercitus praeſidem, qui Thraciae motum compreſſit. Hinc recentiora variant exempla. *Publium* ergo BOXHORNIVS mauult: idemque praenomen BOECLERIANA editio, priori titulo et aeri impreſſis ornamentis prae ſe fert: *Caium* paginis inſcriptum legimus. At PRISCIANO *Marcus* eſt, vbi Velleium noſtrum citat. Ita certe G. I. VOSSIO teſte, de hiſtoricis Latinis lib. 1. cap. 24. habet antiquiſſima editio Veneta anni CIↃCCCCLXXVI. et ſuperioris ſeculi elegans Heliae Lutſchii, qui ſimul omnes Grammaticos veteres edidit; et optimae notae codex Voſſii MStus: vt ipſe huic ſententiae potius accedat. Confer FABRICII bibliotheca Latina part. 1. Lib. 2. c. 2. pag. 311.

f) Velleii Paterculi vitam ſcripſit BEATVS RHENANVS, quae extat etiam Velleio praefixa in Friderici Syburgii corpore hiſtoriae Romanae tom. 1. pag. 428. Eandemque ex ipſis Velleii ſcriptis quam diligentiſſime collegit H. DODWELLVS in annalibus Vellcianis, qui cum annalibus Quintilianeis et Statianis prodierunt Oxonii 1698. 8. Et Velleiani annales Dodwelli editionibus Ioh. Hudſoni Oxonii 1693. 8. et Ioh. Georg. Walchii Lipſ. 1712. praemiſſi ſunt.

ordinis equeſtris patre, nobiliſſima gente Neapolitana, quam ex celeberrimis Campaniae principibus duxit. Pater praefectus equitum ſub Auguſto fuit. *g*) Auus paternus, quod ipſe teſtatur, *h*) C. Velleius, honoratiſſimo inter CCCLX. iudices loco a Cn. Pompeio lectus, eiuſdem Marcique Bruti ac Tironis praefectus fabrûm, vir nulli ſecundus, in Campania, digreſſu Neronis a Neapoli, cuius ob ſingularem cum eo amicitiam partium adiutor fuerat, grauis iam aetate et corpore, cum comes eſſe non poſſet, gladio ſe ipſe transfixit. De genere materno itidem auctor ipſe VELLEIVS: *i*) *neque ego verecundia domeſtici ſanguinis gloriae quidquam, dum verum refero, ſubtraham. Quippe multum Minatii Magii, ataui mei, Aſculanenſis, tribuendum eſt memoriae: qui nepos Decii Magii, Campanorum principis, celeberrimi et fideliſſimi viri* etc. Atque etiam in hanc veterem ac decoram ſtirpem frater hiſtorici noſtri, adoptione vt opinor, inſitus eſt: quem ipſe *k*) nominat Magium Celerem Velleianum, Tiberii Caeſaris in Dalmatico bello legatum. Hinc AVENTINVS eos referens, e quibus annalium primo profecerit ſcribendo, *maiores*, inquit, *eius ataui, abaui, aui, patruus, pater Magius Celer, frater, diſciplina bellica ac rebus ciuilibus clariſſimi extitere duces, praetores, iudices, ſenatores, praefecti fabrum, tribuni caſtrorum, legati imperatoribus Romanis fuerunt.* Hiſtoricus noſter primum tribunus militum fuit in Thracia et Mace-

g) Teſtis enim eſt ipſe VELLEIVS lib. 2. cap. 104. praefectus cum mitteretur equitum in Germaniam, in officio ſucceſſiſſe patri ſuo.

h) Lib. 2. cap. 76.

i) Lib. 2. cap. 16.

k) Lib. 2. cap. 115. et 121.

Macedonia: *l*) paulo poſt praefectus equitum ſucceſſit in officio patri ſuo, ac protinus ab adoptione cum Tiberio in Germaniam miſſus eſt. *m*) Finita equeſtri militia, deſignatus quaeſtor, nec dum ſenator aequatus ſenatoribus, etiam deſignatus tribunus plebis partem exercitus ab vrbe ad Tiberium perduxit. In quaeſtura deinde, remiſſa ſorte prouinciae, legatus Tiberii ad eundem miſſus eſt. *n*) Cum Tiberius ex Pannoniis Dalmatisque in vrbem reuerſus ageret triumphum: Velleio noſtro eiusque fratri, inter praecipuos, praecipuisque donis ornatos viros Caeſaris triumphantis currum comitari contigit. *o*) Imperii anno primo ipſe Velleius noſter fraterque eius ſunt deſtinati praetores. Alios geſſiſſe honores non liquet. De conſulatu IVSTVS LIPSIVS *p*) quidem ſuſpicatur: ſed in faſtis illius nulla memoria.

l) VELLEIVS l. 2. c. 101. *Quod ſpectaculum ſtantis ex diuerſo hinc Romani, illinc Parthorum exercitus, cum duo inter ſe eminentiſſima imperiorum et hominum coirent capita, perquam clarum et memorabile, ſub initia ſtipendiorum meorum, tribuno militum mihi viſere contigit. Quem militiae gradum ante ſub patre tuo, M. Vinici, et P. Silio auſpicatus in Thracia Macedoniaque, mox Achaia Aſiaque, et omnibus ad orientem viſis prouinciis, et ore atque vtroque maris Pontici latere, haud iniucunda tot rerum, locorum, gentium, vrbium recordatione perfruor.*

m) Idem l. 2. c. 104. *Hoc tempus me functum ante tribunatu caſtrorum, Tiberii Caeſaris militem fecit. Quippe protinus ab adoptione miſſus cum eo praefectus equitum in Germaniam, ſucceſſor officii patris mei, coeleſtiſſimorum eius operum per annos continuos nouem praefectus aut legatus, ſpectator, et pro captu mediocritatis meae adiutor fui.*

n) Idem lib. 2. cap. 111. *o*) Idem lib. 2. cap. 121.

p) De nominibus, genere, vita et ſcriptis Velleii.

moria. Tiberii anno XVII. ab V.C. DCC LXXXIII. duobus libris ſuccinctam edidit hiſtoriam ſuam, M. Vinicio COS. inſcriptam. Nec de obitu hiſtorici quicquam memoriae proditum: LIPSIO *q*) tamen, atque poſt eum DODWELLO, *r*) valde videtur veroſimile, eum anno poſt quinquagenario maiorem, Tiberio ſuſpectum propter Seiani amicitiam, caeſum fuiſſe in illa fautorum Seiani ſtrage: ex quibus raro quemquam Tiberianae ſaeuitiae ſuperfuiſſe, TACITVS et DIO CASSIVS tradiderunt.

§. IV.

Scripſit, quorum pars hodie extat, *duos libros hiſtoriae Romanae ad M. Vinicium* conſulem, progenerum Tiberii Caeſaris. *s*) Libro priori in perſtringendis breuiter variarum gentium ante Romam conditam rebus verſatur: ſed melior eius pars hodie nuſquam reperitur. Poſteriori libro hiſtoriam Romanam ab vrbis origine, quam priori libro coeperat, ad Liuiae, Auguſti coniugis, et Tiberii matris, exceſſum proſequitur. Dubio procul ereptus morte iuſtum opus, ſiue iuſta hiſtoriae volumina, in quae multa dicenda reſeruat, ſuccincta hiſtoria feſtinans et res velut in tranſitu tantum indicans, elaborare non potuit, vt ſpem lectoribus fecerat. *t*) IVSTVS LIPSIVS *v*) ridet, quod Geſnerus in biblio-

q) Loc. cit. *r*) In annalibus Velleianis.

s) TACITVS annal. lib. 6. cap. 15. teſtatur cum patre et auo conſularem fuiſſe, cetera equeſtri familia; mitem ingenio, et comtae facundiae: cui Caeſar Iuliam Germanico genitam coniunxerit. Confer. eiuſd. lib. cap. 45. DIONE vero teſte libro extremo a Meſſalina interfectus eſt, quod caput cum ea collimare noluerit.

t) Lib. 2. c. 48. extr. c. 89. c. 99. 103. 114. *v*) Ad Vellei.

bibliotheca notat, Wolfgangum Lazium fragmentum inueniſſe Velleii *de bello in Sueuos*. Fragmentum ipſum exſcripſit VOSSIVS, *x*) ſed addit: qui naſum habet, ſatis odoratur, ſtilum eius ſapere ſcriptorem, qui ſeculis aliquot Velleio iunior ſit. Fragmentum illud totum, paucis inſertis, legitur apud CONRADVM à Lichtenau, Abbatem Vrſpergenſem in chronico, vbi de Auguſta Vindelicorum, vel Rhaetiae agit. Errores plurimos notauit paſſim MARCVS VELSERVS in rerum Auguſtanarum Vindelicarum commentariis. LIPSIVS quoque ambitioſam Georgii Merulae vanitatem accuſat, qui de integro apud ſe Velleio ſpargere veritus non ſit. Quod ad ſuperſtites duo libros, non integros, attinet, LIPSIVS neque agnoſcit, ab ipſo auctore titulum prae ſe ferre *hiſtoriae Romanae*: quod ne compendium proprie quidem, aut breuiarium hiſtoriae; ſed ſerie accurata temporum chronicae quaedam notae: ſic tamen, vt praecipua rerum, hominum, vrbium, miſceat atque excerpat. Non tractare tantum Romana: totum pene librum priorem occupari in rebus Graecanicis atque externis. Rhenanum ergo accuſat, qui primus auctorem hunc e bibliotheca Murbacenſi bono publico protulit, quod *Velleium* ſcripſerit *ab vrbis primordio Romanam hiſtoriam omnem admirabili compendio, duobus his voluminibus fuiſſe complexum. Miror*, inquit, *virum doctum ſic ſcribere. An ab vrbis exordio ille coepit, qui palam et ex profeſſo multa ſecula recenſet, ante eam cogitatam? Qui alieniſſima miſcet a Romanis rebus? — ego in ſententia, quam tetigi, haereo, Velleio propoſitum fuiſſe compendio et annorum ordine*

x) De hiſtoricis Latinis lib. 1. cap. 24.

dine complecti res notarum gentium et noti aeui. Coepiſſe eum a Troianis temporibus, aut circa, et pertexuiſſe vno filo ad conſulatum hunc M. Vinicii, i. e. annum Vrbis DCCLXXXII. Tiberiani autem imperii XVI. Clarum argumentum ex primordio ipſo, quod nunc eſt, libelli; vbi caſus et res eorum, qui a Troia redierunt. Sed plura interciderunt, cum hic tantum Graecorum caſus, non etiam Troianorum, atque adeo nec ipſius Aeneae: quem omittere certe non potuit, auctorem et caput Romanae ſtirpis. Neque de numero librorum conſentit, et non putat omnia in vnum et priorem librum includenda fore, quae a capite omnia deſunt de Graecis a Troia redeuntibus et varie ſparſis; quae poſtea de Antenore aut Aenea; quae de Latii et Albae Regibus; quae de ipſis Regibus Romanorum; imo quae de conſulibus, aut tribunis militum, vſque ad bellum Numantinum; quae ſimul omnia neceſſario habuerit liber vnus primus. Vnde coniicit, libros in illo priori plures comprehendi. Attamen ſalua res eſt: nec temere aduerſus codicum fidem ſuis indulgendum ratiociniis. Romanam potuit ſcripſiſſe hiſtoriam et ſuaui, nec adeo inſolita, digreſſione res aliquando inſerere aliarum gentium. A Troiano excidio orſus, ad primordia rerum Romanarum ingreſſus, poſtea ab inſerendis externis abſtinuit: quod facere non potuiſſet, ſi vniuerſalem hiſtoriam in animo habuiſſet. Et quae priori libro de illuſtribus ingeniis intexuit, per exceſſum dicta videntur. Nec operis tantam animo conceperat magnitudinem, vt duobus non potuerit comprehendi libris. Ipſe contra paſſim eius indicat breuitatem *y*) et prouocat ad iuſtum opus et pleniorem hiſtoriam.

§. V.

y) Vid. lib. 1. c. 16. et lib. 2. c. 52. 89.

§. V.

Mirum haud immerito cuiquam videri poſſet, FABIVM QVINTILIANVM, *z*) vbi Graecos atque Latinos hiſtoricos recenſet, nullam Velleii mentionem feciſſe: ſed ille tantum genera deguſtauit, omnium minime excuſſit bibliothecas, quod ipſe de ſe teſtatur ingenue. Et noſter res delibauit tantum, potiora ad iuſtum opus ſuamque πραγματικὴν hiſtoriam reſeruaturus. Operis, quod edidit, breuitatem ipſe indicat paſſim: *a*) atque inter alia *b*) *cum haec particula*, inquit, *operis velut formam propoſiti exceſſerit, quanquam intelligo, mihi in hac tam praecipiti feſtinatione, quae me rotae proniue gurgitis ac verticis modo nuſquam patitur conſiſtere, paene magis neceſſaria praetereunda, quam ſuperuacua amplectenda: nequeo tamen temperare mihi, quin rem ſaepe agitatam animo meo, neque ad liquidum ratione perductam, ſignem ſtilo.* Exhibet in ea tamen res maxime notatu dignas, haud facile in grandioribus hiſtoricorum voluminibus reperiundas. Vir aulicus generoſis familiis conſignandis, moribusque notabilibus in vtramque partem exprimendis, praeſertim aptus, diligens et eruditus eſt habitus. In primis rerum Germanicarum peritus militauit ipſe in Germania eo tempore, quo vis Romana maxime inualuerat, et contra eam Germanica virtus atque libertas, non ſine felici ſucceſſu, acerrime inſurrexerat. Maroboduum et Arminium fortiſſimos illius aeui heroes quam accuratiſſime deſcripſit: adeo quidem, vt licet nunquam non videatur Romanis aſſentari, laudes Germanorum tamen diſſimulare non potuerit. Romanas antiquitates ab vltimo principio breuitate per-

z) Inſtit. orat. lib. 10. cap. 1. *a*) Lib. 2. c. 52. et 89.
b) Lib. 1. c. 16.

perſpicua repetit. Ac laudes illuſtrium virorum facunda oratione, tantisque viris digna commendatione deſcribit. Praeter liberalem educationem, magiſtratus et honores maximos domi ac militiae geſſit: vt ingenia et characteres hominum ſingulari prudentia depingere valuerit. Imo, iudicante BOECLERO *c*) incomparabilis Velleii eſt in deſcribendis et veluti nota publica ſignandis hominum naturis diligentia. Hinc apparet, deſcriptiones perſonarum et elogia ingeniorum, quae ſubinde decenter vtiliterque hiſtoriae ſuae inſeruit, philoſophiae politicae plurimum, nec minus facundiae continere, eo denique prorſus dirigi, vt, per quoſdam quaſi characteres politicos, ab auctoribus rerum atque agentibus ad recondita et praecipua omnis actus in rep. principia proficiamus. Hos characteres politicos in Velleio Paterculo laudatus IOH. HENRICVS BOECLERVS iacunda quadam expoſitione demonſtrauit, libello ſingulari, *d*) qui omnino meretur cum auctore noſtro coniungi.

§. VI.

At Velleii valde accuſant probitatem atque fidem: vtpote qui adulatione perpetua celare aut velare plurima; imo et palam aliter narrare videatur; et nuſquam non, in deſcribendis ſui aeui rebus geſtis, Caeſaribus, domui Auguſtae, et Seiano in primis aſſentari. Vnde LIPSIVS: *e*) *pudet et piget proiectae adulationis Velleianae. At non ita Tacitus.* Vix ferendum, quod de monſtro ſeculi, illo diis hominibusque inuiſo Seiano memoriae prodidit: *f*) *magna negotia magnis adiutoribus egent. Inter-*

c) Characteribus politicis in Velleio Paterculo cap. 1.
d) Qui prodiit Argentorati 1672. 8.
e) Epiſtolic. quaeſt. epiſt. 8. *f*) Lib. 2. c. 127.

— *Intereſtque reip. quod vſu neceſſarium, et dignitate eminere, vtilitatemque auctoritate muniri. Sub his exemplis Tiberius Caeſar Seianum Aelium, principe equeſtris ordinis patre natum, materno vero genere clariſſimas veteresque et inſignes honoribus complexum familias, habentem conſulares fratres, conſobrinos, auunculum, ipſum vero laboris ac fidei capaciſſimum, ſufficiente etiam vigore animi compage corporis, ſingularem principalium onerum adiutorem in omnia habuit atque habet: virum ſeueritatis laetiſſimae, hilaritatis priſcae, actu otioſis ſimillimum, nihil ſibi vindicantem, eoque aſſequentem omnia, ſemper infra aliorum aeſtimationes ſe metientem, vultu vitaque tranquillum, animo exſomnem. In huius virtutum aeſtimatione iam pridem iudicia ciuitatis cum iudiciis principis certant.* etc. Dixeris eum hinc panegyriſtam potius, quam hiſtoricum: eoque ipſum ſtilum direxiſſe. Medium illi certe BORRICHIVS *g*) inter hiſtoricum et panegyricum aſſignat locum. Et ipſe BOECLERVS *h*) qui Velleium penitus inſpexit, multasque propter virtutes amauit, elegantiam eius quidem agnouit, terſique oris ſcriptorem fuiſſe: ſed qui ad leges artis hiſtoricae adeo non reſpexerit: vt multa etiam mutuatus ſit ab eloquentia. Ita omnino videtur affabre ad principum aſſentationem eſſe factus, et in eodem cum Valerio formatus ludo, vt dominis ſuis ſupparaſitari potius, quam hiſtorias ſcribere inſtituerint: ita quidem vt Valerio noſter Velleius hic multo et facundior, et in ipſa rerum geſtarum narratione porrectior, et iucundior ſit. IACOBVS PERIZONIVS *i*) adulandi ſtudium in Vel-

 leio

g) Conſpect. auct. Lat. ling. p. 42.
h) Hiſt vniuerſ. ſecul. 1. ſect. 5. §. 10.
i) Animaduerſ. hiſt. cap. 6. pag. 211.

leio ita reprehendit, vt primas facile in contaminanda vtcunque per iſtiuſmodi blanditias hiſtoria eum tenere affirmet. Compendium plenum adulationum et digreſſionum PHILIPPVS CAROLI *k*) appellat. IOH. MARII MARCAE TILLADETI diſſertatio, de locis Taciti et Velleii inter ſe pugnantibus, memoriis academiae inſcriptionum Pariſienſis, Gallice editis, *l*) inſerta legitur. CASP. BARTHIO *m*) iudice, tantum praeconem Romani nominis egit, vt eo ſolo fine ſcripſiſſe videri poſſit.

§. VII.

Dictio ejus plane Romana eſt, et elegans, qua nulli prorſus aetatis ſuae ſcriptori poſtponendus. Vt temporis ferebat ratio, ſtili caſtitatem atque nitorem ſeruauit, et orationis ſuauitate grandiorem ſupra vulgi conſuetudinem, vt oratores ſolent, eloquentiam oſtendit: qua dubio procul cum Q. Curtio, Liuio, aut Salluſtio certare potuiſſet: ſi inſtituti tuliſſet ratio, ac modus operis ad rerum exornationem conciones recepiſſet. Vel vna digreſſiuncula *n*) qua proſcriptum et occiſum Ciceronem deplorat. magnifico elogio, et inſigni grauitate in M. Antonium percuſſorem inuehitur, quid in tractandis affectibus valeat, liquido demonſtrauit. Diſertus vbique vtitur eloquentia facili et profluente. De ſtilo Velleii WALCHIVS Vir clariſſimus *o*) qui et ipſum auctorem, qua fieri potuit, ſolicita cura edidit, eiusque merita optime perſpexit, inter alia haec ſibi obſeruare perſuadet: quod ad periodorum magnitudinem attinet,

k) In bibliotheca Romana MSta. *l*) Tom. 3. p. 437. ſeq.
m) Aduerſ. pag. 2878. *n*) Lib. 2. c. 66.
o) Hiſtoria critica Latinae linguae cap. 8. §. 8.

tinet, medium eſſe inter circumductum et conciſum; ſed intuitu formae internae, ſectari quidem characterem humilem, ſed ſaepius ad ſublimem aſcendere: ita vt oratoris ingenium ſapere videatur. Quocum facit omnino OLAI BORRICHII *p*) iudicium: *dictio eius arguta, profluens, ſuauis, plane Romana; ſubinde etiam ab inſtituto digreditur; ſed nec longe, nec inconuenienter, vt adeoque inter hiſtoricum et panegyricum medius eſſe videatur.* Et CHRISTOPHORI CELLARII *q*) ſententia: *ſtilus Velleii, quamuis non vbique eſt hiſtoricus, ſed oratoris ſapit ingenium, tamen nec ideo poſthabendus, ſed commendandus magis eſt, quia plus ad orationes, aut ſimiles ſermones, quam ad integras hiſtorias ſcribendas adoleſcentes adducuntur. Dictio autem, etiam magno Voſſio r*) *iudice, eſt plane Romana atque elegans: et in rerum copia multa habet, quae in aliis deſiderantur.* Aliquando ſibimetipſi placet dictionibus argutis: *s*) et neſcio quid trahere iam tum prodit a vitio ſeculi. Non dicam extare paſſim loca in Velleii monumentis ſubobſcura: quae ſcribarum magis incuriae, quam auctoris ingenio tribuenda. Nemo facile inficiabitur, noſtrum ſuperioris ſeculi, quod florem prae ſe ferebat Latinitatis et virile robur, hiſtoricorum ἀκριτολογίαις non reſpondere: et quod RVPERTVS *t*) quoque obſeruauit, vt ſententias, ſic locutiones paſſim frigidiſſimas occurrere. Nec eandem ſeruat vbique ſermonis ſuauitatem. Nihil v. gr. magis durum auribusque ingratum, quam iſtud:

p) Conſpectu auctorum Lat. linguae p. 42.

q) Epiſtol. ſelect. p. 165. *r*) De hiſtoricis Latinis l. 1, c. 24.

s) Vid. MASENII palaeſtra ſtili p. 250.

t) Obſeru. ad Vell. Paterc. l. 2. c. 26. §. 3. pag. 172.

iſtud: *v*) *nihil enim ex perſona poetae, ſed omnia ſub eorum, qui illo tempore vixerunt, dixerunt.* Et libri ſecundi principium: *potentiae Romanorum prior Scipio viam aperuerat; luxuriae poſterior aperuit.* Alia, quae felicioris ſeculi elegantiae et caſtitati aduerſantur, nunquam ſatis laudanda Latinae linguae hiſtoria *x*) etiam D. WALCHIVS notat. Et cum BOSIO *y*) in acceſſionibus ſuis ad Wheari relectiones hiemales *z*) IOH. CHRISTIANVS NEV ſingulare quidem gratiae et iucunditatis genus, ſed tamen non ſine quadam affectatione, deprehendi iudicauit. Cetero diligentiam ſuam abſque faſtidio et ineptiis lectori approbare. BALTHASAR denique BONIFACIVS, *a*) elocutione Velleiana, cum BODINO iudicat, nihil purius et ſuauius fluere; vt miram legentibus voluptatem afferat. PHILIPPO CAROLI *b*) ſaepe caſtitatem ſtili affectationibus caſtrenſibus frangere videtur. Idem viſum viro docto, qui ſtilum inde Velleii atrocem appellat: quod indignans alius et improbans, argutam potius et viuam breuitatem in eo laudandam eſſe duxit. *c*) CAROLVS SIGONIVS *d*) pleraque, imo omnia probat, quod res ipſae dignae ſint, neque a melioribus conſcribantur. Addit tamen: *tenuis alioqui verbis, et ordine non ſatis accuratus. Adulationis ſupra quam credi poteſt vitio laborauit; praeſertim cum Augusti et Tiberii Caeſaris geſta narrauit.* Illud etiam notant in

v) Lib. 1. cap. 3. *x*) Cap. 8. §. 8. p. 376.

y) De ratione legendi tractandique hiſtoricos §. 22. *z*) Pag. 125.

a) De quadraginta Romanae hiſtoriae ſcriptoribus pag. 20.

b) In bibliotheca Romana MSta.

c) Vid. Memoires de Treuoux 1712. pag. 1475. FABRICII biblioth. Latin. volum. 2. pag. 427.

d) Iudicio de hiſtoricis, qui res Romanas ſcripſerunt.

Digitized by Google

in eius ſtilo, quod in omnibus, quibus vtitur, orationis figuris epiphonema cum tanta venuſtate adhibuerit: vt ipſi nemo fortaſſis hac in parte fuerit vnquam aequalis.

§. VIII.

Velleii Paterculi hiſtoriam Romanam ad M. Vinicium cos. cuius libri primi principium, et ſecundi finis, quaedam operis quoque medii deſunt, ex MSto Morbacenſi, adiutus et alio Mediolanenſi a Georgio Merula reperto, Beatus Rhenanus primum in lucem protraxit Baſileae 1520. fol. apud Frobenium, additis in ora libri caſtigationibus ac notis. Epiſtola ad Fridericum Saxoniae Electorem, cui ſacrum voluit eſſe opus ſuum, *equidem abhinc annos*, ſcribit, *vt puto, quinque, quum primum hunc in Murbacenſi bibliotheca reperiſſem, et viderem tam prodigioſe corruptum, vt omnia reſtituere non foret humani ingenii, properanter ac infeliciter ab amico quodam deſcriptum, premendum plane cenſebam, donec melioris nobis codicis fieret copia, quem acceperam haberi Mediolani; inuentum olim a Georgio Merula. Verum dum fruſtra iam tres annos exſpectamus, interim doctiſſimus quiſque mecum expoſtulat, cur tam inſignem auctorem ſtudioſis communicare tam diu differam. Addunt conuicia quidam, dictitantes illum in hoc a me premi, vt olim alienum opus, tanquam ingenii mei foeturam, gloriabundus in publicum emittam. Proinde nunc edidimus omnium eruditorum votis expetitum, et ante promiſſum; ne ſtudioſos diutius huius deſiderio maceremus. Quod nullam ſane ob cauſſam ſerius factum eſt, quam vt ſincerior exiret.* Ad calcem ſubiiciuntur variae lectiones ex eodem Murbacenſi codice a Iohanne Alberto Burerio collectae.

ctae. Hinc ANDR. ASVLANVS e) grauiter in Baſileenſes inuehitur, velut ſpurii ſcriptoris intempeſtiuos admodum protruſores, queis omni modo propterea detractum cupit. Verum longe aliter omnes eruditi iudicarunt, quibus Velleium inſpiciendi cura fuit: et recte LIL. GREG. GYRALDVS f) inſulſam hanc vocat Aſulani ſuſpicionem. Et ipſe MORHOFIVS, g) quid illi in mentem venerit, ſe neſcire, ingenue fatetur.

§. IX.

Editus eſt primum Velleius, vt dixi, *Baſileae* 1520 fol. apud Frobenium a Beato Rhenano. Cuius editio iterata 1542. fol. 1546. fol. cum Suetonio, ſcriptoribus hiſtoriae Auguſtae, Ammiano etc. 1548. fol. Haec editio prae ſe fert Eraſmi nomen, qui ſeculi anno triceſimo ſexto defunctus, quoad vixit, Velleium nunquam edidit. *Auenione* 1532. fol. cum Appiano, accurante Antonio Bonhommaeo. Et haec editio iterata eſt *Vaſcoſani* 1538. fol. *Lugduni* 1552. 8. prodiit Velleius apud Sebaſtianum Gryphium. 1594. 8. et 1599. 8. cum notis Aldi, Pauli Manutii filii, Lipſii, Schegkii et Acidalii. *Pariſiis* 1560. 12. cum Floro et aliis. 1568. 8. apud H. Stephanum, inter hiſtoriae Romanae ſcriptores Latinos, quibus Graecos, Xiphilinum et Herodianum, e recentioribus Pomponium Laetum et Bapt. Egnatium, et Sigonii faſtos adiunxit, quatuor voluminibus. *Venetiis* 1571. 8. cum ſcholiis Aldi, Pauli Manutii filii, quem temere plura in Velleio mutaſſe, et Claudii Puteani

e) In praefatione ad Liuium, a ſe editum.

f) Dial. 2. de poetis.

g) Polyh. liter. lib. 4. cap. 12. §. 5.

teani notas, adhuc ineditas, *b*) compilaſſe Petrus Burmannus arguit. *Patauii* 1590. 8. cum lectionibus Velleianis Valentis Acidalii. Ipſe vero Acidalius, qui ingenio ſubinde ſuo in illis nimium indulſit, eas vix deinde pro ſuis agnouit, de ſecundis etiam curis cogitare ſe profeſſus. *i*) *Lugduni Batauorum* 1591. 8. apud Raphelengium. Subiunguntur variae lectiones ex Aldo, Schegkio, et Lipſii praelectionibus excerptae. *Francofurti* 1588. fol. apud Andreae Wecheli heredes, Claudium Marnium et Ioh. Aubrium, opera Friderici Sylburgii, tomo primo, inter hiſtoriae Romanae ſcriptores Latinos minores. *Heidelbergae* 1596. forma minori, apud Commelinum, ex recenſione Iuſti Lipſii.

§. X.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſeptimo Velleius prodiit *Francofurti* 1602. 12. ex Aldi editione expreſſus, cum eius atque Schegkii, Acidalii et Lipſii notis. 1607. 12. editio Gruteriana, cum caſtigationibus et notis Rhenani, Burerii, Manutii, Fuluii Vrſini, Lipſii, Schegkii, Acidalii, et Gruteri. 1687. 12. cum notis Gerhardi Voſſii, Gerhardi Iohannis filii adoleſcentis. *Hanouiae* 1611. fol. inter hiſtoriae Auguſtae ſcriptores Latinos minores, opera Iani Gruteri. *Argentorati* 1642. et 1663. 8. cum erudititiſſimis notis et indice Ioh. Henr. Boecleri, qui et ſeparatim Argentorati 1672. 8. characteres politicos in Velleio Paterculo demonſtrauit. *Helmſtadii* 1649. 12. ex recenſione Iani Gruteri. *Pariſiis* 1608. fol. vna cum Tacito variorum

b) Primum enim prodierunt poſtumae Claudii Puteani notae in Velleio notis variorum illuſtrato per Carolum Aubertum Pariſiis 1608. fol.

i) Epiſt. 57. ad Monauium.

Digitized by Google

notis illuſtratus, per Carolum Aubertum. 1644. 12. Aegidii Lacarri cum annotationibus. 1675. 4 cum paraphraſi, notis, et omnium vocabulorum indice, opera Roberti Riguezii Ieſuitae, in vſum Delphini. *Antuerpiae* 1615. forma minori ex officina Plantiniana Raphelengi, cum Floro et ceteris hiſtoriae Romanae ſcriptoribus. 1607. et 1648. fol. Iuſti Lipſii, ad calcem Taciti, commentariis illuſtratus. *Geneuae* 1609. et 1653. fol. inter ſcriptores hiſtoriae Romanae minores. *Franequerae* 1620. forma minore, cum notis Auſonii Popmae. *Amſtelodami* 1625. forma minore, inter ſcriptores hiſtoriae Romanae minores. 1664. 12. cum notis Gerhardi Voſſii. 1678. 12. ex recenſione Nic. Heinſii, quod ad textus integritatem attinet, editio commendatiſſima. *Lugduni Batauorum* 1632. 12. cum animaduerſionibus M. Z. Boxhornii, inter ſcriptores hiſtoriae Auguſtae, quos voluminibus quatuor diſtinctos edidit. 1639. 12. cum notis Gerhardi Voſſii. 1648. 12. cum Floro, Victore, Eutropio etc. in hiſtoriae Romanae epitome, per Nicol. Blancardum. 1653. 1659. et 1668. 8. cum notis variorum, accurante Anton. Thyſio. *Oxonii* 1693. 8. editio Ioh. Hudſoni accuratiſſima, cum annalibus Velleianis Henrici Dodwelli, variis lectionibus, et indice locutionum Velleianarum locupletiſſimo.

§. XI.

Noſtra aetate Velleius prodiit *Francofurti* 1704. 12. cum notis Voſſii. 1707. 8. cum notis Chriſtiani Iunckeri. *Lipſiae* 1707. 12. cum breuibus notis et indicibus Chriſtophori Cellarii, qui et tabellam adiunxit ex annalibus Velleianis Dodwelli. 1712. 12. cum notis Ioh. Georgii Walchii, praemiſſis H. Dodwelli annalibus Velleianis. *Marburgi* 1731. 8. cum annotationibus Germa-

nicis

nicis Sinceri. *Lemouici* 1710. 12. cum noua verſione Gallica e regione poſita. *Pariſiis* 1714. 12. *Oxonii* 1711. 8. a Ioh. Hudſono accurate recenſitus, cum ſelectis variorum notis ad voluminis calcem reiectis. In ea vero editione Dodwelli annales non apparent. *Londini* 1713. 12. nitidis typis, ex recenſione Michaelis Maittaire, cum indice locuplete. *Lugduni Batauorum* 1719. 8. editio omnium elegantiſſima Petri Burmanni, cum notis integris Rhenani, Burerii, Manutii, Puteani, Acidalii, Schegkii, Lipſii, Gruteri, Raphelengii, Popmae, Gerardi Voſſii, Boecleri, Cellarii, Nicolai vero Heinſii auctioribus, Andreae Schotti antea ineditis, et ipſius Burmanni nouis: adiunctis etiam de Velleio Lipſii et Voſſii diſſertationibus, annalibus item Velleianis Dodwelli, et praefatione de interpretibus Velleii.

§. XII.

VALERIVS MAXIMVS, *k*) ciuis Romanus, genere patricio natus. Et gentis Valeriae, *l*) Principes *M. Valerius* dictator fuit, quem reuocatae prudenti oratione e ſacro monte plebis cauſſa primum *Maximi* nomen obtinuit. *m*) *L. Valerius Publicola* ſublato decemuiratu conſul creatus eſt. *n*) *L. Valerius Laeuinus*, *P. C. et L. Valerius Flaccus*, *L. Valerius Antias*, *L. Valerius Tappus. A. et M. Valerius Poblicola*, *L. Valerius Potitus*, *M. Valerius Falco*, *M. Valerius Meſſala*, alii ex LIVIO hiſtori-

k) De praenomine Valerii Max. num *Pull.* an *Marc.* ſcribendum vid. FABRICIVS bibl Lat. Part. 2. pag 453.

l) Valerios primum dictos eſſe *Valeſios* QVINTILIANVS teſtatur inſtit. orat. l. 1. c. 4.

m) Vid. CICERO in Bruto cap. 14. Confer LIVIVS l. 8. c. 39. 40. PLVTARCHVS Pompeio p. m. 242. A.

n) LIVIVS l. 3. c. 55.

ſtoriae Romanae diligentiſſimo ſcriptore noti ſunt. Noſter vt genus paternum a gente Valeria, ita maternum a Fabia habuiſſe dicitur. *o*) Omnem pueritiam magnamque partem adoleſcentiae literis et bonarum artium ſtudio dedit. Sumta virili toga ſtipendium meruit, et in Aſiam traiectus militauit: *p*) cum Sexto Pompeio illo, qui Caeſaris Octauiani Auguſti anno extremo conſul fuit. In patriam redux Tiberio imperatori adulatus eſt, eiuſque temporibus extremis, cum Seianus iam eſſet extinctus, *q*) ſuos dictorum factorumque memorabilium libros edidit, quibus Romanorum et exterarum gentium notatu maxime digna memoriae prodidit. Ille vero, qui data opera et inſigni ſolicitudine aliorum collegit dictorum factorumque exempla; ipſe quod vixerit, neſcio quo fato, excidit pene omnium memoria. Neque enim quo loco, quo tempore, quibus parentibus natus, denatus, aut quibus defunctus officiis, cuiquam innotuit noſtrum. Sunt, fateor, qui Valerium hunc aiunt Mediolani fuiſſe natum, et claros inter aſtrologos ſacerdotesque floruiſſe. Quod item LEANDER, qui Lombardiam Tranſpadanam deſcripſit, ex antiquo Mediolanenſi marmore, quod in aede S. Simpliciani exſtat, adſtruere conatur. Monumenti illius inſcriptio haec eſt: *r*) M. VALERIVS MAXIMVS SACERDOS D. S. I. M. STVD. ASTROLOGIAE SIBI ET SFVERIAE APR. VXORI H. M. H. N. S. Sed potuit is M. Valerius Maximus, qui cum

o) Vid. Valerii Maximi vita ab incerto auctore conſcripta, quae vulgo eius libris praemittitur.

p) Confer. ipſius lib. 2. cap. 6. n. 8. et lib. 4. cap. 7.

q) Vid. VAL. MAX. l. 9. c. 11. exempl. extern. 4. extr.

r) Vid. GRVTER. inſcript. pag. CCCXIII. num. IV. VOSSIVS de hiſtoricis Latinis lib. 1. cap. 24.

cum Voluſiano Imper. conſulatum geſſit, vel alius eſſe, vt plurimi ſunt, ex eadem familia.

§. XIII.

Scripſit ex Aſia redux ad Tiberium Caeſarem *dictorum factorumque memorabilium libros IX.* qui hodie extant. Poſt Velleium ſcripſiſſe, inde patet, quod hic aduletur Seiano, cum in viuis eſſet: ille contra, vt Caeſari magis placeret, extincti iam atque cum omni ſtirpe ſua populi Romani pedibus obtriti accuſet perfidiam, adeo quidem, vt apud inferos etiam, ſi illuc eſſet receptus, quae mereatur, ſupplicia penderet. Verum hiſtoricae vtilitatis nucleum excludit; virtutum atque vitiorum exempla ſuccincte ex variis hiſtoriarum ſiluis colligit, ac vitae communi, publicis priuatisque moribus accommodat, ſuaque in genera, velut in locos communes ita digerit: vt libro primo, quae ad religionem et publica ſacra pertinent; ſecundo praeclara ciuitatum inſtituta exponat: reliquis, quae ad mores priuatos ſpectant, varia virtutum ac vitiorum genera complectatur.

§. XIV.

Cum ſatis vel ex ipſo Valerii ſuperſtite libro conſtet, eum poſt Seiani caedem, et Tiberii Caeſaris temporibus extremis ſcripſiſſe; ſtilus vero is eſſe deprehendatur, *s*) qui male cohaerentibus ſententiis tumidus, et affectationis plenus, tam bonum aeuum minime ſapiat: magni nominis fuerunt critici, qui ſicut non Trogum Pompeium hodie, ſed eius epitomen, a Iuſtino concinnatam, habeamus; ita nec Valerii Maximi opus inte-

s) Valerium Maximum minime ex genio ſeculi locutum, docet BARTHIVS aduerſ. lib. I. cap. 10.

integrum extare, ſed compendium eius, quod Iulius Paris ſcripſerit, nobis ſupereſſe dixerunt. Audiamus G. I. VOSSIVM: *t)* *Videtur is* Iulius Paris *feciſſe Valerii epitomen. Quodſi et Valerius librum de Romanorum nominibus fecit; eumque memorabilium libris ſubiecit: huius quoque epitomen ſcripſerit. Sin nihil huiuſmodi (quod multo verius puto) Valerius ediderit: ipſe Paris, vt melius intelligeretur Valerius, librum hunc compoſuit: eius autem epitomen fecerit C. Titius Probus. Aut ſi Probus auctor libri illius fuerit, epitome erit a Paride. Quid verius ſit, non aliunde odorari licet, quam praefatione illa, quae eſt in libellum de praenominibus. Ea » huiuſmodi eſt: Decimus atque vltimus huius operis li- » ber, ſeu ſtudioſorum inertia, ſeu ſcriptorum ſegnitia, » ſeu alio quouis caſu, aetati noſtrae perditus eſt. Ve- » rum Iulius Paris, abbreuiator Valerii, poſt nouem li- » bros explicitos, hunc decimum ſub infra ſcripto compen- » dio complexus eſt: per quod de nominibus, praenomi- » nibus, cognominibus, atque agnominibus, fuiſſe eun- » dem a Valerio compoſitum, coniectare licet. v) Sed hoc, quod affert, argumentum valde eſt infirmum. Potuit enim Paris librum de nominibus ſubiungere, non vt Valeriani vnius libri compendium: ſed vt omnium Valerii librorum facem ac commentarium. Quare ſic ſtatuere malim, Valerium ipſum memorabilia ſcripſiſſe: horum epitomen edidiſſe Paridem: eundem reliquiſſe librum de nomi-*

t) De hiſtoricis Latinis lib. I. cap. 24. Confer. LAMBECIVS 2. de bibl. Vindob. p. 934.

v) Satis quidem erudite STEPHANVS PIGHIVS epiſtola editionis ſuae, quam iſto epitomes fragmento praemiſit, diuerſimode confictas eſſe docet praefatiunculas pro librariorum iudicio: vnde adeo nihil probari poſſit.

nominibus: huius libri compendium feciſſe Probum. Quod etiam arguunt iſta, quae ibidem continuo ſequuntur: Verba quidem Iulii Paridis haec ſunt: Liber decimus de prae-" nominibus, et ſimilibus. Sequitur deinde: Decimi hu-" ius operis libri per C. Titum Probum epitome. CANTELIVS *x*)" atque et eo FABRICIVS, *y*) iuſtiorem putat, de Ianuario Nepotiano ſuſpicionem eſſe, quod ſpiſſius Valerii opus contraxerit. Hoc quidem patere aiunt ex epiſtola, quam PHILIPPVS LABBEVS *z*) ex veteri codice edidit, in hunc verborum ſenſum: *Ianuarius Nepotianus Victori ſuo ſalutem. Impenſius quam caeteri adoleſcentes literis ſtudes, quo tantum proficis, vt exigas ſcripta veterum coerceri, mi Victor, quod iudicium etiam in ſenibus rarum eſt. Igitur de Valerio Maximo mecum ſentis, opera eius vtilia eſſe, ſi ſint breuia. Digna enim cogitatione componit, ſed colligenda producit, dum ſe oſtendat ſententiis, locis iactat, fundit exceſſibus, et eo fortaſſe ſit paucioribus notus, quod legentium auiditati mora ipſa faſtidio eſt. Recidam itaque, vt vis, eius redundantia, et pleraque transgrediar, nonnulla praetermiſſa connectam. Sed hoc meum nec vim antiquorum habebit, nec fucum nouorum. Et cum integra fere in occulto ſint, praeter nos duo profecto nemo epitomata cognoſcat. Hoc tutius abutor otio, caue hic aliud quam breuitatem requiras, quam ſolam popoſciſti. Cura, mi Victor, vt valeas.*

§. XV.

Ego vero illud mihi perſuadere non poſſum, eo veterum et MSS. codicum conſenſu, alterius, quam Vale-

x) In ſua Valerii Maximi editione.

y) Biblioth. Latinae Part. 1. Lib. 2. cap. 5. pag. 331.

z) Tom. 1. bibliothecae MSS pag. 669.

Digitized by Google

Valerii Maximi, dictorum factorumque memorabilium eſſe opus. Eſto, fuiſſe plures, qui epitomen illius dederunt, *a*) contra fidem librorum et antiquitatis genuino auctorem foetu ſuo priuare non licet. Trogi Pompeii epitome Iuſtini auctoris nomen vbique praeſcriptum habet. In ipſo Valerii Maximi opere, quod extat, deprehenduntur ea omnia, quae breuiatores reſecare voluerunt; habes factorum circumſcriptiones, ſententiarum pompam, exceſſibus locisque luxuriantem copiam: vnde rem ſaepe liceret exponere paucis. Sicubi commendanda ſe prodat breuitas: conuenit ea omnino cum auctoris inſtituto, qui operis ſui prologo ad Tiberium ſcribit: *quae apud alios latius, diffuſa ſunt, quam vt breuiter cognoſci poſſint, ab illuſtribus electa auctoribus deligere conſtitui: vt documenta ſumere volentibus longae inquiſitionis labor abſit. b*) Quod ad ſtilum auctoris attinet, quem aiunt Tiberii aetate non ſatis dignum eſſe: haudquaquam ille a prologo abſimilis eſt, quem nemo dixerit ab alio, quam operis antiquiſſimi auctore, fuiſſe conſcriptum. Neque adeo mirum, eadem aetate non aeque omnes terſe loqui: cum et Cicero iam tum in Bruto fuerit conqueſtus, quod, receptis in ciuitatem tot exteris, corrumpi coepiſſet natiuus ille color ſermonis Romani. A quo tempore, vt SENECA *c*) loquitur,

a) Epitomen Valerii compoſuit etiam M. Iohannes Honorius Bohemus, qui Lipſiae 1497. claruit. vid. IOH. HALLERVORDI ſpicilegium de hiſt. Latin. p. 110 et FABRICII bibl. Lat. part. 1. lib. 2. c. 5. p. 332. Alii eum vocant Iulium Honorium, cuius epitomata ſuper nouem libros Valerii maximi prodierunt Lipſiae 1503. 4. confer. FABRICII bibl. Lat. tom. 2. pag. 455.

b) Confer. eiuſd. lib. 4. cap. 1. 12.

c) Controu. praefat. lib. 1.

tur, in deterius quotidie data res eſt. Vnde ſuo tempore QVINTILIANVS: *d*) *ſi antiquum ſermonem noſtro comparemus, paene iam quicquid loquimur, figura eſt.* Quae cum ita ſint: fieri facile potuit, vt homo verſatus diu in Aſia et Martis, non Muſarum caſtra ſecutus, aliquid aſſumeret peregrinitatis, intumeſceret, ac ſublimitatem in ea rerum varietate affectaret: atque adeo dicendi genus caſtrenſe velut transfuga prae ſe ferret in ſuaui doctiſſimorum quorumque virorum commercio. Quae a num. 5. extern. cap. 1. lib. 1. ad extremum capitis quarti exemplum legimus, in antiquiſſimis exemplis non extant, praefationibus et egreſſibus, Valerio vſitatis, deſtituta, primum a Cuſpiniano *e*) e MS. Vindobonenſi inſerta ſunt, non Valerii ſed epitomatoris cuiuſdam eſſe videntur: adeoque a Steph. Pighio aliisque, editionibus ſuis, diuerſo genere ſcribendi, quod vulgo curſiuum vocant, exprimi ſolent.

§. XVI.

Inſcriptionum cuiuſcunque capitis non eſſe Valerium Maximum auctorem, vel illud argumento eſſe, FRANCISCVS VAVASSOR *f*) notat, quod libri quinti caput alterum de *gratitudine*, et ſequens tertium de *ingratitudine* inſcribitur, quas voces nec vſquam apud ſcriptorem probatum eo ſenſu reperias, nec ipſe Valerius per totum vtrumque caput vſurpauit, quanquam occaſio pene et neceſſitas poſtularit. Idem vero etiam Vauaſſor teſtatur, exemplum ſe Valerii Maximi manuſcriptum habuiſſe, in quo non iam de *gratitudine* et *ingratitudine*, ſed de *gratis* et *ingratis* capita inſcripta fuerint.

Rrr 2 Ita

d) Inſtit. orat. lib. 9. cap. 3.

e) Cui hoc nomine ALDVS gratulatur.

f) Libro de vi et vſu verborum quorundam Latinorum.

Digitized by Google

Ita impreſſum quoque habet exemplum, quod Mediolani MDVIII. fol. cum Oliuerii interpretatione prodiit. Certe veterum conſuetudo non fuit libros diſtinguere capitibus. Neque AVLVS GELLIVS, *g*) vbi de Dolabellae et Areopagi iudicio VALERIVM MAXIMVM *h*) citat, non capitis ſed libri mentionem facit. *Scripta*, inquit, *haec hiſtoria eſt in libro Valerii Maximi factorum et dictorum memorabilium octauo.* PLVTARCHVS quoque Valerium Maximum eorum teſtem laudat, quae de Marcelli obitu, *i*) et Poricae Bruti vxore extincta refert. *k*) Sed codices, quos vidimus, omnes Valerii maximi opus nobis repraeſentant IX. libris diſtinctum. In aliquibus reperitur epitomes cuiuſdam fragmentum, in fine annexum pro libro X. prorſus remotum et alienum ab argumento et ſcopo Valerii Maximi. Nihil enim continet aliud, quam nominum aliquot Romanorum rationes. Quae quidem epitome ex alio antiquo ſcriptore collecta eſt a Iulio Paride, ſicut nonnulli produnt codices: illius vero duntaxat fragmentum hoc de nominibus repertum librarii adiunxerunt Valerio Maximo, tanquam ex eius libro, qui nullibi apparet, exemplorum decimo contractum. Hi et alium admiſerunt errorem, qui C. Titum Probum, neſcio quem, *l*) protulerunt huius epitomes auctorem: id quod ex ipſius

g) Noct. Attic. lib. 12. cap. 7. *h*) Lib. 8. cap. 1. extr.

i) Vita Marcelli extr. p. m. 93. B.

k) Bruti vita extr. p. m. 314. A.

l) Librarius eſſe videtur. Sed Probus etiam extitit quidam circa annum Chriſti DCCCXXX de quo ad Altuinum ſcribit SERVATVS LVPVS Ferrarienſis epiſt. 20. *iam vero pene ſtomachor, quoniam non ſcripſiſti, quid Probus noſter exerceat, ſc. vtrum in*

ipſius fragmenti fine ſatis temere depromſiſſe videntur. Hoc liquet, non eſſe Valerii Maximi, et eius auctorem verum adhuc in obſcuro latere.

§. XVII.

Quoquo ſe res habeat modo: auctor quidem non inutilis eſt propter exempla, iucundamque tot hiſtoriarum, quaſi florum congeſtam varietatem, vel narrationum breuitatem: ſed tamen ineptus ſententiarum affectator *m*) commixta illis bonis multa habet mala. Dum exhibere ſtudet ſelecta virtutum atque vitiorum exempla: inprimis doctus, prudens et cuſtos eloquentia Latinae eſſe cupit. Scribit inde ad Tiberium Caeſarem: *n*) *quis compos mentis domeſticae peregrinaeque hiſtoriae ſeriem, felici ſuperiorum ſtilo conditam, vel attentiore cura, vel praeſtantiore facundia, traditurum ſe ſperaucrit?* Stilum ergo ſublimiorem affectat, et opinato citius in meteoris haeret. Promittit plura, quam ipſa re praeſtare poteſt. Labitur facile, qui grauitatem amat, ſaepius et humi repit; mox ſurgere, aut euolare altius conatur. Aliquando ſatis deprehenditur eſſe acutus et ſubtilis, qui maxime vult videri: in plerisque durus eſt, ſubobſcurus, et ad plebeium ſermonem abiectus. A puritate et vero ſermonis Latini candore longius recedit, quam aetatis ſuae patitur indoles: VT DES. ERASMVS

Rrr 3

in ſaltu Germaniae diſciplinas liberales, vt ſerio dicere ſolitus erat, ordine currat, an certe inchoatam ſatyram quod magis exiſtimo, ſtruens Ciceronem et Virgilium ceteroſque opinione eius probatiſſimos viros in electorum collegium admittat. etc. Et epiſt. 34. *Probum autem non tam aliquid edidiſſe admiror, quam non omnibus iam ſcribendi materiam abſtuliſſe.*

m) Ita eum IOS. SCALIGER vocat comment. in catalecta p. 248.

n) Prologo.

Digitized by Google

MVS *o*) de eo non vereatur ſcribere: *tam ſimilis eſt Ciceroni, quam mulus homini, adeo vt vix credas, vel Italum fuiſſe, qui ſcripſit, vel hoc aetatis, quod prae ſe fert, vixiſſe: tam diuerſum eſt totum dictionis genus. Afrum quempiam eſſe dicas, nec vllum carmen elaboratius.* Vt cum in prooemio ait: *mea paruitas eo iuſtius ad fauorem tuum decurrerit, quod cetera diuinitas opinione colligitur: tua praeſenti fide paterno auitoque ſideri par videtur.* CHRISTIANVS DAVMIVS *p*) caſtrenſe dicendi genus in Valerio noſtro et Velleio Paterculo notat. Illud vero etiam non negandum, quod bonus auctor paſſim valde corruptus, attritus, et iniuria temporum ab ignaris male multatus, vt vix ſui ſimilis eſſe videatur: et vnus LIPSIVS eum, editionis ſuae praefatione amplius octingentis naeuis expurgaſſe glorietur. In exemplaribus huius auctoris tantam varietatem BARTHIVS *q*) notat, vt componere noua cum veteribus adorſus vix ſcias, quorſum vertere ſententiam velis. Quoniam hic ſcriptor omnium manibus terebatur: prodigioſiſſime corruptum et gloſſematis interpolatum ad nos perueniſſe FRANC. MODIVS *r*) notat. Et *paſſim*, inquit, *in Valerio obſeruamus pronominum ellipſin, Graecis quoque vſitatam. At imperiti homines de ſuo illa intruſerunt fulciendis ſententiis, quod ſemel dictum volumus de hoc ſcriptore.*

§. XVIII.

Tiberio Caeſari et vniuerſae domui Auguſtae, vt iam tum illuſtrium quoque familiarum conſuetudo fuit, enixe adulatur, infinitis locis. Libro nono inter dictorum improborum factorumque ſceleratorum exempla vlti-

o) In Ciceroniano.
p) De cauſſis amiſſarum Latinae linguae radicum p. 39.
q) Aduerſ. l. 19. c. 15. *r*) Nouantiq. lect. epiſt. 54. et 96.

Digitized by Google

vltimo, quod recte ſubodoratus eſt PIGHIVS, Seiani, ſuppreſſo tamen eius nomine, ſupra omnium flagitiorum conditionem, inceſſit perfidiam atque audaciam. Ita quoque Iulio et Auguſto aſſentatur; *s)* Brutum paricidam vocat: *t)* et C. Caſſium nunquam ſine praefatione publici paricidii nominandum. *v)* Illa vero omnium turpiſſima adulatio, quod ad Tiberium operis prologo ſcripſit: *Te huic coepto, penes quem, hominum deorumque conſenſu, maris ac terrae regimen eſſe voluit, certiſſima ſalus patriae Caeſar, inuoco, cuius coeleſti prouidentia virtutes, de quibus dicturus ſum, benigniſſime fouentur; vitia ſeueriſſime vindicantur. Nam ſi priſci oratores ab Ioue Opt. Max. bene orſi ſunt, ſi excellentiſſimi vates a Numine aliquo principia traxerunt: mea paruitas eo iuſtius ad fauorem tuum decurrerit, quod cetera diuinitas opinione colligitur: tua praeſenti fide paterno auitoque ſideri par videtur: quorum eximio fulgore multum ceremoniis noſtris inclutae claritatis acceſſit. Deos enim reliquos accepimus, Caeſares dedimus.* Neque in hoc auctore, vt BALTHASAR BONIFACIVS *x)* recte monet, inueniri facile poterit aut harmonia Liuianae facundiae, aut grauitas Salluſtianae maieſtatis, aut vis Caeſareanae efficaciae, aut ſincera Taciti fides, animoſa libertas, et ciuilis prudentia. Pro his virtutibus apparent tragicae exclamationes, interciſa obſcuraque breuitas, affectata vehementia, ingenium ſeruile, adulatio tam profligata, vt in ſuperſtitionem ſaepe ac idololatriam erumpat. Sententias nimis curioſe perquirit, adeo quidem, vt vix ſine huiuſmodi animaduerſione quadam hiſtoriolam proferre conetur. Primus hic poe-

s) Lib. 7. cap. 6. *t)* Lib. 6. cap. 4. *v)* Lib 1. cap. 7.
x) De quadraginta Romanae hiſtoriae ſcriptoribus pag. 19.

Digitized by Google

poeticum inuocandi morem in hiſtoriam inuexit: quem poſtea ſecuti ſunt Graeculi, ad aſſentationem natura magis creati, quam arte compoſiti. Vbique Valerii poeticum potius, quam hiſtoricum apparet ingenium: ita preſſus confertusque, acutus et multo ſale reſperſus: vt iis accommodatior eſſe videntur, qui epigrammata fingunt; quam res geſtas ſcripto conſignantibus.

§. XIX.

Non falluntur, qui aiunt in his libris, velut in ampliſſimo theatro, quandam quaſi communis vitae tragico - comoediam a Valerio agi: vbi ipſe tanquam pantomimus aliquis in nouas ſe formas ſaepe mutet, mortalis vitae mille pericula caſusque infinitos diuerſis geſtibus imitatus, paſſiones, affectus, mores atque ſtudia graphice depingat: aliquando grauitate ſublimis, et eloquentia ſplendidus, virtutes laudet ac honeſte facta in coelum euehat: nonnunquam triſtis ac velut tragice plangens crudelitatem ſceleraque damnet: ſaepe facetiis lepidus dicteriisque ſalſus, et comice iucundus, vana hominum ſtudia et conſilia ſugillet. Velut inſtructiſſimus choragus, nunc virtutum, nunc vitiorum mimos, magno verborum apparatu comtos, inducit, ac praeſentes quaſi oculis ſubiicit: aliaque exemplis connectendo exempla, nouas ſubinde perſonas repraeſentat, ſententiarum inſigni ſe iactat pompa, ſuosque ſpectatores quouis modo delectare conatur. Quamuis etiam aliquando moliri grauius, quam feliciter exhibere videatur figuras atque ſententias: abunde tamen, quae BOECLERI, *y*) CELLARII, *z*) et WALCHII *a*) ſententia, eloquen-

y) Annot. ad Vellei. l. 2. c. 111. n. 3. pag. 188.

z) Prol. cur. poſt. p. 21.

a) Hiſt. critic. Latinae linguae cap. 1. pag. 52.

Digitized by Google

quentiam ſuam prudentiamque aequis iudicibus approbare poteſt. Amatur praeſertim ab illis, qui occupationibus diſtracti quaerunt temporis, compendia, nec hiſtoriis diu immorari poſſunt. Multa Valerius Maximus paucis complectitur verbis, et pulcherrimum ex immenſis Romanae et Graecae hiſtoriae viridariis florilegium inſtituit. CAROLVS SIGONIVS *b*) in eo deſiderat nomina hiſtoricorum, ex quibus ſua deſcripſit; atque eum, dum ex omnibus eliciat, qui ſaepe ſint inter ſe varii, haud raro etiam non ſibi conſtare.

§. XX.

Valerius Maximus prodiit primum *Moguntiae* 1471. fol. per Petrum Schoyffer de Gernshem: quae editio princeps ex Perizonii legato in bibliotheca Leidenſi ſeruatur. Eodem anno recuſus eſt *Venetiis* fol. per Vindelinum Spirenſem. Ibid. 1474. fol. per Iohannem de Colonia et Ioh. Manthem. 1475. fol. 1478. fol. ex emendatione Boni Accurſii Piſani. 1482. fol. cum Omniboni Leoniceni commentario, apud Iohannem Foroliuium. 1487. 1488. 1491. 1494. et 1497. fol. accurante M. Antonio Sabellico, cum Oliuerii Arzignanenſis Vicentini commentariis. *Pariſiis* 1475. fol. ſine nomine typographi. *Mediolani* 1475. fol. per Anton. Zarottum. 1480. et 1487. fol. per Leonardum Pachel et Vldericum Scinczenzeller, Theutonicos. *Bononiae* 1476. fol. ad petitionem Sigiſmundi de Libris.

§. XXI.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto exempla illuſtriora prodierunt *Venetiis* 1500. 1503. et 1505. fol. accurante M. Antonio Sabellico, cum Oliuerii Arzigna-

b) Iudicio de hiſtoricis.

zignanenſis Vicentini commentariis. 1502. 1503. et 1508. 8. apud Aldum. 1514. 8. apud Aſculanum. 1518. fol. per Aug. de Zanis de Porteſia cum commentario hiſtorico et literario Oliuerii Arzignanenſis, et ſuccincto Iodoci Badii, additis Theophili lucubrationibus, et pene viuis imaginibus. 1534. 8. apud Iuntam, cum Pauli Manutii praefatione. 1548. 1558. 1565. et 1575. fol. cum Oliuerii Badii Aſcenſii, et Theophili commentariis. 1545. et 1564. 8. ex Sebaſt. Corradi recenſione. *Mediolani* 1508. 1510. et 1513. fol. cum Oliuerii, Badii, et Theophili commentariis. *Pariſiis* 1517. fol. per Ioh. Paruum, cum ampliſſimo Iodoci Badii Aſcenſii commentario. 1522. et 1535. fol. cum Oliuerii et Badii commentariis. 1543. 8. ex Robert. Stephani officina. 1545. 12. *Lugduni* 1512. 12. cum Iuſti Lipſii et Stephani Pighii notis. 1534. 1541. 1560. 8. 1550. 1566. 1576. 12. et 1587. 12. apud Gryphium, cum Stephani Pighii et Claudii Mitallerii notis. *Argentinae* 1521. 8. *Baſileae* 1540. 8. 1553. et 1562. 8. apud Henricum Petri, cum Henrici Glareani annotationibus. 1556. fol. cum ſcriptoribus aliis, qui exempla virtutum et vitiorum ediderunt. 1577. 8. cum annotationibus Glareani et Chriſtianorum exemplorum farragine. *Lipſiae* 1514. fol. per Melch. Lottherum. *Seleſtadii* 1520. 4. apud Lazarum Schurerium. *Moguntiae* 1538. 8. *Antuerpiae* 1545. 8. 1567. et 1574. 8. apud Plantinum, cum Steph. Pighii annotationibus. 1585. et 1594. 8. cum Steph. Pighii et Iuſti Lipſii notis.

§. XXII.

Seculo decimo ſeptimo Valerius Maximus prodiit *Venetiis* 1605. 8. ex recenſione et cum notis Sebaſtiani Corradi. *Lugduni* 1612. 12. cum notis Pighii et Lipſii.

Duaci

Digitized by Google

Duaci 1619. 4. *Geneuae* 1650. 12. *Pariſiis* 1679. 4. apud viduam Thibouſt. et Petrum Eſclas. cum interpretatione et notis Petri Ioſephi Cantelii, e Societ. Ieſu, Chriſtianiſſimi Regis iuſſu, in vſum Delphini. *Francofurti* 1601. et 1627. 8. typis Wechelianis, cum Iuſti Lipſii, Stephani Pighii, et Chriſtophori Coleri animaduerſionibus. *Hanouiae* 1614. 8. cum iiſdem notis. *Berolini* 1672. 8. cum notis Ioh. Vorſtii. *Antuerpiae* 1619. 12. ex emendatione Stephani Pighii. *Amſtelodami* 1632. forma minore, apud Dan. Elzeuirium, ex recenſione Ioh. Iſaacii Pontani. 1671. forma minore, ex recenſione Pontani. 1647. et 1660. 12. cum Iuſti Lipſii notis. *Lugduni Batauorum* 1640. 12. cum notis Iuſti Lipſii. 1651. 1655. 1660. 1670. et 1691. 8. cum notis variorum Antonio Thyſio. *Roterodami* 1662. 1671. et 1681. 12. cum notis Iohannis Minellii.

§. XXIII.

Noſtro ſeculo Valerius Maximus editus eſt *Hafniae* 1703. 8. cum notis Ioh. Minellii. *Leidae* 1726. 4. 2. tomis, opera Abrah. Torrenii, cum notis integris Glareani, Pighii, Lipſii, Coleri, Vorſtii, nec non ſelectis aliorum obſeruationibus. Quibus accedunt emendationes ineditae C. Barthii, Fr. Guyeti et M. Gudii, item notae et obſeruationes perpetuae Iac. Perizonii, vt et A. Schultingii exercitatio ad Val. Max. lib. 7. cap. 7. de teſtamentis reſciſſis. Ad plurimorum MSS. fidem opus recenſuit, et notas adiecit Abrah. Torrenius. *c*)

§. XXIV.

Q. CVRTIVS RVFVS quis fuerit, et quando vixerit, non vnum omnes ſentiunt. Certe hiſtoriam eius

 de

c) Vid. Acta Erud. Lipſ. 1727. Apr. n. 4. pag. 159. Neue Zeitungen von gelehrten Sachen 1727. num. 35. pag. 358.

de rebus Alexandri M. elegantiſſime ſcriptam, quod ſatis mirari non poſſumus, ex veteribus nemo diſerte memorauit. Vnde quidam de genuina eius antiquitate dubitarunt, recentioris ingenii foetum credentes, poſt reſtauratas literas, nomine Romano, in lucem editum. Ioh. Laurentio Crollio *d*) auctore, in bibliotheca Palatina ſeruabatur hiſtoria Alexandri Magni, heroico carmine conſcripta, ex qua poſt renatas literas, vir quidam purioris Latinitatis ſtudioſiſſimus, ſtilo ſoluto eandem hiſtoriam ſub nomine Q. Curtii adornaſſe dicitur. Quod vel inde conſtare putant: quoniam in Curtio ſibi videntur obſeruaſſe, quae cum veteri geographia difficulter conciliari poſſunt. Ita GVIDO PATINVS *e*) refert, adoleſcentiae ſuae magiſtrum in hac opinione de Curtio fuiſſe, *que ſon liure n' étoit, qu' vn Roman; que le Latin veritablement en étoit beau, mais qu'il y auoit de grandes fautes de geographie.* Item: *que l' auteur de ce liure étoit vn ſauant Italien, qui le fit il y a enuiron* 300. *ans; que nul ancien n' auoit cité Quinte Curce; et que c' étoit vn nom ſupoſé.* IOH. BODINVS *f*) illum facit aequalem Platinae, anno CIↃ CCCC LXXX. clarum. Et DAN. GVIL. MOLLERVS *g*) iudicat, illa verba ſatis vulgaria de *nouo ſidere h*) vnde viri eruditiſſimi ſolent Curtii aetatem colligere, hanc praecipue ob cauſſam inſerta eſſe, vt auctoritas aliqua ſcriptori recentiori conciliaretur. Ante ſeculum a Chriſto nato quintum decimum, neminem omnium eſſe repertum, qui vel per tranſennam

d) Allocutione ad Ioh. Wilhelmum Comitem Palatinum de bibliotheca Graeuii Heidelbergenſibus donata.

e) Epiſt. 27.

f) Methodo ad facilem hiſtoriarum cognitionem c. 10. p. m. 550.

g) Diſp. circulari de Q. Curtio R. §. 10. 11. 12.

h) Apud CVRTIVM l. 10. c. 9.

nam Curtii hiſtorici, aut ſcriptae ab illo hiſtoriae mentionem inieciſſet; quin etiam neminem in hunc vſque diem quicquam apud veterem aliquem auctorem reperiſſe ex Curtio citatum. Prorſus ergo ſtatuendum, non tam vetus eſſe Curtii aeuum, quin potius pro ſuppoſititio recentioris cuiuſpiam ſcriptoris foetu habendam Alexandri M. hiſtoriam, qui poſt renatas literas felici veterum imitatione eximiam ſcribendi facultatem adeptus, opus hocce ſuum Romano ſub nomine prodire voluerit. Illi vero ſuam diſſertationem *i*) oppoſuit MAGNVS DANIEL OMEISIVS, quocum et nos omnino faciendum putamus, iniurium cenſentes, de antiquitate tam nitidi elegantisque ſcriptoris dubitare. Quod ad errores geographicos attinet; ſimiles quoque forſan et plures apud Herodotum, hiſtoricum antiquiſſimum, aliosque grauiſſimos auctores deprehendent. Ecquid veterum poterit probare ſilentium de auctore, quem ipſa ſcripta probant. Adeo plures fuiſſent reiiciendi, quorum memoriam nulla vnquam obliuio delebit. Contra vero ſentientibus optime IOH. CHRISTOPHORVS WAGESEIL *k*) reſpondit: *etſi quacunque de cauſſa non occurrit apud antiquiores, qui extat, Curtii mentio, tamen ii, quorum aetas tria ſecula longe excedit, eius meminere, vt ſic ſaltem longe ante illa tempora vixiſſe illum neceſſe ſit. Iohannes nimirum Sarisberienſis, Carnotenſis Epiſcopus, quem anno* 1182. *vita exceſſiſſe conſtat, Curtium allegat in policratico lib.* 8. *cap.* 18. *Philippus vero Gualterus, Epiſcopus Inſulanus, quem nonnulli Sarisberienſis aequalem temporum autumant, alii, vt Voſſius de poetis Latinis, anno* 1250. *claruiſſe ferunt, in Alexandreide, ſiue car-*

i) De Curtii aetate Altdorfii 1683. 4.

k) In pera librorum iuuenilium tom. 4. p. 178.

Digitized by Google

carmine, quo libris X. cecinit res geſtas Alexandri, Curtium ad verbum, quantum poterat, imitatus eſt. De Alphonſo quoque decimo Hiſpaniae Rege, qui Sapientis cognomen meruit, et anno 1252. *imperare coepit, Antonius Panormitanus in vita eius prodidit, eum, cum graui morbo laboraret, remedia medicis fruſtra praeſcribentibus, coepiſſe legere Q. Curtii hiſtoriam de Alexandro M. adeoque illius dulcedine captum fuiſſe, vt ex ſola lectione ſanitatem recuperauit; haec ſaepe deinde repetiit verba, erumpens: valeant Auicenna, Hippocrates, Medici ceteri, viuat Curtius ſoſpitator meus. Quanquam quid verbis opus eſt? monſtrauit mihi olim ſolidum reip. literariae columen, omnique laude dignus vir, Antonius Magliabechius in bibliotheca Medicea codicem Curtii antiquiſſimum, atque Lucae Holſtenii, quod ſimul literis conſignatum exhibebat, veriſſimo quo in talibus pollebat iudicio, haud minus annis ſeptingentis grauem.* Certe vel ſolus ille codex certiſſimum nobis praebet antiquitatis teſtimonium. Eſto, paulo recentiorem fuiſſe, ac propius accedere ad reſtauratae Latinitatis aeuum. Ecquis etiam illius aetatis, ſi qua potuiſſet ratione ac feliciſſimo auſu ad tantam veterum gloriam adſpirare, ſuum non agnouerit tam elegans ſcriptum, vt aliis imponeret? Ipſis renaſcentium literarum temporibus LAVR. VALLA elegantias ſuas *l*) non ſemel ex Curtio, velut antiquo et probatae Latinitatis auctore probauit. Laudatur Curtius quoque a IOH. TORTELIO libro de orthographia edito poſt Chriſtum natum anno 1485. Et citatur primus Curtii liber a IACOBO DE CRESOLLIS Lombardo, qui ante annos amplius CCCC. ſcripſit. *m*) Ecquis ſibi perſuaſerit

l) Vid. l. 1. c. 17. *m*) Confer. BARTHIVS ad Claudianum pag. 1165.

ſerit illis temporibus idoneum fuiſſe quenquam ad hiſtoriam ſcribendam antiquitatis tam eleganti ac natiuo colore. Verum enim vero PETRVS BLAESENSIS *n*) inter libros in ſcholis celebres ſibi profuiſſe praedicat, frequenter hiſtorias Q. Curtii inſpexiſſe. Scholas autem frequentauit A. C. CIϽCL. Et BERNARDVS DE MONTFAVCON *o*) laudat manuſcriptum codicem hiſtoriarum Curtii, annorum octingentorum, qui in bibliotheca Colbertina extitit.

§. XXV.

Cordatiores critici plerique auctoris noſtri antiquitatem agnoſcunt. Sed mirum, quantum etiam illi in perſcrutanda eius aetate diſcrepent. Locus, vnde potiſſimum de Curtii aeuo coniecturam capiunt, hic eſt: *p*) *primum ergo conlegere vires; deinde diſperſerunt: et quum pluribus corpus, quam capiebat, oneraſſent; cetera membra deficere coeperunt: quodque imperium ſub vno ſtare potuiſſet, dum a pluribus ſuſtinetur, ruit.* NB. *Proinde iure meritoque populus Romanus ſalutem ſe principi ſuo debere profitetur, cui noctis, quam pene ſupremam habuimus, nouum ſidus illuxit. Huius hercule, non ſolis ortus, lucem caliganti reddidit mundo; quum ſine ſuo capite diſcordia membra trepidarent. Quot ille tum exſtinxit faces? quot condidit gladios? quantam tempeſtatem ſubita ſerenitate diſcuſſit? Non ergo reuireſcit ſolum, ſed etiam floret imperium. Abſit modo inuidia, excipiet huius ſeculi tempora eiuſdem domus vtinam perpetua, certe diuturna poſteritas.* Ecquis vero Imperatorum illud ſidus fuit? P. PITHOEVS et IAC. BONGARSIVS *Caeſarem Octauianum*

n) Epiſt. 101. *o*) Praefat. ad palaeographiam Graecam.

p) Apud CVRTIVM l. 10. cap. 9. n. 1.

uianum Auguſtum intelligunt. Sed hanc coniecturam I. LIPSIVS *q*) confutat: quod ad imperium euectus non exſtinxerit faces, ſed accenderit; non condiderit gladios, ſed eduxerit. Tum enim recruduit ciuile bellum, ac per multos annos protractum fuit. Addit CVRTIVM *r*) aetatis ſuae pacem longam cuncta refouentem praedicaſſe. At ſub Auguſto viginti annorum bella fuiſſe. POPMA, MATTHAEVS RVDERVS, et IAC. PERIZONIVS *Tiberium* putant illud ſidus fuiſſe. IVSTVS LIPSIVS, BARNABAS BRISSONIVS, VALENS ACIDALIVS et MICH. TELLERIVS *Claudium* fuiſſe malunt. IAN. RVTGERSIVS, G. I. VOSSIVS, IOH. HENR. BOECLERVS, IOH. LOCCENIVS, FREINSHEMIVS, et PHILIPPVS CAROLI *Veſpaſianum*; IOH. ISAACVS PONTANVS *Traianum*; Denique CASPAR BARTHIVS *Theodoſium* ſubſtituunt. Adeo ſententiis diffident, ac pulchrum cuique in alias atque alias diſcedere partes. *s*)

§. XXVI.

Et meam mihi licebit ſubiicere ſententiam. Equidem non video, cur Alexandri Magni hiſtoriam illi velint abiudicare Curtio Rufo, de quo C. TACITVS, *t*) et PLINIVS *v*) mira narrant. Ille profecto ſatis erat celebris, et ſummo ingenio praeditus, abſque quo nunquam ad tantum honoris faſtigium peruenire potuiſſet. Genere obſcurus erat, vt quidam prodidere, gladiatore genitus. Tenuis adhuc obtinenti Africam quaeſtori haerebat comes: tunc aiunt illi iam inclinato die in porticu

q) Ad Tacit. annal. 11. cap. 21. *r*) Lib. 4. cap. 4.

s) Vid. G. I. VOSSIVS de hiſtoricis Latinis lib. 1. cap. 28. Et FREINSHEMIVS, qui omnes, quotquot reperire potuit, de Curtio doctorum opiniones editioni ſuae inſeruit.

t) Annalium lib. 11. cap. 21. *v*) Lib. 7. epiſt. 27.

Digitized by Google

ticu ambulanti oblatam fuiſſe mulieris figuram pulchriorem humana atque grandiorem; perterrito futurorum illam dixiſſe praenuntiam: fore, vt mox Romam iturus, honores gerat, atque etiam cum ſummo imperio in eandem prouinciam reuertatur, ibi moriturus. Tali omine in ſpem ſublatus redit Romam, et largitione amicorum, inprimis vero ingenii alacritate et ſummo ſtudio quaeſturam; et mox nobiles inter candidatos praeturam, principis ſuffragio aſſequitur: cum Tiberius natalium dedecus his verbis velaſſet: *Curtius Rufus videtur mihi ex ſe natus.* Haec diſerte Tacitus. Atque adeo, ſi coniectura valet, extremis imperii annis tantam Tiberii gratiam iniit. Nec dubito, eundem eſſe Q. Curtium Rufum, inclutum bonis artibus, acri ingenio, atque dicendi eximia facultate, de quo in Rhetorum illuſtrium vitis SVETONIVS egit; vt cognoſcimus ex catalogo, quem Achilles Statius in vtriuſque manuſcripti ſui principio reperit. Hunc Tiberii et Claudii aeuo inter rhetoras nomen profeſſum eſſe, non abſurde VOSSIVS x) inde colligit, quod in eo catalogo, vbi aetatis habetur ratio, proxime ſequitur L. Caeſtium Pium et M. Porcium Latronem, qui ſub Auguſto fuere: ipſe autem coniungitur cum L. Valerio Primano et Virgilio Flauo: tres illos ſequuntur duo L. Statius Vrſulus et P. Clodius Quirinalis, qui ſub Claudio et Nerone viguerunt. Sub Claudio certe Curtius Rufus, iam virtute ſua ad honores euectus, atque militans in Germania meruit triumphi inſignia; poſtquam in agro Mattiaco recluſerat ſpecus quaerendis argenti venis; vnde tenuis fructus,

x) De hiſt. Lat. l. 1. c. 28. extr.

ctus, nec in longum fuit: at legionibus cum damno labor, exfodere riuos, quaeque in aperto grauia, humum infra moliri. *y*) In ea Germanica expeditione videtur animi cauſſa res ab Alexandro M. fortiter geſtas ſcriptis exprimere fuiſſe conatum, eaſdemque ad finem prope iam tum perduxiſſe ſub eodem Claudio Imperatore, quem nouum ſidus vocat: *z*) vbi reſpicit ad Caii Caligulae caedem eamque confuſionem, quae ſecuta eſt: cum ſenatus imperium abrogaret, milites contra cum plebe ſtabilirent. Haec illa fuere diſcordia ſine capite membra: et Claudius Imperator, qui tantam reip. tempeſtatem ſerenitate ſua diſcuſſit; qui vt patriam a ciuili bello liberaret, tot faces exſtinxit, tot gladios condidit. Nam vt pluribus ex IOSEPHO *a*) MICHAEL LE TELLIER demonſtrat, Caeſo Caligula, quum abductus eſſet a militibus in caſtra, et acclamatus Imperator Claudius: Romani totam noctem, quae ſecuta eſt, trepidationis et periculi plenam habuere; hinc ſenatu rem ſibi publicam vindicante; inde populo nouum Imperatorem poſcente; vtriſque militum ſeditionem metuentibus: donec orta luce omnes in caſtra venirent ad Claudium, qui factus communi conſenſu Imperator, aliorum ambitioni aditum praecluſit, magnamque cladem auertit. Huius auſpicatiſſimo regimine ita ſervatum eſt Romanum imperium, nec a pluribus laceratum competitoribus, vt Macedonicum iſtud olim, cuius occaſione Rufus haec ſcripto prodidit. Pari modo SENECA Philoſophus de Claudio: *b*) *patere illum generi humano iam*

y) Vid. TACITVS annal. l. 11. cap. 20.

z) CVRTIVS l. 10. c. 9. n. 3.

a) Antiq. Iud l. 19. c. 2. et 3.

b) De conſolatione ad Polybium cap. 32.

Digitized by Google

iam diu aegro et affecto mederi: patere quicquid prioris principis furor concuſſit, in locum ſuum reſtituere ac reponere. Sidus hoc, quod praecipitato in profundum, ac demerſo in tenebras orbi refulſit, ſemper luceat. Hic Germaniam pacet, Britanniam aperiat, et patris triumphos ducat, et nouos etc. quae dicas ab alterutro deſumta. Neque tamen et eum aetate grandiorem Veſpaſiani tempora attigiſſe negarem. Res quoquo ſe habeat modo, Curtius noſter Rufus poſt aeuum Tiberii, ſi TACITO c) credimus, longa ſenecta, et aduerſus ſuperiores triſti adulatione, arrogans minoribus, inter pares difficilis, conſulare imperium, triumphi inſignia, ac poſtremo Africam obtinuit: atqui ibi defunctus, fatale praeſagium impleuit.

§. XXVII.

Q. Curtius Rufus ſcriptam reliquit *de rebus Alexandri M. hiſtoriam libris X.* quorum priores duo iniuria temporum periere. Iſtos reſtituere conati ſunt Chriſtophorus Bruno, bonarum artium Monachii profeſſor, Franciſcus Petrarcha, Ioh. Freinshemius, Chriſtophorus Cellarius atque Chriſtianus Iunckerus. Primum ἀκέφαλος excudebatur, donec anno MDXLIV. ex ingenio quaedam ſuppleret. Coniectationes illas cum nec dicendi copiae, nec terſae Q. Curtii elegantiae reſpondere videret Freinshemius, vberiora ſupplementa parauit non inuita Minerua. Denique Cellarius, ne tironibus imponatur Brunonis ſterilitate, aut nimia Freinshemii vbertate; vt pene frangerent legendi cupiditatem, et poſtmodum ad genuinos Curtii libros torperent; noua methodo, quae deſunt, per ſummaria indicare, notisque ſubſtratis ſingula declarare inſtituit.

c) Annal. L. 11. cap. 21. n. 4.

Integrum Curtii opus MStum Viennae Auſtriae in bibliotheca Wolfgangi Lazii fuiſſe, falſa vt videtur fama fuit. SCALIGER *d*) in bibliotheca S. Victoris primum vidit librum Q. Curtii, ſed mox deprehendit, illum a Petrarcha compoſitum eſſe. Freinshemius et alias in Curtio lacunas ſuppleuit, quae l. 5. c. 13. l. 6. principio et lib. 10. c. 1. et 4. occurrunt. Conferantur quae illis locis Cellarius monuit. In antiquis editionibus ordo turbatus eſt ita vt quintus et ſextus liber in vnum contrahantur, et nouem tantum libri numerentur, pro ſeptimo ſextus, pro octauo ſeptimus, et ſic deinceps.

§. XXVIII.

Stilus omnino floridus eſt et elegans, verba lectiſſima, crebrae et acutae ſententiae, expoſitiones iucundae, et multa facundia inſtructae conciones, quaeque maieſtatis ſuae pondus vbique mirifice ſeruant. Vbique deprehendes venuſtatem exquiſitam; vbique mirificam puritatem atque tantas eloquentiae vires, quas nemo facile aequare poterit. Nec immerito Curtius, aeuo Auguſtaeo digniſſimus ſcriptor, ab illis, qui grandem et caſtum Latinitatis ſermonem amant, aſſidue in manibus atque ſinu geſtantur. Ne quid vero nimium iudicio videar tribuere meo, audiamus quae G. I. VOSSIVS *e*) in eo commendat. *Rhetore ſane*, inquit, *illuſtri*, *vel rhetoris filio digniſſima haec hiſtoria eſt. Vſque adeo auctor is verborum eſt eligens; nec perſpicue minus, quam terſe ſcribit; acutus etiam eſt in ſententiis, inque orationibus mire diſertus. Imo vel Auguſtaeo aeuo digna eſt dictio; vel proxime abit. Vt hinc quoque argumentum capere poſſimus, non*

d) In Scaligerianis ſecundis p. 61.
e) De hiſt. Lat. l. 1. c. 28.

non vixiſſe tempore Traiani, quod pluſcula affectatione acuminis, et anxia breuitatis cura ab natiua illa aurei aeui ſimplicitate magis receſſit: vt ex Plinio iuniore, Floro, et aliis non obſcure videmus. OLAVS BORRICHIVS: *f*) *dictio eius terſa, natiua, inaffectata, verbo, emendatiſſima; lactea illi eloquentiae vbertas, ſententiae opportunae, nec nimiae, nec diffluentes, nec tenebroſae; digreſſiones rarae, orationes facundae, iudicium ſagax.* CELLARIVS: *g*) *ſtilus ſane Auguſtaeo aeuo non inferior eſt.* Alibi: *h*) *ſtilum ingeniumque Curtii aequare, ſupra conditionem ſeculi noſtri eſſe exiſtimamus.* MORHOFIVS *i*) Curtium vocat hiſtoricum excellentiſſimum, cuius dictio omnium conſenſu prae ceteris, ob nitorem in verbis, argutiam in ſententiis et orationibus, et periodorum concinnitatem, commendanda. BOSIVS *k*) primas illi tribuit, ob ſingularem ſuauitatem, elegantiam, accurationem; verba illius pura, ſelecta, et rebus exprimendis apta. Sed haec omnia, quod bene notandum, pro ſeculi dicimus ratione; et neutiquam illi parem eloquentiae, quae Tullio, Caeſari, Liuio, Nepoti et aliis aeui ſuperioris ſcriptoribus propria, nedum ſuperiorem gloriam concedemus. Magna quidem in Curtio eſt ſentiendi et loquendi cura; ſed non decens eiuſdem curae, quae in antiquioribus fuit, diſſimulatio; neque illi, vt Curtius, de verbis erant ſolliciti, vbi maxima rerum momenta verſabantur. Rebus conueniens vbique erat et recta locutio; in ſententia nihil abſurdum, aut alienum, aut ſubinſulſum;

 in

f) Conſp. auct. Latinae linguae p. 55.

g) Cur. poſt. proleg. p. 23. *h*) Praefat. ad Curtii ſupplem.

i) Polyhiſt. liter. l. 4. c. 12. §. 14.

k) Diſſert. iſagog. de comparanda eloq ciuili. p. 81.

in verbis nihil inquinatum, abiectum, non aptum, durum, longe petitum. Affectatione turpius nihil excogitari poteſt. Alia hiſtorici, alia oratores, alia philoſophi velut propria ſibi vindicabant; nec promiſcue omnia omnibus tentare licebat. Monilibus et margaritis, quae ſunt ornamenta feminarum, deformantur viri; nec habitus triumphalis, quo nihil auguſtius, feminas decet. Ea veterum caſtitate nihil amabilius; nec difficilius quicquam ad illorum imitationem exprimendo. Hinc ſatis eleganter RAPINVS: *l*) *le ſtyle ne doit auoir rien d' impropre, d' étranger, de dur, de bas, de hardy, d' obſcür. Herodote a eu cette pureté de ſtyle, et y a excellé pardeſſus tous les Grecs, comme Ceſar par deſſus tous les Latins. Les eſprits s' enrouillerent dans les ſiecles ſuiuans, où il ne reſta aucun veſtige de cette pureté des anciens. Mais Quinte-Curce, pour auoir voulu eſtre trop poly, a perdu quelque choſe de cet air grand et maieſtueux qui ſied ſi bien a Salluſte et à Tite-Liue.* BARTHIVS *m*) in illa Curtii floriditate aliquid declamatorium, et ſcholae vmbram oſtentantes argutias agnouit; quod in orationibus praecipue patefieri contendit. Neque huic obſcure videtur aſſentire BVCHNERVS, *n*) qui argutam comtulamque breuitatem Curtii, et propius ad dulcia illa, quae Fabius vocat, vitia accedentem, adoleſcentibus vnice ad imitandum proponi non probat: cum multo citius illi ſimplicem Caeſaris aut Nepotis facilitatem, aut fuſam Tullii orationem, quam iſtud anxium, elaboratum, demorſoſque ſapiens vngues dicendi genus aſſecuturi videantur. WALCHIVS V. C. *o*) de dictio-

l) Reflexions ſur l' hiſtoire §. 4. p. m. 233.
m) Aduerſ. l. 27. c. 15. *n*) Epiſt. P. 2. epiſt. 32. p. 116. ſeq.
o) Hiſt. crit. Lat. linguae c. 1. §. 8. p. 51. et c. 8. §. 9. p. 380.

Digitized by Google

diction ob ſeruat, quod interdum nimis ſit translata, et propius accedat ad poetarum dicendi morem: imo etiam habeat, quae purae indoli ſermonis Romani repugnant. Ex. gr. *admouere diem leti* pro manus inferre ſibi. *p*) *Iupiter tandem vltor aperuit oculos*, pro vltioni ſe parat. *q*) *Arietare in terram*, pro humi proſternere. *r*) *Clementior alueus*, pro lenior. *s*) *Corpus ex equo defluxit in terram*, pro cecidit in terram. *t*) *Effluxit telum*, pro manu languente excidit. *v*) *In aliquem effuſe fluere*, pro cateruatim irruere. *x*) *Ignis intermoritur.* *y*) *Imbuere aures promiſſis.* *z*) *Equitabilis et vaſta planicies.* *a*) *Imber campos lubricos et inequitabiles fecerat.* *b*) *Menſum eſt ſtipendium*, paſſiue. *c*) *Miteſcit aqua.* *d*) *Mitior terra*, i. e. fertilis. *e*) *Obſequia fortunae* pro felicitate. *f*) *Profanare pudorem.* *g*) *Spargere veſtigia fugae.* *h*) Quae omnia ita ponuntur, vt aliquid poeticae Latinitatis ſapiant.

§. XXIX.

Quod ad hiſtorici characterem attinet; parum Curtio tribuendum cenſeo, qui fabulam nobis potius, quam veram Alexandri hiſtoriam ſcripto reliquit; ſaltem coloribus ita deformatam: vt inter figmenta ſit cognitu admodum difficilis veritas. Nam cum ipſe artis oratoriae ſtudioſiſſimus in militiam proficiſceretur, Alexandri Macedonis, quas in Graecis legit, res fortiter geſtas, mirum

p) L. 8. c. 9. n. 33. *q*) L. 5. c. 5. n. 8.
r) L. 9. c. 7. n. 22. *s*) L. 5. c. 3. n. 2. *t*) L. 7. c. 7. n. 36.
v) L. 8. c. 14. n. 36. *x*) L. 6. c. 1. n. 6.
y) L. 6. c. 6. n. 31. *z*) L. 4. c. 10. n. 17. *a*) L. 4. c. 9. n. 10.
b) L. 8. c. 14. n. 4. *c*) L. 5. c. 1. extr. *d*) L. 6. c. 1. n. 18.
e) L. 7. c. 4. n. 30. *f*) L. 8. c. 4. n. 24.
g) L. 5. c. 1. n. 38. *h*) L. 5. c. 13. n. 14.

rum quantum amplificare et exornare aggreſſus eſt: non vt veritatis ſtudio hiſtoriam poſteris accuratiſſime traderet, verum vt eloquentiae potius ederet ſpecimen. Quauis ergo data occaſione ſparſit orationes, non eas quidem, quae rudi conueniunt populo atque duci; ſed quas dixerit otioſus rhetor, cum ſuos exerceret in vmbra. Sicubi vel minima deſcriptione opus, auidiſſime ſua pandit artis vela, et neſcio quouſque ſtudet exornare argumentum, quod iam ſatis ſuapte copia ex grauitate placet. Nec ab re IOH. CLERICVS *i*) monuit: *multa flumina copioſe deſcripſit, quaſi ad interioris Libyae ſitientes incolas opus hoc ſuum mittere voluiſſet; qui nunquam fluuium vllum viderunt — recreare poſſent. Quia vero vbique res ipſae tantae non ſunt, vt in admirationem lectorem ſemper rapere queant, ſubinde hyperbolico ſtylo augentur; quem in hiſtoria mirentur quidem pueri, at rideant ſubactioris iudicii homines: Vno verbo, elegantiſſimum declamatorem vbique expreſſit, poteſtque, ad verba et locutiones gnomasque quod attinet, materiam ſuppeditare ſtudioſis, qua exornent orationem, et grandiorem faciant ſtylum; et fortaſſe id vnum in hoc opuſculo ſpectauit.* At ille Criticus infinita lectione et longo rerum vſu doctus *k*) deſiderat fere in eo vbique hiſtoricum, qui diligenter omnia perquirit, tantum eligit narratu digna, ad inania nunquam digreditur, neque in deſcribendis rebus pridem omnibus notis ingenium oſtendat; qui ſcite ab incredibilibus fide digna ſecernit; qui non modo vitia illa conſpicua, crudelitatem, ſuperbiam, ebrietatem, vituperat, verum etiam occultioribus laruam detrahit, quae ſub aliqua virtutis ſpecie velantur, vt Alexandri erat inſana ambitio, et illa belli gerendi inexhauſta

i) Artis criticae part. 3. ſect. 3. cap. 1. §. 4. *k*) L. c. §. 5.

hauſta cupido; qui circumſtantias omnes memorat, ac rerum profert cauſſas; qui rationem habet temporum et eo, quo geſta ſunt, ordine quaeque narrat; rebus denique ſtilum, non ſtilo praeter vſum aliquando luxurianti res ipſas accommodare ſtudet. Totidem prolixis capitibus deinde CLERICVS ſigillatim demonſtrat (1) Curtium fuiſſe cum aſtronomiae, tum geographiae plane imperitum, ac varie hinc in multis impingere. (2) Ab illo male eligi, quae ſequatur, et fabulas ſubinde ſcribi. (3) Perperam alia eſſe deſcripta et prodita repugnantia. (4) Inutilia ſaepe narrari, et maxime neceſſaria omitti. (5) Eum male Graecarum fabularum documenta quaerere apud Indos, et remotiſſimis amnibus nomina imponere Graeca. (6) Perperam annos omitti et tempora, quibus res geſtae fuerunt. (7) Contra veterum praecepta, Curtium perpetuo fere declamatoris ſtilo, hiſtoriis non conueniente, vti. (8) Laudare potius, quam vituperare nimiam Alexandri ambitionem. IACOBVS PERIZONIVS *l*) quidem illum acerbius quandoque Curtium inſectari arguit; cui et ipſe ſub Theodori Goralli nomine *m*) reſpondit. Ille rurſum in Q. Curtio Rufo reſtituto in integrum et vindicato. *n*) Hic librum eius in bibliotheca ſelecta recenſens. *o*) Patitur quiſque ſuos manes. Hoc vero etiam CLERICVS *p*) ſancte affirmat, eum veris Curtii laudibus nihil detrahere, aut adoleſcentes ab eius lectione deterrere; contra facundiam eius vbique laudare, et egre-

l) Notis ad Aeliani varia p. 728.
m) In praefat. ad Pedonem Albinouanum.
n) Qui prodiit Lugd. Batau. 1703. 8. *o*) Tomo 3. p. 171. ſeq.
p) Art. crit. part. 3. ſect. 3. c. 1. §. 7.

egregias ſententias, propter quas digniſſimus, vt ſaepius ab adoleſcentibus legatur, et a maioribus etiam natu in deliciis habeatur. Et paulo ante *q*) teſtatur, cum non ſemel legerit Q. Curtii hiſtoriam, rerum geſtarum magnitudine animum eius fuiſſe perculſum, et ſtili elegantia delinitum. Item, aliud nihil praeter ſublimia verba facundiſſimi ſcriptoris audiſſe.

§. XXX.

Q. Curtius Rufus, typis exſcriptus, primum prodiit 1474. apud Caſparem Barthium fol. Alii putant, primam omnium editionem circa annum 1470. folio eam fuiſſe per Vindelinum Spirenſem, in cuius fine haec leguntur:

Vindeline, meus prius hic rediturus in auras
Spiritus: et corpus linquet inane meum.
Quae tua nobilitas, virtus atque inclyta fama
Pectore labatur, candide amice, meo.

Deinde prodiit *Mediolani* 1481. fol. per Antonium Zarotum Parmenſem. *Veronae* 1491. fol. *Venetiis* 1494. fol. edente Bartholomaeo Merula, qui in epiſtola ad Franciſcum, Georgii Cornelii Equitis et Decemuiri filium, monet: *eſt Q. Curtius in ſcribendo acutus, vehemens, candidus ac perquam eloquens. In concionibus enim, quas crebro reperies, quantum ille ingenio et eloquentia valuerit, facile cognoſces. Itaque collato vetere exemplari, multis etiam locis noſtro Marte caſtigatis, collocatis etiam in marginibus, quae in hiſtoria diffuſius ſcripta ſunt, quo facilius poſſes ad id quod cuperes quamprimum (vt aiunt,) digitum intendere, voluntati tuae morem geſſimus.* Barthius vero cum affirmat primum optimo auctori corrumpendo audaciae ſignum ſuſtuliſſe.

§. XXXI.

q) L. c. §. 2.

Digitized by Google

§. XXXI.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto Curtius prodiit *Venetiis* 1520. 8. apud Aldum, editio repetita 1535. *Florentiae* 1517. 8. apud Philipp. Giuntam, ex recognitione Lucae Robiae. *Compluti* 1524. 4. cura Laurentii Balbi Lilienſis. *Pariſiis* 1533. 1543. et 1553. 8. ex Eraſmi recenſione. *Lugduni* 1541. 8. apud Gryphium. 1545. 8. 1546. cum Alexandri epiſtola de Indiae ſitu. 1551. 12. 1555. 12. 1569. 1584. 12. apud Anton. Gryphium, cum Chriſtophori Brunonis praefatione et ſupplementis. 1591. accurante Antonio Candido, vna cum Plutarcho de vita et fortuna Alexandri, et gnomologia Curtiana. *Antuerpiae* 1546. 8. curante Hadriano Iunio. 1568. 12. cum Alexandri vita a Ioh. Monacho deſcripta. *Tubingae* 1513. fol. apud Thomam Anshelmum Badenſem, cum praefatione et marginalibus argumentis Barth. Merulae. *Argentorati* 1518. apud Schurerium. *Baſileae* 1517. fol. per Beatum Rhenanum, cum Eraſmi, Hutteni, Glareani et Hoeningeri notis. Adiecta epiſtola Alexandri ad Ariſtotelem de Indiae ſitu ac mirabilibus. 1534. per Thomam Wolfium, cum notis Eraſmi et Vlrici Hutteni elegantiarum floribus. 1545. fol. apud Henr. Petri, cum ſupplemento Chriſtophori Brunonis, vita Alexandri a Ioh. Monacho ſcripta, Alexandri epiſtola de Indiae ſitu, Eraſmi notis, ac Hutteni floribus. 1575. 8. cum Henr. Glareani notis. *Coloniae* 1538. apud Ioh. Gymnicum, cum Eraſmi notis, ac Hutteni elegantiarum floribus. 1579. et 1591. 8. cum notis Franciſci Modii. *Francofurti* 1597. 8. cum Valentis Acidalii animaduerſionibus.

Digitized by Google

§. XXXII.

Seculo XVII. Curtius noſter prodiit *Pariſiis* 1678. 4. cum ſupplementis Ioh. Freinshemii, interpretatione et notis Michaelis Le Tellier S. I. in vſum Delphini. *Lugduni* 1615. 12. cum ſupplementis e bibliotheca S. Victoris, quorum auctor, vt ſupra monuimus, Petrarcha fuit. *Autuerpiae* 1601. 12. *Roterodami* 1671. 12. *Amſtelodami* 1621. apud Guil. Ianſonium. 1628. 12. cura Ioh. Iſaaci Pontani, apud Ioh. Ianſonium, editio emendatiſſima. 1656. 12. cum notis Loccenii. 1664. 8. cum notis ſelectiſſimis variorum, Raderi, Freinshemii, Loccenii, Blancardi, accurante Cornelio Schreuelio. 1670. forma minore cum quibuſdam emendationibus Iani Rutgerſii et Ioſephi Scaligeri. 1671. 12. 1672. 8. cum notis variorum, curante Schreuelio. 1673. 8. ex recenſione Nicolai Blancardi. 1677. 24. 1686. 12. cum notis Iohannis Loccenii. 1687. 8. cum Freinshemii ſupplementis. 1696. 8. apud Petrum Van de Aa, cum pluribus in aes inciſis iconibus et variorum notis. *Lugduni Batauorum* 1622. 12. cum notis Titi Popmae. 1625. 12. cum T. Popmae et Ioh. Loccenii notis, atque Rutgerſii emendationibus. 1633. 12. apud Elzeu. editio emendatiſſima. 1649. 8. e recenſione Nicolai Blancardi qui amplos commentarios ſuos addidit. 1653. 12. ex officina Elzeu. *Vltraiecti* 1685. et 1693. 8. cum variis iconiſmis et ſelectis commentariis Samuelis Pitiſci. *Geneuae* 1602. et 1614. apud Iac. Stoer. *Argentorati* 1640. 8. duobus voluminibus, cum nouis ſupplementis, doctis commentariis et locupletiſſimo indice Iohannis Freinshemii. 1670. 4. cum Freinshemii ſupplementis atque commentario, accurante Ioh. Henrico Rapp. *Coloniae* 1628. fol. cum amplis et eruditis Matthaei Raderi

deri commentariis. 1630. 8. cum ſynopſi et argumentis Raderi. *Francofurti* 1668. 8. cum notis variorum, curante Schreuelio. 1670. 4. cum notis Freinshemii. *Monachii* 1615. 12. cum ſynopſi et argumentis Matthaei Raderi. 1684. 12. cum notis Raderi. *Gothae* 1658. 8. ex Andreae Reyheri editione. *Lipſiae* 1674. et 1685. 12. cum notis Ioh. Loccenii, et praemiſſa Ioach. Geſenii praefatione. 1688. 1691. 1696. et 1700. 12. cum notis et nouis ſupplementis Chriſtophori Cellarii. *Dresdae* 1700. 8. cum notis et nouis ſupplementis Chriſtiani Iunckeri.

§. XXXIII.

Hoc denique ſeculo elegantiſſima Q. Curtii hiſtoria prodiit *Londini* 1705. 8. in vſum Delphini, accurante Michaele Tellerio. S l. 1716. 12. accurante Mich. Maittaire. *Amſtelodami* 1702. 12. cum notis ad modum Minellii. *Vltraiecti* 1708. 8. cum Samuelis Pitiſci notis. *Hagae Comitum* 1708. 8. 2. volum. cum notis Pitiſci. 1728. 12. 2. volum. cum notis Cellarii. *Lugduni Batauorum* 1724. 4. cum omnibus ſupplementis, variantibus lectionibus, commentariis et notis perpetuis Fr. Modii, V. Acidalii, T. Popmae, Ioh. Freinshemii, Ioh. Schefferi, Chriſtoph. Cellarii, Nic. Heinſii, et ſelectis aliorum, cura Heinrici Snakenburg. cum fig. *Delphis* 1724. 4. eadem Snakenburgi editio. *Lipſiae* 1701. 12. cum notis ad modum Minellii, curante Andrea Stabelio. 1707. 12. ad modum Minellii. 1711. et 1721. 12. cum Cellarii notis. 1714. et 1722. 12. ad modum Minellii. *Coburgi* 1708. et 1715. 8. cum notis Iunckeri. *Auguſtae Vindelicorum* 1716. 8. cum notis Emanuelis Sinceri. *Baſileae* 1724. 12. *Berolini* 1730. 8. cum annotationibus Germanicis.

 §. XXXIV.

§. XXXIV.

Pomponivs mela, poſt Ioachimi Vadiani inſignem operam ac diſſertationem, quam de aetate ac patria illius praemiſit geographiae, plerisque dicitur ex Baetica prouincia Hiſpanus fuiſſe, et Claudii Caeſaris temporibus ſcripſiſſe, cetero plane incognitus auctor. Is mihi videtur Mela, qui Senecae rhetoris filius natu minimus, Senecae philoſophi frater, et Lucani poetae pater fuit. At, inquies, ille Annaeus, non Pomponius Mela eſt. Mela ſemper ſine alio familiae adiuncto nomine vocatur, *r*) et facile poteſt per adoptionem fuiſſe genti Pomponiae inſertus: vt Senecae filius natu maximus Nouatus adoptione in Iuniam gentem tranſiit, et mutato nomine Iunius Gallio vocatus eſt. Hic certe Mela ex prouincia Baetica Hiſpaniae interioris eques Romanus fuit inter ſuos illuſtris. Inſtas, Cordubenſem fuiſſe, Pomponium vero Melam, vt ipſe teſtatur, prodiiſſe ex Mellaria Baeticae prouinciae oppido. Ita Vadianus. Sed videamus auctorem ipſum: *s*) *ingresſus*, inquit, *totus admodum peruius prope quantum patet ſinus, et ſpecus vltra eſt: in eoque Cartheia, vt quidam putant, aliquando Tarteſſos, et quam tranſuecti ex Africa Phoenices habitant, atque vnde nos ſumus, cingente freto, Mellaria, et Bello, et Beſippo, vſque ad Iunonis promontorium oram freti occupat.* Ecquis inde poterit

r) Vnus eum ex notiori familia, cuius excidium imminebat, *Annaeum* vocat, tacitvs annal. lib. 16. cap. 17. Eumque ſecutus hieronymvs chron. Euſeb. olym. 211. At ille *Gallionem* quoque Senecae filium olym. 211. Chriſti anno 66. *Annaeum* vocat, qui alias ſemper ex adoptione *L. Iunius Gallio* nominatus eſt.

s) Mela de orbis ſitu lib. 2. c. 13.

terit elicere, Mellariam Melae eſſe patriam? Potius dicendum ex Phoenicibus prodiiſſe, quibuscum verba coniungit, *unde nos ſumus*. Prouinciam indicat, non ciuitatem patriam. Nec crediderim *Melam*, ſiue *Mellam*, eſſe vocatum a ciuitate potius, quam a familia, aut quacunque alia cauſſa: ſic enim *Mellarius*, aut *Mellarienſis* nominandus fuiſſet. Taceo variantes lectiones, quarum G. I. VOSSIVS *t*) meminit: ſunt enim qui legunt, *atque*, *vnde nos ſumus*, *Cingenteratum*, *Mellaria*, *et Bello*. Alii. *Cingenteratum*, vt vocem nullius plane ſignificationis, eiiciunt. VINETVS legere maluit *Tigentera*. SCHOTTVS correxit hoc modo: *atque vnde nos ſumus ex gente ea. Tum Mellaria*. CASAVBONVS *v*) legit: *atque vnde nos ſumus Tingi contraria Mellaria:* aut *Tingi e regione ſita Mellaria*. Longe minori probabilitate putant alii, *x*) Pomponium hunc Melam, ab Annaeo diuerſum, L. Annaei Senecae Philoſophi eſſe filium: cuius nulla prorſus apud veteres memoria. Pomponium Melam eloquentiae in primis fuiſſe ſtudioſum, ex libri prooemio conſtat, vbi: *orbis ſitum dicere aggredior, impeditum opus, et facundiae minime capax. — longa eſt magis, quam benigna materia. — ſi non ope ingenii orantis, at ipſa ſui contemplatione pretium operae attendentium abſoluat. Dicam autem alias plura, et exactius*. Melae, cariſſimi filii, animum vidit pater *y*) a ciuilibus ſtudiis abhorrentem, et ab omni ambitu auerſum, hoc vnum concupiſcentem nihil concupiſcere, vt eloquentiae tantum

t) De hiſtoricis Latinis lib. 1. cap. 25.

v) Comment. et caſtig in lib. 3. Strabonis p. m. 49.

x) Vid. FABRICIVS Bibliotheca Latina volum. 2. pag. 475.

y) SENECA controu. lib. 2. praefat.

tum ſtuderet. Erat quidem Melae maius ingenium ad eloquentiam, quam fratribus ſuis, omnium bonarum artium capaciſſimum. Sed, quoniam fratribus eius, Senecae et Gallioni ambitioſae curae erant, qui foro ſe et honoribus parabant, ſuamque nauigationem mature inſtituebant, ipſum natu minorem filium Seneca pater in portu diutius retinuit, ratus profuturam illi, quam tota mente agitabat, declamandi exercitationem. Eius inde maximos in arte dicendi laudat progreſſus: cum et Muſae rhetoris, quem audire cum fratribus conſueuit, doctrinae ſingulari elegantia non ferret ingenium, atque ſaepius contraheret frontem. *z*) Vxorem duxit Aciliam, Acilii Lucani filiam, oratoris; cuius frequens et aſſidua apud proconſules opera. Ex ea filium ſuſcepit Lucanum poetam. *a*) Procul a negotiis, honeſto otio ſub Tiberio, Caligula et Claudio Caeſaribus perfrui poterat, vacare literis, atque ſuos edere de orbis ſitu geographicos libros. Sibi ſuisque expertus eſt fatale imperium Neronis, qui monſtro, quam homini ſimilior. Rem TACITI *b*) narrabo verbis: *petitione honorum abſtinuerat* Mela, *per ambitionem praepoſteram, vt eques Romanus conſularibus potentia aequaretur. Simul acquirendae pecuniae breuius iter credebat, per procurationes adminiſtrandis principis negotiis. Idem Annaeum Lucanum genuerat, grande adiumentum claritudinis. Quo interfecto, dum rem familiarem eius acriter requirit, accuſatorem conciuit Fabium Romanum, ex intimis Lucani amicis. Mixta inter patrem filiumque coniurationis ſcientia fingitur, aſſimilatis Lucani literis. Quas inſpe-*

z) SENECA controu. lib. 5. praefat.
a) Auctor vitae Lucani. *b*) Annal. lib. 16. cap. 17.

inſpectas Nero ferri ad eum iuſſit, opibus eius inhians. At Mela, quae tum promtiſſima mortis via, exſoluit venas: ſcriptis codicillis, quibus grandem pecuniam in Tigellinum generumque eius Coſſutianum Capitonem erogabat, quo cetera manerent. Scilicet tantae molis erat patri a Nerone fiſco adſcripta filii bona promereri. *c*) Et iam tum viri docti ſatis odorati ſunt, *d*) eundem deſcribi Melam a Tacito atque PLINIO, *e*) vbi *fama eſt*, inquit, *Melam equeſtris ordinis reum ex procuratione a Tiberio principe accerſitum, in ſumma deſperatione, ſucco porri, ad trium denariorum argenteorum pondus, hauſto, confeſtim exſpiraſſe ſine cruciatu.* Fallitur ille quidem memoria, rem notans, non adeo accurate habita temporis ratione, vt Tiberium ſcripſerit pro Nerone: quo imperante notauimus modo ex Taciti annalibus, Melam, imperatoris dum procuraret negotia, factum coniurationis reum ſemet interfeciſſe. Sed potuit ille ſimul, vt mortis ſubleuaretur agone, et ſuccum hauſiſſe porri, et exſoluiſſe venam.

§. XXXV.

Scripſit *coſmographiae*, *f*) ſiue *de ſitu orbis g*) libros III. qui

c) HIERONYMVS chron. Euſeb. olym. 211. Chriſti anno 70. *L. Annaeus Mela, Senecae frater et Gallionis, bona Lucani poetae filii ſui a Nerone promeretur.*

d) FABRICIVS biblioth. Latin. volum. 1. pag. 345.

e) Hiſtor. natur. lib. 19. cap. 6.

f) Ita codices quidem plerique MSti et impreſſi habent. Sed bibliothecae S. Victoris Pariſienſis exemplum MStum *de chorographia* perperam inſcribitur: et ipſe VOSSIVS de hiſt. Lat. lib. 1. cap. 25. in pleriſque libris haberi putat.

g) Vt in pluribus libris inuenitur. Et in calce codicis MSti Leidenſis hoc legitur diſtichon: *Euro-*

Digitized by Google

III. qui hodie extant. Claudio Caeſare imperante hos libros edidiſſe, ex Britanniae deſcriptione ſatis patet, *h*) vbi, *Britannia*, inquit, *qualis ſit, qualesque progeneret, mox certiora, et magis explorata dicentur. Quippe tamdiu clauſam aperit ecce principum maximus, nec indomitarum modo ante ſe, verum ignotarum quoque gentium victor; qui propriarum rerum fidem, vt bello affectauit, ita triumpho declaraturus portat.* Ex quibus verbis quidem alii elicere voluerunt, noſtrum Iulii Caeſaris dictatoris temporibus floruiſſe: quod IOACHIMVS VADIANVS, *i*) et poſt eum G. I. VOSSIVS *k*) nequaquam conuenire demonſtratum iuerunt. Ante Iulium Caeſarem qui Romanorum primus aggreſſus eſt Britannos, ignotos antea, *l*) nulla potuit regionis veniſſe ad Romanos notitia: cum eſſet ipſis etiam incognita Gallis. *m*) At Mela ſpem facit, fore vt mox certiora et magis explorata dici queant, ex principis de Britannia triumphantis fideli relatione: continuo vero cum exſpectatione illa coniungit Britanniae notitiam, quam Romani olim acceperint. *Ceterum*, pergit, *vt adhuc habuimus, inter ſeptentrionem* etc. Vnde illud, ni forſan ex ipſis Iul. Caeſaris commentariis? Certe ex hiſtoria rerum a Caeſare geſtarum, qui, vt TACITVS *n*) loquitur, hoſtem terruit,

Europam, Libyam, atque Aſiam Pomponius edit
Orbis deſcribens ordine Mela ſitum.

h) Lib. 3. cap. 6.

i) Praefixa ſuo in Melam commentario diſſertatione, quo tempore Melam floruiſſe veriſimile ſit, et quae eius Patria.

k) De hiſtoricis Latinis l. 4. c. 25.

l) SVETONIVS Caeſar. cap. 25.

m) Teſte ipſo IVL. CAESARE commentar. de bello Gallico lib. 4.

n) Agricolae vita cap. 13.

ruit, ac littoribus tantum potitus eſt, Britanniam ergo poſteris oſtendiſſe magis, quam tradidiſſe videtur. At Claudius Caeſar operis auctor: *o*) qui, decretis ſibi a ſenatu triumphalibus ornamentis, Britanniam potiſſimum elegit: *p*) qua de Iulius Caeſar nunquam triumphauit. Inhiauit quidem illi Caligula; et Auguſtus ad bellum Britannicum in Galliam vſque profectus eſt: ſed neque ille quicquam, praeter minas, oſtendit; et hic Dalmatiae tumultu reuocatus quoque deſtitit. De Claudio intelligendus ergo eſt Mela noſter: et ipſe rurſus de Britannia, poſtquam ſubacta, notiori TACITVS *q*) conſentit, vbi, *Britanniae*, inquit, *ſitum populosque, multis ſcriptoribus memoratos, non in comparationem curae ingeniiue referam: ſed quia tum primum perdomita eſt: itaque quae priores nondum comperta eloquentia percoluere, rerum fide tradentur.* Sed clariora ipſius Melae extant teſtimonia, eum longe poſt Caeſaris dictatoris aetatem floruiſſe: nam et poſt Caeſaris Octauiani Auguſti tempora ſuos de orbis ſitu ſcripſiſſe libros, nemo facile inficiabitur, qui apud ipſum, *r*) in littoris Hiſpanici ad ſeptentrionem vergentis deſcriptione, iuxta Aſtures tres aras, quae Seſtianae vocentur, in peninſula ſedere, et Auguſti nomine ſacras eſſe, relatum legunt. *In Aſturum litore*, inquit, *Noega eſt oppidum, et tres arae, quas Seſtianas vocant, in peninſula ſedent, et ſunt Auguſti nomine ſacrae, illuſtrantque terras ante ignobiles.* Paulo ante: *Sars iuxta turrem Auguſti titulo memorabilem.* Etiam apud ipſum *s*) fit men-

o) TACITVS l. c. *p*) SVETONIVS Claud. cap. 17.
q) Agricolae vita cap. 10. *r*) MELAM lib. 3. cap. 1.
s) Lib. 1. cap. 6.

mentio *Caeſareae*, quae cum prius Iol diceretur, Caeſareae nomen a Caeſare Auguſto accepit. Alibi: *t*) *vrbium de mediterraneis*, inquit, *in Tarraconenſi clariſſimae fuerunt Pallantia, et Numantia, nunc eſt Caeſarauguſta.*

§. XXXVI.

Quamuis dubium nullum ſit, geographiam Melae temporibus adhuc ſatis fuiſſe rudem, id quod terrarum in climata parallelosque diſtinctio, earundemque rerum defectus docet, quas hodie nobis mortalium ſolertia tradidit: vel propter ſcriptorum faciliorem intellectum et gentium, vel terrarum, viciſſitudines cognoſcendas, tamen veteri geographia carere non poſſumus, quam hoc aeuo omnium optime, imo fere ſolus Mela ſcripto conſignauit. Habent omnia ſecula peculiares terrarum mutationes; habent ſua ciuitates et prouinciae fata: neque adeo dicenda orbis terrarum notitia vllo vnquam tempore omnibus numeris abſoluta fuiſſe. Quae loca olim inculta ferarum potius, quam hominum habitationes fuere; ſunt hodie cultiſſima et illuſtria: e contrario quae nunc deſerta et vaſtata; olim florentiſſima ſua potuerunt oſtendere imperia. Vrbes corruunt et aequantur ſolo: ciuitates perpetuo videmus coire nouas, amplificari et auguſtiores reddi, vel collabi veteres. Gentes ſuas crebro inſtituunt migrationes; vel exciduntur bello; vel alia calamitate opprimuntur; vel nouis diſtinguuntur nominibus; vel quod premuntur, ſede premunt proximos, aliisque ſuccedunt. Imo ſe res ita omnino habet, vt ſcribit OVIDIVS: *v*)

Vidi ego, quod fuerat quondam ſolidiſſima tellus;
Eſſe fretum. Vidi factas ex aequore terras.

Et

t) Lib. 2. cap. 6. *v*) Metamorph. lib. 15. v. 262.

Digitized by Google

Et procul a pelago conchae iacuere marinae:
Et vetus inuenta eſt in montibus anchora ſummis.
Quodque fuit campus, vallem decurſus aquarum
Fecit: et eluuie mons eſt deductus in aequor.
Eque paludoſa ſiccis humus aret arenis.

Hinc certe iucundum et omnino neceſſarium elegantioris literaturae ſtudioſis, ex genuinis fontibus ſcire, quae priſca rerum facies, quae gentes vbique habitarint, quibus fuerint comprehenſae terminis, qui fuerint diuerſorum diuerſi mores, quae conſuetudines et reliqua: vnde veterum hiſtoriis et auctoribus bonis enucleandis intelligendisque haud vulgare lumen accendi conſtat. In Mela vero etiam commendatur breuitas; qua, velut certis quibuſdam initiis, ſtudioſa iuuentus imbui, ac facile ad ſublimiora quaeuis excitari poteſt.

§. XXXVII.

Vt Strabo ab eruditione, Plinius a diligentia; ita ab arte Mela commendatur. Hic e Latinis primus breui cultoque ſermone terrarum ſitum executus eſt, et viam quaſi aperuit geographis: qua inſiſtere potuerunt reliqui. Plinius certe, ac Solinus maxime, opera Melae ſuis monumentis ſe vſos fuiſſe diffiteri non potuerunt. Et nomen huius ſcriptoris, licet corruptum, eſt apud SERVIVM, *x*) vbi a Melone ait dici, ſeptem Gangis eſſe oſtia: quae apud Melam ſeptimo capite libri tertii leguntur. Quia de re ſcio IOH. ALB. FABRICIVM *y*) ſubdubitare: quoniam, quae Seruius ex Melone proferat, apud Melam non occurrant. Auctorem ergo videamus vtrumque. MELA: *z*) *Ganges*, inquit, *et Indus amnes. Ille multis fontibus in Haemodo Indiae*

 monte

x) Aeneid. l. 9, 30. *y*) Bibl. Lat. vol. 2. pag. 476. *z*) Lib. 3. c. 7.

Digitized by Google

monte conceptus, ſimul vnum alueum fecit, ſit omnium maximus, et alicubi latius, quando anguſtiſſime fluit, decem millia paſſuum patens, in ſeptem ora diſpergitur. Vltima haec verba captat SERVIVS in explicandis VIRGILII *a*) verſibus:

— — Septem ſurgens ſedatis amnibus altus
Per tacitum Ganges, aut pingui flumine Nilus.

Et de Gange *fluuius*, inquit, *eſt Indiae, qui ſecundum Senecam in ſitu Indiae nouem alueis fluit; ſecundum Melonem ſeptem.* Quae ſequuntur fruſtra quaeſiuit apud Melam. *Qui tamen et ipſe commemorat, nonnullos dicere, quod tantum tribus alueis fluat.* Atqui illa verba ad Senecam poſſunt, neſcio quem, referri, cuius mentionem primo loco fecerat.

§. XXXVIII.

Eſt in libris Melae geographicis, etiam iudicante VOSSIO, *b*) perſpicua breuitas, et elegantia mira. Verſatur ille profecto in re difficili et Romanis ea aetate varie impedita: cum variarum gentium, regionum, vrbium, tot diuerſorum, vniuerſo terrarum orbe, locorum barbara nomina Latine exprimere, laudemque ſeruare deberet conciſae, perſpicuae elegantisque dictionis. Quam ob rem ipſe operis prooemio monuit, ſe genus dicendi aggredi, quod facundiae ſit minime capax: et eſſe longam ſibi magis, quam benignam materiam ex gentium locorumque nominibus, et ordine eorum ſatis perplexo. Sufficit ergo illi, ſermone Romano,

a) Aeneid. l. 9. v. 30.

b) De hiſtoricis Latinis l. 1. c. 25. vbi et eum, aduerſus Verderii accuſationem, *elegantiſſimum ſcriptorem* vocat.

mano, facili, et minime affectato ſcripſiſſe: omniumque terrarum, regionum ac gentium, quotquot illi ea aetate innotuerunt, accuratam delineationem ingenioſa breuitate exhibuiſſe. Eoque ſenſu Pomponii Melae coſmographia, ſiue de orbis ſitu libris, recte ait HARDVINVS, nihil eſſe elegantius. Dictionem Melae CLAVDIVS VERDERIVS *c*) non veretur culpare ſuo more, et illi inter alia obiicere, quod *Britanniam feris ſcatere* dixerit. *Scatere* vero, inquit, eſt a σκάτος, Latinis *ſtercus*: quam ob rem et alibi iſtud *ſcatere* latrinarum verbum vocat. Quaſi vero non poſſit eſſe ab origine alia. A Chaldaeis derivant MARTINIVS *d*) atque VOSSIVS. *e*) Quid ſi a Germ. ſchütten / ex abundantia effundere, ebullire: vnde ſcatere dicuntur fontes. *f*) PLAVTVS: *g*) *quae interbibere ſola, ſi vino ſcatet, fontem Pirenem poteſt.* Idem: *h*) *ſcatet amore tuus animus.* LVCRETIVS: *i*)

Largifluum fontem ſcatere atque erumpere flumen.

Atque HORATIVS: *k*)

Sic et Europe niueum doloſo
Credidit tauro latus, et ſcatentem
Belluis pontum, mediasque fraudes
Polluit audax.

Taceo ſcriptores Melae coaeuos PLINIVM *l*) qui *ſcatet*, inquit, *vrtica plurimis remediis*: et COLVMELLAM *m*) apud quem *ſolum, quod fontibus in profundo terrae ſcatu-*

c) Cenſ. in auctores pene omnes.
d) Lexico etymologico v. *ſcateo.* *e*) De hiſt. Lat. lib. 1. c. 25.
f) Apud CICERONEM Tuſcul. quaeſt. l. 1. c. 28.
g) Aul. A. 3. S. 6. v. 22. *h*) Perſ. A. 2. S. 1. v. 9.
i) Lib. 5. v. 596. *k*) Carm. l. 3. od. 27.
l) Hiſt. nat. l. 22. c. 13. *m*) Lib. 3. c. 1.

ſcaturit. Neſcio hinc, quomodo accuſandus ſit MELA noſter, quod et *Nilus*, ſcripſerit, *n*) *ſcatet piſcibus:* et alibi: *o*) India *fertilis et vario genere hominum aliorumque animalium ſcatet.*

§. XXXIX.

Prodierunt primum Pomponii Melae de ſitu orbis libri III. *Mediolani* 1471. 4. *Venetiis* 1473. 4. 1477. 4. per Bernandum Pictorem et Erhardum Ratdolt de Auguſta, vna cum Petro Loslein de Langencen, eorum correctore ac ſocio. 1478. 4. per Franciſcum Renner de Hailbrun. 1482. 4. cum Priſciani metaphraſi periegeſeos Dionyſianae, per Erardum Ratdolt Auguſtenſem. 1488. 4. cum commento Cocchi. Sine loco et tempore 4. ex Hermolai Barbari recenſione, ad Alexandrum VI. pontificem.

§. XL.

Decimo ſexto poſt Chriſtum natum ſeculo Mela prodiit *Florentiae* 1517. 8. apud Iuntas. *Venetiis* 1518. 8. apud Aldum, a quo ſibi MORHOFIVS *p*) falſo perſuadet primum fuiſſe editum. 1521. forma minori cum Solino et Antonini itinerario. *Salmanticae* 1543. 8. cum caſtigationibus Pintiani, paralipomenisque et retractationibus. *Burdigalae* 1582. 4. cum Eliae Vineti animaduerſionibus. *Pariſiis* 1507. 4. 1513. 4. apud Ioh. Paruum. In fine hoc eſt ad lectorem tetraſtichon:

Hunc lege perpetuo, ſi vis ſtudioſa iuuentus
Noſcere diuerſum totius orbis iter.
Qui petiit Latiis noſtras Pomponius oras,
Mixturus Gallis Itala, mella fauis.

1530.

n) Lib. 1. cap. 9. *o*) Lib. 3. cap. 7.

p) Polyhiſt. lit. I. 4. c. 12. §. 11.

1530. et 1540. fol. cum Ioachimi Vadiani annotationibus. 1536. 8. 1538. 8. et 1557. 4. cum Petri Ioh. Oliuarii, ad Carolum Cardinalem Lotharingum, et Hermolai Barbari notis. 1572. 4. cum Eliae Vinedi animaduerſionibus. 1577. 4. apud H. Stephanum, cum Solino, Aethico, atque Dionyſio Alex. *Lugduni* 1551. 8. cum Petri Iohannis Oliuarii annotationibus. *Antuerpiae* 1582. 4. apud Chriſt. Plantinum ex recenſ. Andr. Schotti, cum eius, F. Nonii, Pintiani, et Hermolai Barbari notis. *Viennae Auſtriae* 1512. 4. 1518. fol. cum Ioachimi Vadiani Heluetii commentario. *Baſileae* 1522. fol. cum Ioach. Vadiani comment. 1536. 8. cum Petri Ioh. Oliuarii et Hermolai Barbari notis. 1538. fol. cum Solino et Floridi Sabini apologia pro Plauto etc. 1543. fol. cum Ioach. Vadiani annot. 1557. fol. per Henricum Petri, cum Ioach. Vadiani commentariis aliisque opuſculis: vna cum Ioh. Camertis commentariis in Solini polyhiſtora, Flori hiſtoriam Romanam et Cebetis tabulam. 1577. fol. cum Vadiani annotationibus. 1564. et 1595. 8. apud Henricum et Sebaſtianum Henricum Petri, cum Chriſtiani Vrſtiſii praefatione, et annotationum in ſeptem priora capita fragmento, Ioh. Oporino auctore. Accedunt cum Solino tabulae geographicae in ligno rudius deſcriptae.

§. XLI.

Sequenti ſeculo editiones Pomponii Melae illuſtriores habemus, quae prodierunt *Pariſiis* 1625. 12. cum Aethico et Henr. Glareani compendiaria orbis terrarum deſcriptione. *Helmſtadii* 1635. 12. e recenſione Andr. Schotti. *Hagae Comitis* 1658. 4. opera Iſaaci Voſſii, quo nemo melius de auctore noſtro meruit, vtpote qui illum e plurimis MStis codicibus emendatum et erudi-

tiſſimis animaduerſionibus illuſtratum, non ſine magno doctorum applauſu, dedit. *Lugduni Batauorum* 1646. 12. cum Solino et Aethico. 1685. 8. cum notis Iacobi Gronouii: quibus ſubinde Voſſium, quod in ſuis ad Melam notis frequenter et praeter rem Plinianis Salmuſii in Solinum exercitationibus inſultarit, haud paulo vehementius caſtigare inſtituit. 1696. 8. cum notis Iacobi Gronouii noua prodiit editio, nummis inſuper atque figuris illuſtrata; accedunt aduerſus Iſaacum Voſſium, iam defunctum, et Londinenſem editionem, vindiciae. *Londini* 1686. 4. cum Iſaaci Voſſii notis, et animaduerſionum aduerſus Iacobum Gronouium appendice.

§. XLII.

Noſtra aetate Pomponius Mela prodiit *Franequerae* 1701. 8. ex editione Iſaaci Voſſii. *Lugduni Batauorum* 1722. 8. cum integris variorum notis atque figuris, curante Abrahamo Gronouio.

§. XLIII.

C. PLINIVS SECVNDVS, Maior vel ſenior ad differentiam Iunioris dictus, patria Veronenſis fuit: vt poſt Onuphrii probationes vel vnus lapis, in ripa Benaci inuentus, *q*) ſatis clare oſtendit:

C. PLINI — — — VERONENSIS

— — — HISTORIARVM H. L. — —

Hinc et Plinius Iunior *r*) Veronenſes vocat ſuos, adoptionis lege, quod in noſtri Plinii auunculi Veronenſis familiam tranſierit. Et ipſe *s*) Catullum conterraneum ſuum diſerte vocat. Sed tamen cum alii, vt et Iuniorem Plinium, Nouocomenſem eſſe volunt. ANDREAS ALCIA-

q) Apud REINESIVM inſcipt. XI, 11. *r*) Lib. 6. epiſt. 34.
s) Hiſt. natur. praefat.

ALCIATVS: *t*) *ſcripſit Tranquillus Euſebiusque ſeniorem Plinium patria Nouocomenſem fuiſſe. Negare hoc auſi ſunt recentiores quidam, eo maxime loco opinioni ſuae confirmati, quod Veronae Secundorum familia fuerit, vnicumque marmore inſcriptum illic exſtet epigramma, Plinii mentionem referens. Sed hi velim mihi dicant, num et hac ratione Caecilius Mediolanenſis eſſet: quod vt affirmare vani hominis, ita credere inſanientis prorſus eſt. Atqui nec in antiquis Veronenſium memoriis familiae Secundum, ſed ordinis nomen eſſe doctores credunt. Quo fit, vt in totius Inſubriae Venetiaeque vetuſtis tumulis vox haec ſaepiſſime occurrat. At, inquient, ſeſe Catullo Plinius ipſe conterraneum dicit. Quod argumentum etſi aliis alii confutent modis, mihi certe haudquaquam multum ad rem facere videtur. Eos eſſe conterraneos, qui eiuſdem territorii ſunt, vulgo cognitum eſt. At hoc nomine eos appellari iuris ciuilis auctor Pomponius de verb. ſignif. tradit, qui ſub iiſdem faſcibus, eodem magiſtratu gubernantur; non quidem a terra deducta, vt quidam opinantur, voce, ſed a terrendo, quod eius loci magiſtratus intra eos fines terrendi, i. e. ſummouendi ius habeat. Cum igitur omnis Ciſalpina Gallia vni Proconſuli ſubeſſet, vniuerſi eius populi certe conterranei, eiuſdemue territorii dicentur. His accedit, quod antiqui codices Comenſi Italiae ſeniorem Plinium ciuem aſſerunt. etc.* Ita quoque TRISTANVS CALCHVS: *v*) *admonet me propinquae vrbis,* Comi, *et illuſtris viri,* Plinii Caecilii, *mentio, vt aduerſus illos, qui extorquere nobis maiorem Plinium nituntur, praeter aucto-*

t) Hiſtoriae Mediolanenſis lib. 2. apud Graeuium theſauro antiq. et hiſtor. Italiae tom. 2. part. priori pag. 44. ſeq.

v) Mediolanenſis hiſtoriae l. 1. apud Graeuium theſauro antiq. et hiſt. Italiae tom. 2. part. prior. p. 108.

auctoritatem Euſebii, in cuius chronicis Nouocomenſis ſcribitur, ſubiiciam inſcriptiones nonnullorum lapidum in Comenſi regione exiſtentium, quibus multiplicem fuiſſe Comi Pliniorum familiam colligitur. Nam et P. PLINII. PLINIANI. ET. M. PLINII. *fragmenta extant; et manes* C. PLINII. VALERIANI. MEDICI. QVI. VIXIT. ANN. XXII. M. VI. *parentes condidere; et* C. PLINIVS. PHILOCALVS. C. COESIDII. EVZELI. AMICI. OPTIMI. *memoriam poſteritati conſecrauit.* etc. Eandemque rem contendit BENEDICTVS IOVIVS Nouocomenſis; *x*) et PAVLVS CIGALINVS Nouocomenſis, qui praelectionem de patria Plinii Dalechampianae editioni Francof. 1608. 8. ſubiecit. Hanc vero POLYCARPVS PALERMVS Veronenſis impugnauit tribus libris: *y* quos de vera Plinii patria Verona contra Pauli Cigalini aliorumque ſententiam ſcripſit. Et Veronenſem fuiſſe recte ONVPHRIVS PANVINVS *z*) docet. Accedit, quod ſupra diximus, recens in ripa Benaci inuentus lapis, quo diſerte Veronenſis vocatur. Ex alia in agro Veronenſi reperta inſcriptione firmum argumentum non peteremus. Ecquid in ſententiam contrariam ſtatuerint, ex variis Comi ſuperſtitibus monumentis, quae aliorum atque aliorum, vel ex Plinii Caecilii libertis, Pliniorum nomina prae ſe ferunt. Conſtat enim hunc Imperatori gratiſſimum hominem multis multa, peregrinis ciuitatem, libertis ius Quiritium impetrare potuiſſe. *a*) In illis noſtri C. Plinii Secundi ſenioris nulla mentio. Nouoco-

x) Hiſtoria Nouocomi, quae prodiit Venetiis 1629. 4. pag. 213. 219. ſeq.

y) Impreſſis Veronae 1608. 4.

z) Commentario in faſtos ad ann. DCCCLIII.

a) Vid. Iunioris PLINII epiſt. 4. 6. et 105. lib. 10.

nocomenſem, fateor, eum facit HIERONYMVS in chronico Euſebiano: *b*) deceptus a ſcriptore vitae Plinianae, quae vulgo perperam Suetonio tribuitur. Sed confundit vtrumque Plinium, auunculum eiusque adoptione filium: atque ita quantum in ſe quidem fuit, nobis ex duobus Pliniis vnum concinnauit, erroris incautus. Id quod animaduerſione ſua etiam SCALIGER dignum exiſtimauit. Adeo nihil hodie certius, quam maiorem quidem Plinium Veronenſem, iuniorem Nouocomenſem fuiſſe. Natus eſt anno ab V. C. DCCLXXV, Tiberii Imperatoris nono, *c*) poſt Chriſtum natum viceſimo quinto. Equeſtribus militiis induſtrie functus, et ſplendidiſſimas procurationes ſumma cum integritatis laude adminiſtrauit: etiam inter arma et grauiſſimas occupationes indefeſſam bonis artibus nauare viſus operam: vt non facile quiſquam ad eandem eruditionis et literarum gloriam pari cum eo paſſu penetrare potuerit. Cum praefectus alae militaret, de equeſtri iaculatione ſcripſit. *d*) Cum in Germania militaret, induſtrie illud quoque bellum memoriae prodidit: adeo quidem vt per ſomnium etiam de literis cogitaret. Tum enim viſus eſt illi quieſcenti Druſus Nero, qui Germaniae latiſſime victor ibi periit, adſtare, et ſui commendare memoriam, vt eius ſtudio ab iniuria obliuionis vindicaretur. *e*) Imperante Nerone, nuſquam tuta fides

erat,

b) Num. 2125.

c) Quod inde colligimus, quoniam illius ex ſorore nepos teſtatur, eum obiiſſe anno ſexto et quinquageſimo. l. 3. epiſt. 5. n. 7. et illo quidem ardentis Veſuuii montis ſummo terrore l. 6. epiſt. 16. et 20. Sed, DIONE CASSIO auctore, calamitas illa incidit in Imperatoris Titi annum primum, qui eſt ab V. C. DCCCXXXI.

d) Iunior PLINIVS lib. 3. epiſt. 5. *e*) Idem l. c.

erat, et optimi viri, et literatorum principes trucidabantur. Quod cum Plinius noſter, praeſertim nouiſſimis illius tyranni temporibus quotidie magis experiretur atque videret, quod omne ſtudiorum genus paulo liberius et erectius faceret ſeruitus periculoſum: diuertebatur ad humanitatis ſtudia, et dubii ſermonis ſiue grammaticos libros ſcribebat. Hactenus ille quidem, ſed non tanta luce vixit. Maxime florere coepit, et aliquo numero eſſe, Veſpaſiano imperante, qui Plinii noſtri conſiliis interdiu noctuque vtebatur. Caeſaris in Hiſpania procurator fuerat; atque adeo in principum amicitia muneribus ſpectatiſſimis perfunctus. *f*) Inter continuas occupationes caelebs vixit, vt expeditior literis vacaret. Sororem, quae C. Caecilio Comenſi nupſerat, ac maritum amiſerat mature, cum filio recepit in domum atque familiam ſuam. Hunc quidem Iuniorem Plinium optimis artibus inſtituit, vt illum adoptione filium aliquando ſtudiorum, quibus ſe totum deuouerat, fidum comitem atque ſocium haberet: cui etiam paulo ante obitum, quod ſcriberet, dederat. *g*) Inter amicos inprimis coluit *Pomponium Secundum*, a quo valde amatus, hoc amici memoriae, quaſi debitum munus exſoluit, vt vitam eius duobus libris conſignaret. *h*) Eundem vocat conſularem poetam. *i*) Et FABIVS *k*) de tragicis poetis, *eorum*, inquit, *quos viderim, longe princeps Pomponius Secundus, quem ſenes parum tragicum putabant, eruditione ac nitore praeſtare confitebantur.* Erat hominis ingenium acre, ſtudium incredibile, et ſum-

f) Idem PLINIVS l. 3. epiſt. 5. n. 17. 18.
g) Lib. 6. epiſt. 16. n. 7. *h*) PLINIVS iunior l. 3. epiſt. 5.
i) Hiſt. natur. l. 7. c. 19.
k) Inſtit. Orator. l. 10. c. 1. confer. TACITVS Annal. l. 5. c. 8. extr.

ſumma vigilantia. Teſte PLINIO Iuniore *l*) Vulcanalibus ad d. X. Kal. Septembr., non auſpicandi, ſed ſtudendi cauſſa lucubrare incipiebat. Tum enim antelucanam lucubrationem incipiebant, ſed auſpicandi cauſſa, poſtea omittebant fere ad autumni finem; quemadmodum etiam Kalendis Ianuariis opera ſua leuiter attingebant auſpicii cauſſa, quae in aliud tempus differebantur. Noſter vero erat parciſſimi ſomni: et cum inter ſtudia ſomnus aliquando inſtaret, eumque nimis fatigatum vrgeret: mox tamen deſerere illum, quod cedere nollet intentus lectioni, et euaneſcere debuit. Ante lucem ad Veſpaſianum Imperatorem ire ſolebat; inde ad delegatum ſibi officium. Reuerſus domum, quod temporis reliquum erat, ſtudiis impendit. Aeſtate poſt cibum ſaepe iacebat in ſole, librum legebat, notabat, excerpebat. Nihil enim legit, quod non excerperet: vnde tot electorum commentarii, quos iuniori Plinio reliquit. Dicere vero ſolebat: *nullum eſſe librum tam malum, vt non aliqua parte prodeſſet.* Poſt ſolem plerumque frigida lauabatur; deinde guſtabat, ac pauliſper dormiebat. Mox quaſi alio die ſtudebat in coenae tempus. Atqui etiam inter coenandum ab anagnoſta *m*) liber legebatur et annotabatur curſim. Quam literis fuerit intentus, ac temporis minime prodigus, vel inde patet, quod ex amicis aliquando in menſa cuidam, reuocanti et lectorem, quod perperam pronunciaſſet, repetere cogenti, reſpondit: *intellexeras nempe?* et annuenti: *cur ergo reuocabas? decem amplius verſus hac tua interpellatione perdidimus.* In balneo audiebat aliquid aut dictabat. In itinere, quaſi curis eſſet ſolutus

l) Lib. 3. epiſt. 5. n. 8

m) Confer. PLINIVS lib. 1. epiſt. 15. CORN. NEPOS Attic. c. 13.

tus ceteris, huic vni vacabat. Semper ad latus ipſi notarius cum libro et pugillaribus, cuius manus hieme muniebantur manicis: vt ne coeli quidem aſperitas vllum ſtudii tempus eriperet. Nec alia erat cauſſa, quod Romae ſella vehebatur: ſuumque ex ſorore nepotem aliquando corripuit, quod ambularet, cum potuiſſet illas horas non perdere. *Nam perire omne tempus arbitrabatur, quod ſtudiis non impertiretur.* *n*) Anno Titi Veſpaſiani Imperatoris primo *o*) ab V. C. DCCCXXXI. mons Veſuuius in vertice ruptus, tantum ex ſe ardentis eiecit ac late ſparſit ſulphuris, vt vrbes vicinas et regiones cum hominibus exureret. Tum noſter erat Miſeni, quod oppidum et promontorium eſt Campaniae, atque claſſem praeſens imperio regebat. IX. Kalend. Septembris ſoror accurrit, indicans apparere nubem inuſitata et magnitudine et ſpecie. Id miraculum poſtquam ipſe ex ſublimiori loco aſpexerit, propius noſcendum eruditiſſimo viro viſum: vt iuberet nauem velocem biremem aptari. Vix Retinam traiecit, quae villa eſt ſub Miſeno: cum claſſiarii maximum imminere periculum ſentirent, ac territi Plinium rogarent, ſemet ne tanto rerum diſcrimini exponeret. Fruſtra. Miſeni cum filio relicta ſorore, properat illuc, vnde alii fugiunt, omni metu ſolutus. Ipſum aſſurgit montem; ſed ſtatim concidit, craſſiore caligine obſtructo ſpiritu, et ſtomacho clauſo, qui illi natura inualidus et anguſtus, et frequenter interaeſtuans erat. Die poſt mortem tertio corpus inuentum eſt integrum, illaeſum, opertumque vt indutus fuerat habitus, quieſcenti, quam defuncto, ſimi-

n) Vid. ſaepius citata PLINII epiſt. 5. lib. 3. n. 16.

o) Nam DIO CASSIVS hunc annum fuiſſe indicat,

ſimilior. *p*) Atque ita vir eruditiſſimus, incendii curioſius explorans cauſſas, vitam cum morte commutauit, natus annos LVI. *q*)

§. XLIV.

De ſcriptis optimum habemus teſtem ipſum iuniorem PLINIVM, *r*) qui Macro petenti, vt libros auunculi ſui recenſeret, illorum etiam notauit ordinem, et qua occaſione fuerit quiſque exaratus, vt auctoris ſumma induſtria ac indefeſſus labor pateret. Pari ingenio et cura compoſuit (1) *de iaculatione equeſtri librum vnum:* cuius et auctor meminit. *s*) (2) *de vita Pomponii Secundi libros duos*: et ipſe illius vatis memor, vitam eius deſcripſiſſe teſtatur. *t*) (3) *bellorum Germaniae libros viginti*, quibus omnia, quae ab Romanis geſta fuere aduerſus Germanos, bella collegit. Hinc TACITO *v*) Germanicorum bellorum ſcriptor vocatur. Hos libros Auguſtae Vindelicorum extare, CONR. GESNERVS credidit, qui ſe ait alicubi hoc legiſſe. Sed fucum illi a quodam per literas factum arbitror. Iam ſua aetate SYMMACHVS *x*) *enitar*, ſcripſit, *ſi fors votum iuuet*, *etiam Plinii Secundi Germanica bella conquirere.* Vnde patet, etiam tum illud opus raro obuium fuiſſe: quod ſi ſupereſſet, multum lucis ad veteris Germaniae notitiam poſſet conferre. Sed dudum magno rerum noſtrarum damno interiit. (4) *Studioſos libros tres*, in ſex volu-

p) Vid. PLINIVS l. 6. epiſt. 16. Quae cum matre Miſeni relictus ex eo Veſuuii incendio pertulerit, ad Corn. Tacitum ſcribit proxime ſequenti epiſtola 20.

q) Idem l. 3. epiſt. 5. n. 7. *r*) Lib. 3. epiſt. 5.

s) Hiſt. nat. l. 8. c. 42. *t*) Hiſt. nat. l. 14. c. 4. ſub fin.

v) Annal. l. 1. c. 69. *x*) Lib. 4. epiſt. 18.

volumina propter amplitudinem diuiſos: quibus oratorem ab incunabulis inſtituit et perfecit. Has vero ſuas inſtitutiones oratorias vocat *libros ſtudioſos*, quia plurimum ſtudii ad eloquentiam requiritur. Illorum mentio fit quoque apud GELLIVM. *y*) (5) Libros *dubii ſermonis octo*, grammaticum opus, a CHARISIO *z*) laudatum. Et in illo videtur expoſuiſſe, quo quaeque modo, quo genere, qua declinatione, qua ſignificatione ſint efferenda: quibus et eruditi ſaepe haerent. E. gr. vtrum gibbus et gibber pro vitio dicendum; an clypeus et clypeum, baltheus et baltheum promiſcue ſumantur, an mare pro mari, et ſimilia. (6) *A fine Aufidii Baſſi libros triginta et vnum.* In illis Veſpaſiani et filiorum geſta prodidit; ſuamque narrationem inde coepit, vbi Aufidius Baſſus deſierat. Sic ipſe in hiſtoriae naturalis prologo ad Titum Caeſarem: ***nos quidem omnes, patrem, te, fratremque diximus opere iuſto, temporum noſtrorum hiſtoriam a fine Aufidii Baſſi.*** *a*) Neque dubitamus in his libris etiam Neronis vitam proſecutum eſſe, quod ipſe *b*) teſtatur res geſtas Neronis a ſe congeſtas eſſe; et CORN. TACITVS *c*) idem non nihil recenſet. (7) *Hiſtoriae naturalis libros XXXVII.* Addendi viderentur eſſe libri geographici: nam SERVIVS: *d*) *de ciuitatibus totius orbis multi quidem ſcripſerunt:* ad

y) Noct. Attic. l. 9. c. vlt. in his libris teſtatur multa varie ad oblectandas eruditorum aures poſuiſſe, ac ſententias, quas in declamandis controuerſiis lepide et argute dictas putet. Illorum quoque exemplum tradit.

z) Lib. 1. pag. 59.

a) Confer. SENECA ſuaſor. 6. et QVINTILIANVS inſt. orat. l. 10. c. 1.

b) Hiſt. natur. l. 2. c. 83. et 103. *c*) Annal. l. 13. c. 20.

d) Aeneid. l. 7.

Digitized by Google

ad plenum tamen Ptolomaeus Graece, Latine Plinius. Sed illos indicat Geographiae libros, qui in ipſo hiſtoriae naturalis veriſſimo theſauro inueniuntur. Praeter illos iam ſuo ordine memoratos Plinii libros, quod bene notandum, ex adoptione filio ſuo reliquit *commentarios centum et ſexaginta electorum*, i. e. excerptorum, quae aduerſaria quoque vocamus, et ſunt rudes eorum, quae legimus, congeſtiones. Et Iunior ille PLINIVS *e*) teſtatur, electorum commentarios iſtos fuiſſe opiſthographos, i. e. a tergo etiam et minutiſſimis literis ſcriptos. Nam raro veteres in charta ſcribebant aduerſa, niſi in palimpſeſtis ac deleticiis; aut quando ita excipiebant, vt ornatius poſtea deſcriberent, ac in ordinem redigerent. Iſta ſua ex variis ſcriptoribus excerpta vbique ſecum habere ſolebat, atque cum Caeſaris in Hiſpania procurator eſſet, vtut numero tunc pauciora, Largio cuidam Licinio, quadringentis millibus nummum vendere poterat.

§. XLV.

Ex omnibus Plinii ſcriptis hodie, de quibus nobis gratulamur, tantum exſtant *libri XXXVII. hiſtoriae naturalis*, ſiue hiſtoria mundi; iuniore PLINIO *f*) iudicante, opus diffuſum, eruditum, nec minus varium, quam ipſa natura. Nam ex voluminibus vltra bis mille ſcriptorum, Graecorum atque Latinorum, vniuerſam naturae varietatem hauſit. Praefatio eſt ad Titum Veſpaſianum Imperatorem: ex qua patet, hunc ſuum theſaurum perfeciſſe Tito Veſpaſiano ſextum conſule, i. e. anno ab V. C. DCCCXXVIII. poſt Chriſtum natum anno LXXVIII. Liber primus eſt loco indicis, cum argu-

e) Lib. 3. epiſt. 5. n. 17. *f*) Lib. 3. epiſt. 5. n. 6.

argumentorum, quae tractanda; tum auctorum, ex quibus ipſe ante ſua monumenta hauſit. Nam benignum arbitrabatur et plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris. Hunc librum vna cum praefatione Plinio ſuppoſitum eſſe, IOH. HARDVINVS fruſtra contendit. A libro ſecundo ad quintum coſmographica perſequitur et geographica; inde ad decimum naturam animalium deſcribit; ad vndeuiceſimum vſque de plantis, hortorum atque agrorum cultura loquitur; a viceſimo ad trigeſimum ſecundum de medicamentis agit, quae a plantis et animalibus petuntur; denique a libro triceſimo tertio ad finem hiſtoriae exponit naturam metallorum atque lapidum, vbi etiam de ſtatuariis, pictoribus, etc. De Anglica Philippi Hollandi Medici verſione ſic ludit epigrammate IOH. OWENVS:

Plinius eſt longus, quia multa: breuis, quia multum
Scripſit. At Hollandus longior (quia plenior) *et breuior.* (quia planior)

Quod ipſe teſtatur, plurima petiit a Graecis, in quorum ſenſu aſſequendo non vbique feliciter verſatus eſt. Iſtud vero non auctoris inſcitiae, verum potius illorum negligentiae tribuendum eſt, qui ex auctoribus mala fide ad eum deferebant excerpta, vt in ordinem ab eo digererentur: ita enim vir ille ab ingenio et ſtudio nunquam ſatis commendandus hiſtoriam mundi magna ex parte compoſuit. In aliis fidem ſuperare, iam tum fuit ab A. GELLIO g) notatum, *vbi viſum eſt*, inquit, *non praetereundum, quod in Plinii Secundi libro ſeptimo naturalis hiſtoriae legimus. Id autem, quia extra fidem eſſe*

g) Noct. Attic l. 3. c. 15 extr. Confer. eiuſdem l. 10. c. 12. de portentis fabularum, quae Plinius noſter in Democritum philoſophum indigniſſime contulerit.

eſſe videri poteſt, verba ipſius Plinii poſuimus. De matre agit, quae partum ſe tredecim menſibus tuliſſe dixerit. Tandemque addit: *in eodem libro Plinii verba haec ſcripta ſunt, oſcitatio in nixu letalis eſt, ſicut ſternuiſſe a coitu abortiuum.* Eiuſdem furfuris ſunt quae idem *h*) ex libro Plinii ſeptimo recenſet, eſſe quaſdam in Africa hominum familias, voce atque lingua effaſcinantium: qui ſi impenſius forte laudauerint pulchras arbores, ſegetes laetiores, infantes etc. emoriantur repente. Oculis quoque exitialem faſcinationem fieri. In India homines eſſe caninis capitibus et latrantibus; alia eſſe apud vltimas orientis terras hominum miracula; monoculos; ſingulis cruribus ſaltuatim currentes; quosdam etiam eſſe nullis ceruicibus, oculos in humeris habentes; alios nullo cibatu veſcentes, ſed ſpiritu florum naribus hauſto victitantes; pygmaeos, quorum qui longiſſimi, non longiores pedibus duobus; ex feminis mutari mares. Id genus ſexcenta alia. Quae ſi generoſo exceperis animo, vtiliſſima et doctis omnino cognitu neceſſaria multa in illo veriſſimo variae eruditionis theſauro continentur. Nam et ille, quod idem GELLIVS *i*) habet, exiſtimatus eſt eſſe aetatis ſuae doctiſſimus. Alibi, *k*) vir in temporibus aetatis ſuae, ingenii dignitatisque gratia, auctoritate magna praeditus.

§. XLVI.

De ſtilo ac dictione, quam in illo hiſtoriae naturalis opere expreſſerit, ipſe PLINIVS *l*) ad Titum Veſpaſianum ſcribit: *nec ingenii ſunt capaces libelli — nec admittunt exceſſus, aut orationes, ſermonesue, aut caſus mirabiles, vel euentus varios, non alia iucunda dictu,* aut

h) Noct. Attic. l. 9. c. 4. *i*) Lib. 9. c. 16. init.
k) Lib. 9. c. 4. *l*) Operis praefatione.

aut legentibus blanda. Sterili materia rerum natura, h. e. vita narratur, et haec ſordidiſſima ſui parte, vt plurimarum rerum aut ruſticis vocabulis, aut externis, imo barbaris, etiam cum honoris praefatione ponendis. Praeterea iter eſt, non trita auctoribus via, nec qua peregrinari animus expetat. Nemo apud nos, qui idem tentauerit; nemo apud Graecos, qui vnus omnia ea tractauerit. — Res ardua, vetuſtis nouitatem dare, nouis auctoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam, et naturae ſuae omnia. Itaque etiam non aſſecutis, voluiſſe abunde pulchrum atque magnificum eſt. Equidem ita ſentio, peculiarem in ſtudiis cauſſam eorum eſſe, qui difficultatibus victis, vtilitatem iuuandi praetulerunt gratiae placendi. OLAVS BORRICHIVS vero *m*) non putat illum excuſatione hac indigere: nam ſtilum eius eſſe plane cultum, lectum et mirificae induſtriae: mendacium ipſi recentiores impingere ſaepe, ſed parum modeſte. Alii obſeruant in eo eximiam ſtili grauitatem, quae nonniſi ab eruditioribus intelligi poteſt. SCIOPPIVS contra *n*) Plinii verbis non niſi vbi nos meliora deficiunt, vtendum putat. Quam enim eius aetatis homines Latinum ſermonem corrumpere ſtudio habuerint, ex Quintiliani confeſſione ſatis patere. Nec aliter ego ſentire poſſum. Multa habet non modo corrupta vel ex ingenio poſterioris aeui deprauata; verum etiam, quod ipſe in operis ſui praefatione fatetur, ruſtica, externa, barbara; quae vix ſine audientis venia proferre liceret. Nec ipſae res aliud poſtulant dicendi genus: vt prudens tanti operis auctor, omni ornatu deſtitutam, qua fuerit vſus

m) Conſpect. auct. Lat. linguae p. 13. *n*) De ſtilo p. 101.

Digitized by Google

vſus in deſcribenda totius mundi hiſtoria, optimo conſilio excuſaret dictionem, et vocabulorum inſolentium, fictorum, aut exoticorum in elegans atque vetus Latium irruptionem et impetum factum. Et ipſe videtur primus *conterranei o)* vocabulum finxiſſe: cuius imitatione poſtea, ad grauiora linguae latinae vulnera, *compresbyter*, *conleproſus conciuis*, id genus ſexcenta alia impune formarunt. Ecquis optimorum auctorum, vt noſter, dixerit, *p) ſtudiorum amoenitates quaerimus*; aut, *q)* amoeniſſima parietum pictura: cum id vocis ſignificans aſpectu et naturali quidem delectatione iucundum quid, tantum de locis opacis et vmbroſis dictum fuiſſe legamus. *r)*

§. XLVII.

Haud immerito conqueritur MORHOFIVS *s)* nondum prodiiſſe naturalis hiſtoriae editionem tam docto ſeculo dignam, ſed in tenebris macularum tam pulchrum opus diu adeo delituiſſe. Neque enim vllus e veteribus eſt auctor, qui foedioribus ſit oppletus erroribus, quibus non ſine magno labore medicina adhiberi poteſt. Nec ſuppetit ea codicum MStorum copia, quae defectum ſupplere queat: nam et illi, qui paſſim ſeruantur, corruptiſſimi ſunt, et incuria vel inſcitia librariorum vix dici poteſt quam deprauati. Iam tum aetate ſua ſcripſit ad Auſonium SYMMACHVS: *t) ſi te amor habet*

o) Operis praefatione, ab init. vbi Catullum *conterraneum* ſuum vocat.

p) Praefatione ad Tit. Veſpaſianum.

q) Hiſt. natur. l. 35. c. 10.

r) Confer. differt. de lectione auctorum claſſicorum c. 8. §. 6. p. 101.

s) Polyh. lit. l. 4. c. 12. §. 1.

t) Lib. 1. epiſt. 24.

Digitized by Google

habet naturalis hiſtoriae, quem Plinius elaborauit, en tibi libellos, quorum praeſentanea copia fuit, in queis vt arbitror opulentae eruditioni tuae negligens veritatis librarius diſplicebit. Sed mihi fraudi non erit emendationis incuria, malui enim tibi probari muneris celeritate, quam alieni operis examine. Prima omnium eſt editio typis impreſſa *Veronae* 1468. fol. Deinde paſſim alibi haec Plinii naturalis hiſtoria prodiit. *Romae* 1470. et 1473. fol. *Venetiis* 1472. fol. accurante Iohanne Andrea Alerienſi in Corſica Epiſcopo. 1483. fol. per Rainaldum de Nouiomago. 1486. fol. 1497. fol. ex Hermolai Barbari caſtigatione. *Parmae* 1476. fol. apud Steph. Corallum cum breuibus Philippi Beroaldi notis. 1481. fol. *Taruiſii* 1479. fol. cum apologia Hieronymi Bononii pro Plinio. *Brixiae* 1498. fol. cum Hermolai Barbari caſtigationibus. Hic enim primus emendando Plinio manus admouit, et quod ipſe teſtatur 5000. circiter craſſiora vulnera ſanauit. Hinc vero arguitur ab Harduino, coniecturis ſuis et memoriae nimium quandoque tribuiſſe, nec pauca contra fidem MSS. erudite magis quam vere emendaſſe.

§. XLVIII.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto Plinii hiſtoria naturalis prodiit *Venetiis* 1513. fol. ex recognitione Alex. Benedicti. 1519. fol. per Melchiorem Seſſam. 1536. 8. quatuor voluminibus apud Aldum. 1559. fol. multis in locis a Paulo Manutio emendata, cum Sig. Gelenii caſtigationibus. 1571. fol. *Pariſiis* 1514. fol. cum Hermolai Barbari caſtigationibus. 1524. fol. 1543. fol. *Lugduni* 1561. 12. opera Iuntarum. 1563. fol. apud. Ioh. Frellonium. 1587. fol. apud Honoratum, opera Iacobi Dalechampii, Cadomenſis Medici, qui

qui Plinium ad MSS. codices recognouit, ſuisque notis ac obſeruationibus illuſtratum dedit. Aſt ſuo labore non feliciter functum opinatur SCALIGER, *v*) cuius libet ſubſcribere iudicium: *Dalechampius, vir alioqui bene doctus, Plinium emendandum et excudendum ſuſcepit: ſed qua eſt audacia, omnia inuertet et corrumpet: quia, quod multi ſolent, ſi hoc illudue vocabulum non arridet, ſtatim immutat, ac ſaepe in deterius.* Et IOH. HARDVINVS non pauciores ſibi cum illo pugnas, quam cum amanuenſibus corruptoribus, fuiſſe conferendas teſtatur. *Geneuae* 1593. 12. tribus voluminibus cum variis lectionibus Pintiani, Turnebi, Dalechampii. *Baſileae* 1525. fol. apud Frobenium, opera Deſ. Eraſmi. 1530. fol. ex B. Rhenani et Eraſmi caſtigatione. 1535. fol. cum Sigiſmundi Gelenii annotationibus. Neque hic officio ſuo recte functus eſt, cum nimium ingenio indulgeret ſuo. Et Eraſmus in epiſtola ad Damianum Goeſium ſcripſit, Gelenium e MSto codice, quem ſciolus quidam ex ingenio paſſim interpolauerat, nouum quodammodo Plinium nobis dediſſe, non veterem emaculaſſe. 1539. fol. apud Frobenium, cum annotationibus Gelenii et optimis indicibus ad exemplum Ioh. Camertis. 1545. 1549. et 1554. fol. *Coloniae* 1524. typis Eucharii Ceruicorni, per Ioh. Caeſareum, qui 4000. errores ſe teſtatur ſuſtuliſſe. *Francofurti* 1599. fol. cum variorum obſeruationibus. *Hagenoae* 1518. fol. per Ioh. Bapt. Palmarium, ex Herm. Barbari emendatione, cum Ioh. Camertis indice.

§. XLIX.

Seculo decimo ſeptimo laudantur exempla, quae pro-

v) Prim. Scaligeran. p. 69.

prodierunt *Venetiis* 1648. *Geneuae* 1616. 12. tribus voluminibus, cum variis lectionibus Pintiani, Turnebi, Dalechampii. 1631. fol. cum caſtigationibus, notis et variis lectionibus Iacobi Dalechampii. *Francofurti* 1603. 8. ex recognitione Iacobi Dalechampii, cum eiusdem annotationibus. *Coloniae* 1615. fol. Dalechampii opera. *Amſtelodami* 1635. 12. tribus voluminibus apud Elzeu. accurante Ioh. Laet. *Lugduni Batauorum* 1635. 12. tribus volum. apud Elzeu. e Salmaſii caſtigat. accurante Ioh. Laet. 1669. 8. tribus volum. cum notis Pintiani, Gelenii et variorum, opera Ioh. Frid. Gronouii. *Pariſiis* 1685. 4. quinque voluminibus, in vſum Delphini accurante Ioh. Harduino e Societ. Ieſu, qui poſt tot eruditiſſimorum virorum labores, codicibus MStis quindecim et quam plurimis editionibus, de integro Plinium recenſuit, eumque interpretatione, notis, indicibus locupletiſſimis, et commentario alphabetico de auctoribus a Plinio allegatis illuſtrauit.

§. L.

Seculo recentiſſimo hiſtoria naturalis Plinii prodiit *Pariſiis* 1723. fol. 3. voluminibus, in vſum Delphini cum interpretatione et notis Ioh. Harduini. Editio ſecunda, priori auctior et emendatior. Exquiſitum opus, ad quod conficiendum, non modo MSS. codicibus Regiis, Colbertinis, Vaticanis, Lugdunenſibus, San-Victorino et aliis vſus eſt, verum etiam omnes impreſſos Plinii libros, et commentatores, veteres item Graeciae et Latii ſcriptores maxima cura euoluit. In praefatione omnes Plinii editores et commentatores longo ordine recenſet; auctorum a Plinio vſpiam allegatorum alphabeti ſerie annexuit indicem, et omnibus modis de Plinio bene mereri ſtuduit.

Digitized by Google

§. LI.

C. SVETONIVS TRANQVILLVS, incertum quo anno natus, ſed adoleſcens fuit, quod ipſe teſtatur *x*) vigeſimo poſt obitum Neronis anno: qui Domitiani eſt octauus, poſt Chriſtum natum nonageſimus. Etiam fatetur, *y*) ſub Domitiano, cum acerbiſſime fiſcus Iudaicus ageretur, ſe adoleſcentulum interfuiſſe, cum a procuratore, frequentiſſimo concilio inſpiceretur nonagenarius ſenex, an circumſectus eſſet. Auum puer narrantem audiuit, pontis caiani a Caligula exſtructi veram cauſſam ab interioribus aulicis proditam fuiſſe, quod Thraſyllus mathematicus, anxio de ſucceſſore Tiberio, et in verum Nepotem proniori, affirmaſſet, non magis Caium imperaturum, quam per Baianum ſinum equis diſcurſurum. *z*) Pater fuit *Suetonius lenis*, qui ſub Othone bello Bebriacenſi interfuit, tertiae decimae legionis tribunus anguſticlauius, *a*) i. e. qui ex plebe per merita et labores ad tribunatum peruenit. Nam qui temporibus illis ex ſenatorio aut equeſtri ordine, Principis voluntate legebantur, *maiores et laticlauii*; tribuni vero plebei, qui ad eam dignitatem per labores et merita veniebant, *minores et anguſticlauii* dicti ſunt. Diuerſus ab illo Suetonius Paulinus apud Tacitum, quem MVRETVS *b*) cum Tranquilli noſtri parente confundit. Romae fuit ab ineunte aetate grammaticus clarus. Vnde SVIDAS: Σευητόνιος ὁ Τράγγυλος χρηματίσας, γραμματικὸς ῥωμαῖος. *Suetonius Tranquillus cognominatus,*

x) Nerone c. 57. extr. *y*) Domitiano c. 12.

z) Caligula c. 19. extr. *a*) SVETONIVS Othone cap. 10. princ.

b) Var. lect. l. 15. c. 12. confer. DANIEL GVIL. MOLLERVS diſp. circulari de C. Suetonio Tranq. §. 2. ſeqq.

tus, grammaticus Romanus. Et hoc ſatis confirmant Iunioris PLINII *c*) verba: *in hoc agello* emendo, *ſi modo arriſerit pretium, Tranquilli mei ſtomachum multa ſollicitant, vicinitas vrbis, opportunitas viae, mediocritas villae, modus ruris, qui auocet magis, quam diſtringat. Scholaſticis porro hominibus, vt hic eſt, ſufficit abunde tantum ſoli, vt releuare caput, reficere oculos, reptare per limitem, vnaque ſemita terras omnesque viticulas ſuas noſſe, et numerare arbuſculas poſſint.* Non ſolum inter grammaticos fuit, et frequens declamator; verum etiam ipſe cauſſas egit. *d*) Propter inſignem probitatem, honeſtatem et eruditionem Plinius, qui apud Traianum Imperatorem plurimum auctoritate valebat, Suetonium aſſumſit in contubernium, vt eius ſequeretur mores et ſtudia; tantoque magis eum diligere coepit, quanto propius inſpexit. *e*) Hic ergo pro ſumma amicitia virum optimum quouis modo iuuare ſtudebat: adeo quidem vt intercederet etiam apud Bebium Hiſpanum, cum emere vellet agellum, ne pluris veneat, quam aequum: ſemper enim malam emtionem eſſe ingratam, eo maxime quod exprobrare ſtultitiam domino videatur. *f*) Cum heres amicorum teſtamentis ſcribendus eſſet, et parum felici matrimonio, quod inierat, prolem non haberet: apud Traianum, cuius pleniſſimam indulgentiam in omnibus deſideriis expertus fuerat, Suetonio quod fortunae malignitas denegauit, *ius trium* impetrauit *liberorum*, *g*) quo foecundi paren-

c) Lib. I. epiſt. 24.

d) Confer. POLITIANVS praefat. in Sueton. oper. p. 505.

e) PLINIVS l. 10. epiſt. 95. l. 1. epiſt. 24.

f) Lit. epiſt. 24. l. 1. *g*) Lib. 10. epiſt. 95. 96.

rentes in honorum petitione et cauſſa hereditaria vtebantur. Nam vrbe ciuili bello exhauſta, Iulius Caeſar *πολυπαιδίας ἆθλα ἐπέθηκεν* *h*) i. e. praemia parentibus, qui multos liberos procreaſſent, propoſuit: quae Caeſar Octauianus Auguſtus *i*) renouauit, et lege Papia Poppaea iam ſenex confirmauit. Haec *priuilegia parentum*, quae TACITVS *k*) vocat, eiuſmodi erant, vt mariti et parentes in honoribus capiendis praecederent, *l*) et honoratius in ſpectaculis ſederent, *m*) atque etiam heredes ex teſtamento pro ſolido fierent, quum plane exciderent coelibes, orbi ſemiſſem caperent, paulo plus ſolitarii patres. *n*) Tres autem liberos illi oportuit eſſe ſuperſtites, qui in plenum ius ſuccedere vellet. Hinc ſterilibus et infelicibus indulgentia Principum toties legimus illud *ius trium liberorum* fuiſſe conceſſum. *o*) Hinc MARTIALIS: *p*)

Quod fortuna vetat fieri, permitte videri,
Natorum genitor credar vt eſſe trium.

Sed plura memini iam in Martialis vita ſuperius de hoc iure fuiſſe dictum. *q*) Mox *tribunatum* illi quoque impetrauit *r*) militarem a Neratio Marcello; in quem locum poſtea, muneris pertaeſus, noſter Tranquillus Caeſennium Siluanum ſubdidit. *Mihi autem*, PLINIVS

 s) ad

h) Vt DIO loquitur l. 43. p. 226.
i) Vid. DIO CASSIVS l. 54. p. 531. et TACITVS annal. l. 3. c. 25. *k*) L. c. cap. 28.
l) Confer. GELLIVS noct. Attic. l. 2. c. 15.
m) SVETONIVS Auguſt. c. 44.
n) Vid. LIPSIVS exceſſu ad Tacit. annal. l. 3. c. 25. MOLLERVS differt. de Suetonio §. 13.
o) Vid. etiam PLINIVS l. 2. epiſt. 18. n. 8. l. 7. epiſt. 16. n. 2.
p) Lib. 2. epigram. 91. *q*) Huius differt. cap. 3.
r) Quod ipſe teſtatur PLINIVS l. 3. epiſt. 8. n. 1.

s) ad eum ſcribit, *ſicut iucundiſſimum ipſum te tribunum, ita non minus gratum, alium per te videre; neque enim eſſe congruens arbitror, quem augere honoribus cupias, huic pietatis titulos inuidere, qui ſunt omnibus honoribus pulchriores. Video etiam, cum ſit egregium et mereri beneficia, et dare, vtramque te laudem ſimul aſſecuturum, ſi quod ipſe meruiſti, aliis tribuas. Praeterea intelligo mihi quoque gloriae fore, ſi ex hoc tuo facto non fuerit ignotum, amicos meos non gerere tantum tribunatus poſſe, verum etiam dare.* Cum aliquando perterritus ſomnio vereretur, ne quid aduerſi in actione et iudicio patiatur: dilationem a Plinio, et pauculos dies petiit. Ille vero etiam de ſomniorum contrario euentu reſpondit: morem tamen Tranquillo ſuo geſſit, *t*) cui nihil prorſus negare poterat. In communibus vero ſtudiis etiam alter alteri conſulere haud raro conſueuit; in cauſſis etiam ſuccurrere aliquando leuioris momenti: vt PLINIVS *v*) Tranquillum conſulit, num verſus, quos male dicatur legere, ipſe pergat recitare, an liberto legendos tradat. De ſcriptis alter alterum monebat; remittentem excitabat, de literis ac ſuaui ſtudiorum prouentu recipiebat; et cauſam fere vterque alterius agebat communem. Ita PLINIVS *x*) Tranquillum hortatur, vt ederet ſcripta, quorum ipſe pridem hendecaſyllabo ſpem fecerit. *Sum et ipſe*, inquit, *in edendo haeſitator, tu mora tamen meam quoque cunctationem tarditatemque viciſti. Proinde aut rumpe iam moras, aut caue, ne eoſdem illos libellos, quos tibi hendecaſyllabi noſtri blanditiis elicere non poſſunt, conuicio ſcazontes extorqueant. Perfectum opus abſolutumque eſt; nec iam ſplendeſcit lima,*

s) L. c. *t*) Vid. PLIN. l. 1. epiſt. 18.
v) Lib. 9. epiſt. 34. *x*) Lib 5. epiſt. 11.

ma, ſed atteritur. Patere, me videre titulum tuum; patere audire, deſcribi, legi, venire volumina Tranquilli mei. Aequum eſt, nos in amore tam mutuo eandem percipere ex te voluptatem, quam tu perfrueris ex nobis. Poſt obitum Traiani forſan et Plinii ſui, Suetonius Hadriani Imperatoris factus eſt *epiſtolarum magiſter.* Remotus iterum ab illo munere, quod cum aliis, inprimis praetorii praefecto Septitio Claro, apud Sabinam Auguſtam, Caeſaris vxorem, familiarius egiſſet, quam domus aulicae reuerentia poſtulabat. *y*)

§. LII.

De ſcriptis Suetonii hoc eſt SVIDAE teſtimonium: ἔγραψε περὶ τῶν παρ' Ἕλλησι παιδιῶν βιϐλίον α'. περὶ τῶν παρὰ ῥωμαίοις θεωρικῶν καὶ ἀγώνων βιϐλία β. περὶ τȣ̃ κατὰ ῥωμαίȣς ἐνιαυτȣ̃ βιϐλίον α'. περὶ τῶν ἐν τοῖς βιϐλίοις σημείων α'. περὶ τῆς Κικέρωνος πολιτείας α'. ἀντιλέγει δὲ τῷ Διδύμῳ, περὶ ὀνομάτων κυρίων καὶ ἰδεῶν, ἐσθημάτων καὶ ὑποδημάτων, καὶ τῶν ἄλλων, οἷς τις ἀμφιέννυται. Περὶ δυσφήμων λέξεων, ἤτοι βλασφημιῶν, καὶ πόθεν ἑκάστη. Περὶ ῥώμης καὶ τῶν ἐν αὐτῇ νομίμων καὶ ἠθῶν βιϐλία β. Συγγενικὸν καισάρων. Περιέχει δὲ καὶ βίȣς καὶ διαδοχάς αὐτῶν ἀπὸ Ἰȣλίȣ ἕως Δομιτιανȣ̃ βιϐλία η'. ςέμμα ῥωμαίων ἀνδρῶν ἐπισήμων. Quae totidem fere interpretatus eſt verbis ANG. POLITIANVS. *z*) Et nos illa in tyronum gratiam, quibus haec ſcribimus, paulo diſtinctius Latino ſermone repetemus. Scripſit ergo (1) de Graecorum luſibus librum vnum. (2) de Roma-

y) AELIVS SPARTIANVS in vita Hadriani cap. 11. *Septitio Claro praefecto praetorii, et Suetonio Tranquillo epiſtolarum magiſtro, multisque aliis, quod apud Sabinam vxorem, iniuſſu eius, familiarius ſe tunc egerant, quam reuerentia domus aulicae poſtulabat, ſucceſſores dedit.*

z) Praefat. in Suetonium Oper. pag. 505.

Romanorum certaminibus et ſpectaculis duo libros. (3) de anno Romano librum vnum. (4) de ſignis, quae reperiuntur in libris vnum. (5) de rep. Ciceronis vnum, aduerſus Didymum. (6) de veſtium genere atque nominibus. (7) de ominoſis verbis, et vnde quaequae fuerint appellata. (8) de Roma eiusque inſtitutis et moribus duo libros. (9) hiſtoriam Caeſarum a Iulio vſque ad Domitianum libris octo. (10) ſtemma ſeriemque illuſtrium Romanorum. His addit POLITIANVS *a*) libros de officiorum inſtitutione, et de praetoribus, quorum PRISCIANVS meminerit; *b*) de poetis atque triumphis; librum a SERVIO *c*) citatum de vitiis corporalibus; et mutilum opus de claris Grammaticis atque Rhetoribus. Idem SERVIVS *d*) et SOSIPATER CARISIVS *e*) de rebus variis; AVSONIVS vero tres etiam illi de Regibus libros tribuunt. Hiſtoriae ludicrae A. GELLIVS *f*) meminit. Ex monumentis eius hodie ſuperſunt *vitae XII. Imperatorum*, C. Iulii Caeſaris, *g*) Octauiani Caeſaris Auguſti, Tiberii Neronis Caeſaris, C. Caeſaris Caligulae, Tib. Claudii Druſi Caeſaris, Neronis Claudii Caeſaris, Sergii Sulpicii Galbae, M. Saluii Othonis, A. Vitellii, vtriuſque T. Flauii Veſpaſiani, et T. Flauii Domitiani. De quibus AVSONIVS:

Caeſa-

a) L. c. *b*) Lib. 6. 8. et 18.

c) In Bucolicis, ecloga 3.

d) Aeneid. 8. *e*) Inſtit. Grammat. l. 2.

f) Noct. Attic. l. 9. c. 7.

g) Hanc initio mutilam eſſe, poſt Ludouicum Viuem, qui ſupplementi loco de Iulia gente et Caeſaris iuuentute quaedam commentatus eſt, ipſe Turnebus, Vrſinus, Torrentius, Pitiſcus et alii cenſent.

Caeſareos proceres, in quorum regna ſecundis
Conſulibus dudum Romana potentia ceſſit,
Accipe bis ſenos. Sua quemque monoſticha ſignant.
Quorum per plenam ſeriem Suetonius olim
Nomina, res geſtas, vitamque obitumque peregit.

SVIDA teſte, Caeſarum vitas VIII. libris complexus eſt: eumque ordinem ſeruant quidam codices MSti et impreſſi, quos II. Caſaubonus ſequitur. *h*) Alii contra et recentiores plerique numerum Suidae putant corruptum eſſe, et ſingulis libris ſingulas vitas abſoluunt. Et Vincentius Bellouacenſis iam tum in ſpeculo hiſtoriali duodecim Suetonii libros laudauit. Pari libertate, ac ipſi Caeſares vixerunt, eorum vitas ſcripto conſignauit, nec habita ordinis chronologici ratione, hiſtoriam digeſſit maximam partem per certa rerum capita, quam diligentiſſime annotans, quae ipſi ad vnius cuiusque actiones, indolem, mores ingeniumque ſpectare viſa ſunt. Libertos, qua malorum principum vitia perſecutus eſt, etiam cuidam poſt eum magno ſtetiſſe dicitur. Nam ſceleſtiſſimus Imperator Commodus eum, qui Tranquilli librum, vitam Caligulae continentem, legerat, feris obiici iuſſit: quod eundem diem natalis ipſe habuerat, quem et Caligula. *i*) (2) Liber *de illuſtribus grammaticis*, quem ACHILLES STATIVS *k*) cum ſequenti putat excerptum eſſe ex libro Suetonii de viris illuſtribus: quod HIERONYMVS

h) Vid. CASAVBONVS animaduerſionum principio. Ita quoque PETRVS ALMEIDA in recentiſſima editione, quae 1727. 4. Hagae Com. prodiit.

i) POLITIANVS praefat. in Suetonium. Oper. pag. 505.

k) Commentarionis ad hunc librum principio.

NVMVS *l*) teſtatur, ſe librum ſcripſiſſe de illuſtribus viris, ab Apoſtolis vſque ad ſuam aetatem, ad imitationem Tranquilli et Graeci Apollonii. (3) Liber *de claris rhetoribus*, maximam ſui partem mutilus: quod intelligi poteſt ex catalogo rhetorum illorum, qui manuſcripti huius libri principio legitur. Nam praeter ſuperiorum, in ipſo libro expoſitorum nomina, etiam haec leguntur:

L. Caeſtius Pius
M. Porcius Latro
Q. Curtius Rufus
L. Valerius Primanus
Virgilius Flauus
L. Statius Vrſulus
P. Clodius Quirinalis
M. Antonius Liberalis
Sex. Iulius Gabinianus
M. Fabius Quintilianus
Iul. Tiro.

(4) Ex libro de poetis *vita Terentii* a Donato excerpta. *Vita Horatii*, quam PORPHYRIO *m*) diſerte tribuit Suetonio noſtro. *Perſii*, *Lucani*, *et Iuuenalis vitae*, licet ab aliis ad Probum referantur, a SALMASIO *n*) tamen ex ſtili conuenientia Suetonio vindicantur. Sed *Plinii Maioris vita* Suetonio prorſus indigna eſt. Neque potuit venire ab Iunioris Plinii ſtrenuo in literis commilitone et contubernali amiciſſimo: tam ieiune

l) Epiſtola ad Deſiderium. *m*) Ad Horat. l. 2. epiſt. 1.
n) Ad Solin. p. 320. Confer. IOSEPHVS SCALIGER commentariis in culicem Virgilii, vbi de vita Lucani a Tranquillo deſcripta. Et VOSSIVS de hiſt. Lat. l. 1. c. 31.

Digitized by Google

iune et perfunctorie ſcripta eſt. Et Plinius vterque confunditur; quod in chronico Hieronymi Euſebiano quoque factum. Ne dictio quidem illa iudicari poteſt eſſe Suetonii noſtri: quae indoctum potius et recentiorem teſtatur eius auctorem fuiſſe. Sic quoque liber ille, qui hodie exſtat, *de viris illuſtribus* non magis Suetonii, quam Plinii Iunioris eſt, vt ſuo loco demonſtrabimus; ſed Aurelium Victorem ſuum agnoſcit auctorem.

§. LIII.

Veteres quanti illum fecerint nunc videamus. FLAVIO VOPISCO *o*) Tranquillus noſter eſt emendatiſſimus et candidiſſimus ſcriptor: cui, vt mox addit, familiare fuit amare breuitatem. Alibi *p*) eum numerat inter illos, qui res non tam diſerte, quam vere memoriae tradiderunt. A. GELLIVS *q*) inter doctos illi principatum tribuit; IOH. SARESBERIENSIS *r*) diligentem recenſionem. IVLIVS CAPITOLINVS *s*) eum ſibi exemplum propoſuit: quem SIDONIVS APOLLINARIS *t*) ne fando quidem poſſe adaequari putat. Sed inſtar omnium fuerit, iunioris PLINII *v*) teſtimonium, qui intima eum familiaritate et amicitia ſua dignatus eſt; ac propter virtutes multis eum, vt ſupra notauimus, beneficiis cumulauit. Ita ad Imperatorem Traianum ſcripſit: *Suetonium Tranquillum, probiſſimum, honeſtiſſimum, eruditiſſimum virum, et mores eius ſecutus et ſtudia, iam pridem, Domine, in contubernium adſumſi: tan-*

Bb bb 2 *toque*

o) Firmo cap. 1. *p*) In Probo cap. 2.

q) Noct. Attic. l. 9. cap. 7.

r) Policratico, ſiue de nugis curialium l. 8. c. 18.

s) In Maximo et Balbino. *t*) Lib. 9. epiſt. 14.

v) Lib. 10. epiſt. 95.

toque magis diligere coepi, quanto hunc propius inſpexi. Scriptor eſt iucundus et omnino neceſſarius. Eſt enim ille praecipuus fere ex ingenuis auctoribus, qui ad res principum Romanorum illuſtrandas acceſſere, et pari grauitate atque facundia incorruptam veritatem profeſſi ſunt. Adeo diligens, adeo candidus atque neruoſus plerisque eſſe videtur, vt inter ceteros ipſe principatum teneat. Claram certe reddit Romanae venuſtatis imaginem; neque virtutes tacet, neque vitia Imperatorum; multa profert veterum monumenta, forſan alias interitura, multas leges ritusque cum publicos, tum priuatos, multas ſolemnes formulas, fori atque curiae voces, edicta, ſenatus conſulta, quaeque ad illius temporis antiquitates pertinent. Praeter explicandi ſcientiam, qua mirifica vſus eſt, nobis etiam inprimis fidem et libertatem ſuam probauit. Hinc recte POLITIANVS *x*) *nulla*, inquit, *in his libris ſuſpicio eſt gratiae, nulla ſimultatis, nihil ſtudio dictum, nihil ſuppreſſum metu, rebus ipſis data omnia; veritati inprimis ſeruitum eſt, vt plane appareat, ad perpetuam magis poſſeſſionem, vt Thucydides ait, quam ad intuitum hoc opus comparatum eſſe.* CASP. BARTHIVS *y*) non putat ſcriptorem eſſe vllum, qui iudicium ſuum ciuilius atque ſcitius indicauerit de vniuerſis rebus, de quibus commentari inſtituit. Nulla enim fere hiſtoriola narratur, cui non ſit appenſum aliquod verbum, quod accuratius ſupputatum non indicet, quid de ea tantus vir ſenſerit. Hoſtilem vero nimis fuiſſe animum Suetonii aduerſus Chriſtianos inuenimus; illos enim maximis ſub Nerone affectos ſuppliciis vocat genus hominum ſuperſtitionis nouae

x) Praefat. in Suetonium. Oper. pag. 503.

y) Aduerſ. l. 47. c. 23.

nouae ac maleficae. z) Vnde CALVISIVS a) eum vocat hoſtem Chriſtianorum acerrimum: et BODINVS b) ſceleratum Tranquillum, vbi de Chriſtianis agit. De Hieronymi teſtimonio, Suetonium eadem libertate Caeſarum vitas ſcripſiſſe, qua illi vixerunt, MVRETVS c) ita ſentit, vt vitio habeatur. Laudis certe nihil habere, cum Caeſares in ſumma licentia atque impudentia vixerint: orationis turpitudine ipſorum flagitia aequaſſe; quaeque illi perpetuis tenebris operienda patrarant, ea nudis et praetextatis verbis in lucem et in aſpectum hominum protuliſſe. Hinc nihil frequentius legi, quam *exoletos* et *ſpintrias*, et *cellarios*, et *nubentem Neroni ſparum*, *Doryphoro Neronem*: voces etiam quas in illis flagitiis miſerint: quaſi haec ſcire, poſterorum intereſſet: quorum commemoratione non ſcriptorem modo, ſed ipſas chartas erubeſcere oportebat: cum haec interim ita ſubtiliter ac particulatim perſequitur, vt docere voluiſſe videatur. Haec Muretus. Sed nimium ſibi et orationis copiae indulget. Haec apud Suetonium raro obueniunt et ſatis tecte: vt nullum videatur periculum ſubeſſe, vel caſtas offendi aures, vel optimos lectoris poſſe inde corrumpi mores. Et elegans eſt HENRICI LORITI GLAREANI d) ea de re commentatio. *De vitiis*, inquit, *diſſertatio ſiue diſputatio duplex eſt. Vna, qua ad vitia homines allicimus ſuaſionibus, exhortationibus ac lenociniis: vt qui amare docent noſtra aetate, proh dolor! etiam potare, qui amatoria ludunt, vt iuuenum mentes veluti inebrient, quales impudici poetae. Ea diſſertatio vitioſa eſt ac deteſtanda, maxime homini*

 Chri-

z) Neron. cap. 16. a) Chronol. fol. 343. b) Method. hiſt. c. 4. c) Orat. 13. vol. 2. Vid. etiam BODINVS meth. hiſt. cap. 4. d) Praefat. in Sueton.

Chriſtiano, plus etiam illis, qui iuuentuti vt magiſtri praeſunt. Altera eſt diſſertatio de vitiis, vt ea deteſtemur ac execremur: imo quoties de eis fit mentio, vt ab iis dehortemur, ab iis abſtineamus, et execremur. Haec diſſertatio neutiquam reprehendenda eſt; multi enim ſancti viri ac doctores quemadmodum de virtutibus ſcripſerunt, ita e regione de vitiis copioſe diſſeruerunt. Ita quae Caeſarum refert vitia Suetonius, in odium illorum monſtrorum id facit, vt ea ſcilicet fugiamus ac euitemus: imo cogitemus, in quanta caecitate fuerint perditi illi nebulones: et multo magis in quanta ſtupiditate mundus, qui talia portenta dignatus eſt vllo honore, cum nihil illis tetrius ac magis abominabile fuerit.

§. LIV.

Quod ad ſtilum attinet, breuis ille quidem, ſed par optimi hiſtorici fuit in orationis puritate et proprietate ſtudium, et inſignis emendate loquendo cura. Sic ſatis pro illius temporis ratione diſertus fuit et eloquens; ac licet inferiorem ſe multo profiteatur Salluſtio, Caeſare, Liuio et aequalibus: ſua tamen in ſermone Latino etiam ornamenta proferre poteſt. Quo minus vbique facilis appareat et perſpicuus, argumenti copia, in breuitatis gyrum redacta, tot ritus antiqui, et alia indicata potius, quam explanata, efficiunt. Breuitatis ergo ſtudioſis quammaxime commendatur. Ita I. LIPSIVS: e) *Suetonium Tranquillum non iniuria commendo ſaepe iuuentuti. Verba vides? pura, terſa, propria. Filum totum orationis? breue, neruoſum. Rem ipſam? vtilis pariter et iucunda hiſtoria eſt, et quod mihi caput, plena moris et doctrinae antiquae. Quis obſecro ritus publicus olim priuatusque fuit, quem velut de induſtria non* tan-

e) Elect. 2, cap. 17.

tangat? Quod munus, quis magiſtratus, quem non libet? Tanget et libet dico: non enim explicat, quod inſtitutum eius vetuit, et ratio ſcribendi. At viam tamen latam ſternit ad indagandum: et aures atque animum imbuit auditione aliqua, imo cognitione. LVDOVICVS VIVES *f*) eum vocat Graecorum et Latinorum ſcriptorum diligentiſſimum atque incorruptiſſimum. Alibi *g*) in eo agnoſcit mirabilem dicendi proprietatem, adſtrictam illam, et quae plus habet neruorum quam corporis. CAROLO SIGONIO *h*) non placet, eum ſtilo ſcripſiſſe adeo tenui, qui magis ſonet grammaticum, quam hiſtoricum. Sic ſatis in Traquillo eſt conſpicua fides, acumen non vulgare, ſtudium antiquitatis, verborum elegantia et proprietas, ſuaque breuitate commendata ſuauitas: ſed ipſa orationis dignitas et maxima virtus, quae in ſuperioris aeui ſcriptoribus toties a nobis fuit laudata, mirum quantum iam defeciſſe videtur. Ac licet ſuo tempore fuerit elegantiſſimus, et plane dignus qui ab omnibus ametur et legatur: aetatis ipſius hoc vitium erat, quod iam fere perdiderit Latinitatis honorem et illum vitalem prope ſuccum, quo feliciori paulo ante Caeſaris Octauiani Auguſti imperium linguae maxima gloria perſtitit atque vigor. Teſte PRISCIANO, *i*) quarto libro praetorum, verbum *ſtipulari* paſſiue protulit, hoc modo: *minor viginti quinque annorum ſtipulari non poteſt.* Sic quoque *k*) octauo praetorum: *faſti dies ſunt, in quibus ius fatetur*, i. e. dicitur, vt nefaſti, in quibus non dicitur.

§. LV.

f) De tradendis diſciplinis l. 5.
g) De rat. ſtud. pueril. ep. 2.
h) Iudic. de hiſt. Rom. c. 14.
i) Lib. 8. et 18.
k) Eodem PRISCIANO teſte lib. 8.

§. LV.

Suetonii Caeſares primo omnium typis impreſſi *Romae* prodierunt 1470. fol. Deinde *Venetiis* 1471. fol. per Nicol. Ienſon. Accedunt verſus Auſonii in vitas XII. Caeſarum. In operis fine leguntur verſus:

Hoc ego Nicoleos Gallus cognomine Ienſon
Impreſſi: mirae quis neget artis opus?
At tibi dum legitur docili Suetonius ore;
Artificis nomen fac rogo, lector, ames.

1496. fol. cum Beroaldi et Sabellici commentariis. *Mediolani* 1475. fol.

§. LVI.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto Suetonii opera, quae ſuperſunt, typis deſcripta prodierunt *Venetiis* 1500. fol. cum Sabellici et Beroaldi commentariis. 1516. et 1521. 8. apud Aldum. *Florentiae* 1515. 4. *Pariſiis* 1527. 8. apud Simonem Colineum, ex Eraſmi recognitione, cum Ioh. Bapt. Egnatii animaduerſionibus. 1535. 8. 1543. 8. apud Rob. Stephanum. 1565. 8. Achillis Statii notae in Suetonii Grammaticos et Rhetores. *Lugduni* 1548. fol. apud Frellonium, cum Philippi Beroaldi commentariis et Ioh. Bapt. Egnatii enarrationibus. 1585. 12. cum notis Eliae Vineti. 1595. 4. cum Iſ. Caſauboni commentario. *Lugd. Batau.* 1534. et 1539. 8. 1596. 8. cum Philippi Beroaldi commentariis. *Antuerpiae* 1574. et 1584. 8. cum notis Theodori Pulmanni. 1575. Achillis Statii. 1591. 4. cum Leuini Torrentii commentario. *Baſileae* 1529. et 1542. 4. *Coloniae* 1553. 8. *Francofurti* 1588. fol. cum Ioh. Bapt. Egnatii, Glareani et aliorum commentariis.

§. LVII.

Digitized by Google

§. LVII.

Seculo proxime ſequenti Suetonii quicquid reliquum eſt prodiit *Pariſiis* 1605. 4. cum Iſaaci Caſauboni commentariis, qui ceteris fere omnibus praeſtant, et non ſatis a Scaligero laudari poſſunt. 1610. fol. apud Sebaſt. Carmoiſium, cum Philippi Beroaldi, Leuini Torrentii, Iſ. Caſauboni et aliorum commentariis. 1623. 16. 1644. 12. ex typographia regia. 1684. 4. in vſum Delphini notis et omnium vocabulorum indice adornauit Auguſtinus Babelonius. *Lugduni* 1605. 4. cum Iſ. Caſauboni commentario. *Oxonii* 1676. 1690. 8. e theatro Scheldoniano, cum notis breuibus et ſelectis. *Antuerpiae* 1617. 12. ex recenſ. Caſauboni. 1634. 12. *Amſtelodami* 1630. 12. cum diuerſorum notis. 1631. 1651. 1660. et 1663. 24. 1661. 12. cum notis Boxhornii. 1697. 12. apud Wetſtenium ex recenſione Graeuii. *Lugduni Batau.* 1645. et 1647. 12. accurante Boxhornio. 1647. 1652. 1656. 1662. et 1667. 8. cum notis variorum accurante Ioh. Schildio. 1698. 12. ex recenſione Salmaſii, additis Iacobi Gronouii emendationibus. *Traiecti* 1672. 4. Graeuiana editio prima, cum integris Leuini Torrentii et Iſ. Caſauboni commentariis, Theodori Marcilii, Franciſci Guieti, Ioh. Frid. Gronouii et Ioh. Georg. Graeuii notis; Achillis praeterea Statii et Eliae Vineti ad Grammaticos et Rhetores notis, indice vero Matthiae Berneggeri locupletiſſimo. 1690. 8. 2. volum. editio elegantiſſima, notis ſelectis et variis iconibus illuſtrata a Samuele Piriſco. 1691. 4. et *Hagae Comitis* 1691. 4. Graeuiana editio minus emendate repetita. *Geneuae* 1611. 4. cum Iſ. Caſauboni commentario. 1615. 12. ex iterata Caſauboni recenſione, cum animaduerſionum eius appendicula.

Ebroduni 1624. 16. *Baſileae* 1675. 4. cum numiſmatibus et notis Caroli Patini. *Argentorati* 1688. 4. cum Iſ. Caſauboni animaduerſionibus et diſſertationibus politicis Ioh. Henrici Boecleri, qui et indicem locupletisſimum adiunxit. *Coloniae* 1615. 12. ex recenſ. Caſauboni. *Hanouiae* 1611. fol. accur. Iano Grutero, tom. I. hiſt. auguſtae ſcriptorum. *Dreſdae* 1676. et 1695. 12. cum ſelectis Boxhornii, Torrentii, Caſauboni, Graeuii, et aliorum notis, accurante Daniele Hartnaccio.

§. LVIII.

Noſtra aetate optimas habemus Suetonii editiones, quae prodierunt. *Vltraiecti* 1703. 4. editio Graeuiana, nouis animaduerſionibus aucta. Acceſſit quoque integer Caroli Patini commentarius, qui Caeſares Suetonii ex antiquis numiſmatibus illuſtrauit. Repetita 1708. 4. 1714. vero itidem 4. duobus voluminibus Samuelis Pitiſci editio, cum illius commentariis et figuris. *Leouardiae* 1715. 4. cum notis et figuris Sam. Pitiſci. *Hagae Comitis* 1727. 4. ad vſum Excellentiſſimi Comitis Vimioſani D. Ioſephi Portugallenſis, per Petrum Almeydan S. I. *Amſtelodami* 1700. 16. cum variorum annotationibus. *Lipſiae* 1706. 12. cum Minellii notis. 1722. 12. cum notis Iunckeri ad modum Minellii. De verſionibus claſſicorum auctorum in linguas aliorum vernaculas nihil addo. Sua cuique ſunto pulchra; mihi vetera placent. Eſt, vt bene LIPSIVS *l*) monet, ſuus videlicet cuique linguae genius, quem non auellas, nec temere migrare iuſſeris in corpus alienum. Hic vero non poſſum praetermittere ſilentio, quod Excellentisſimi et Eruditiſſimi actorum Lipſienſium ſcriptores memoriae prodiderunt. *m*) Philemon Hollandus, Med. D. et

l) Cent. I. epiſt. 72. *m*) Anno 1687. menſ. Octobr. pag. 580.

D. et Pract. Couentrienſis tantum non omnes auctores claſſicos in linguam vernaculam tranſtulit, eamque meruit laudem, quam verſibus illi dixit anonymus:

Holland with his translations doth ſo fill vs,
He will not let Suetonius be Tranquillus.

Id eſt:

Hollandus obruit nos verſionibus,
Nec eſſe Tranquillum ſinit Suetonium.

§. LIX.

C. CORNELIVS TACITVS, Eques Romanus, incertum quo natus anno, ſed iuniori Plinio *n*) aequalis propemodum aetate fuit, qui ſeptimo Neronis anno, ab V. C. DCCCXIII. primum, vt ſuo loco demonſtrauimus, hauſit vitalem auram. At Tacitus paulo fuit natu maior, vt Plinius eum ſibi propoſuerit virtutis et aemulationis exemplum. Primis ergo Neronis, vel extremis Claudii temporibus videtur eſſe natus, et omni liberaliori diſciplina probe a pueritia imbutus. Diutiſſime armorum gloria floruit, et vrbana diſciplina: celebris in foro et cauſſis orandis. Vt ipſe teſtatur *o*) illi Galba, Otho et Vitellius, nec beneficio fuerunt cogniti, nec iniuria. Dignitas eius a Veſpaſiano inchoata, a Tito aucta, a Domitiano longius prouecta. Sub Veſpaſiano aiunt procuratorem datum Galliae Belgicae, Prin-

n) Alii perperam eum *Publium* praenomine vocant. Confer. LIPSII comment. annal. I. init. Hic enim, cum Tacito librum a ſe notatum remitteret, epiſt. 20. lib. 7. ad eum ſcribit: *erit rarum et inſigne, duos homines aetate propemodum aequales non nullius in literis nominis — alterum alterius ſtudia fouiſſe. Equidem adoleſcentulus, quum iam tu fama gloriaque floreres, te ſequi, tibi longo, ſed proximus, interuallo et eſſe, et haberi concupiſcebam.* *o*) Hiſt. l. I. cap. I.

cipis rationes adminiſtraſſe. *p*) Haec dignitas, ordini equeſtri peculiaris, a IVSTO LIPSIO *q*) tribuitur hiſtorico noſtro, licet non fuerit ex illa vetere patricia gente Cornelia: vt primum ius imaginis et honores in familiam non nimis illuſtrem intulerit. Sed alibi, *r*) immemor ſui, quae Plinius notat, accipit de patre hiſtorici noſtri, et intelligit dignitatem eius inchoatam a Veſpaſiano, quod ab eo laticlauius ſit factus, et relatus in ordinem primum. Qualemcunque hanc dignitatem auxit Titus quaeſtura vel aedilitate. Domitiani anno octauo ab V. C. DCCCXL. Flauio Domitiano XIV. et L. Minutio Rufo coss. praetura praeditus eſt, et quindecim virali ſacerdotio; qua dignitate ſecularibus ludis praefuit. *s*) Poſt duo luſtra fere demum primo Traiani anno ab V. C. DCCCXLIX. Cocceio Nerua III. et Virginio Rufo coss. dignitatem conſularem obtinuit, ſuffectus illi Virginio Rufo vita defuncto, quem et ipſe Tacitus pro roſtris laudauit. *t*) Proconſul et hiſtoriis clarus videtur Germaniam inferiorem prouinciam obtinuiſſe, et mores illius gentis penitius cognouiſſe, vt illos memoriae proderet: cum et ante, quod ſupra vidimus,

p) Vid. PLINIVS hiſt. natur. l. 7. c. 16. *Ipſi nos pridem*, inquit, *vidimus eadem omnia in filio Cornelii Taciti, equitis Romani, Galliae Belgicae rationes procurantis.*

q) In vita Taciti, operibus praemiſſa.

r) Notis ad Tacit. hiſt. l. 1. c. 1.

s) Vid. TACITVS annal. l. 11. cap. 11. Confer. CENSORINVS de die natali cap. 17. Et nummi ex antiquitate veneranda ſuperſunt cum his notis: IMP. CAES. FLAV. DOMITIANVS. AVG. GERM. PONT. MAX. TR. POTEST. VIII. COSS. XIII. I. LVD. SAEC. FEC.

t) Vid. PLINIVS lib. 2. epiſt. 1.

dimus, Galliae Belgicae rationes procurauerit. Hoc certe in agro Iuliacenſi inuentum: *v*)

APOLLINI — — — — — — —
RATIONATORIS HONORE
VSVRVS SECVNDVM
CORNELIVS VERVS TACITVS
EREXIT MONVMENTI LOCO.

Quod ad ſtudia Cornelii noſtri attinet, optimam eorum iniiſſe videtur rationem, atque eam ſedulitatem adhibuiſſe, quae liberaliorem illi parauit doctrinam et vſque adeo eum ciuibus ſuis commendauit: vt legata etiam illi et Iuniori Plinio haud raro teſtamentis ſcriberent. *x*) Commilitones iſtos inuicem ſeſe ardentius diligentes cum ſtudia paria, mores, fama, ſuprema denique hominum iudicia tot vinculis conſtringerent: neuter publici iuris ante quicquam facere conabatur, quam alteri, velut Ariſtarcho ſuo emendandum miſerit. Teſtis eſt ipſe PLINIVS *y*) ſcribens ad eum: *librum tuum legi, et quam diligentiſſime potui, annotaui, quae commutanda, quae eximenda arbitrarer. Nam et ego verum dicere aſſueui, et tu libenter audire. Neque enim vlli patientius reprehenduntur, quam qui maxime laudari merentur. Nunc a te librum meum cum annotationibus tuis exſpecto. O iucundas, o pulchras vices! Quam me delectat, quod, ſi qua poſteris cura noſtri, vſque quaque narrabitur, qua concordia, ſimplicitate, ſide vixerimus!* Vterque inter eruditiſſimos habebatur praecipuus, ſuaque

v) Apud GVIL. FLEETWOOD inſcriptionum antiquarum ſylloge pag. 25. n. 1. Confer. ERICHIVS Chron. Iuliac. l. 1. c. 24. REINESIVS p. 103. Celeb. WALCHIVS diatr. de Tacito eius operibus praemiſſa §. 4.

x) PLINIVS l. 7. epiſt. 20. extr.

y) L. c.

que fama, meritiſque inclutus erat. Aliquando ſedit cum Tacito circenſibus eques Romanus. Hic poſt varios et doctos ſermones requiſiuit: *Italicus es, an prouincialis?* Tacitus reſpondit: *noſti me, et quidem ex ſtudiis.* Ad hoc ille rurſum: *Tacitus es, an Plinius?* Et dici non poteſt, quam Plinius inde ſibi placuerit: qui Demoſthenis exemplo *z*) ſua nominis celebritate gloriatur. *a*) Alibi *b*) magnam ſtudioſorum copiam ad Tacitum ex admiratione ingenii eius conuenire praedicat, ac petit ex illis praeceptores conſtituere velit, quibus municipes ſui vtantur, ſcholam meditantes. Iuuentutis maximam partem in foro cauſſiſque orandis egit: *c*) hiſtoriae ſcribendae ſenex operam dedit. *d*) Satis etiam mature virginem Romae nobiliſſimam in matrimonium duxit. Nam anno ab V. C. DCCCXXIX. Fl. Veſpaſiano VIII. et Fl. Domitiano VI. coss. C. Iulius Agricola, vir conſularis et Britanniae praefectus illi filiam egregiae ſpei deſpondit, atque poſt conſulatum collocauit. *e*) Et huius ſui ſoceri vitam Tacitus noſter literis conſignauit; *f*) et obitum inprimis lugere viſus eſt. Concors illi atque felix ad extremam aetatem fuiſſe matri-

z) Demoſthenes illo ſuſurro delectari ſe dicebat aquam ferentis mulierculae, inſuſurantiſque alteri: *hic eſt ille Demoſthenes.* CICERO Tuſcul. quaeſt. l. 5. c. 36. Scilicet, vt PERSIVS ſatyr. 1. v. 28. ait,

— *Pulcbrum eſt digito monſtrari, et dicier, hic eſt.*

a) Lib. 9. epiſt. 23. *b*) Lib. 4. epiſt. 13.

c) Vid. PLINIVS l. 2. epiſt. 11.

d) Scribendae hiſtoriae prouinciam Plinio Iuniori ſuſcipiendam cum non perſuaſiſſet, Tacitus ipſe, quod amico adiunxerat, arripuit. Vid. SIDONIVS lib. 4. epiſt. 22.

e) TACITVS Agricolae vita cap. 9. extr.

f) Ibid. cap. 3. extr.

matrimonium coniicimus. Nec improlis diſceſſit. Nam longo interuallo nepos M. Claudius Tacitus, qui poſtea Imperator appellatus eſt, *g*) teſte VOPISCO *h*) hunc noſtrum hiſtoricum parentem ſuum vocare ſolitus eſt. Et PLINIVS *i*) Taciti procul dubio noſtri, ſed monſtroſum filium vidit, cum Belgicae Galliae rationes procuraret. Diem quando obierit, certo non conſtat. Ad imperium Hadriani vixiſſe plerique opinantur. Monumentum illi ſed recentiori aeuo in vrbe Terni, ducatus Spoletani, quam olim vocarunt Interamniam, cum hac inſcriptione erexerunt:

C. CORNELIO. TACITO.
EQ. PROC. GALL. BELGICAE. PR. VRBANO.
XV. VIRO. SACR. FAC. COS. AVGVSTISSIMOQ.
RERVM. AVGVSTARVM. SCRIPTORI.
M. CL. TACIT. ET. M. ANNII.
FLORIANI.
FRATRVM. CAESARVM. AFFINI.
INTERAMNATES. NAHARTES. AD. RENOVANDAM.
CLARISSIMI. CIVIS. MEMORIAM. ET AD.
EXCITANDOS. INFLAMMANDOSQ.
POSTERORVM. ANIMOS.
POSVERVNT.

Sic autumarunt, quod Tacitus Imperator ex vrbe Terni oriundus, eandem quoque ciuitatem eſſe hiſtorici patriam. Cui aſſerto auctoritas quoque BOCCALINI *k*) ſuffragatur, qui non ſolum Tacito noſtro patriam adiudicat Terni ciuitatem; verum etiam ejuſmodi hominis filium

g) Vulgo contra nummorum auctoritatem perperam *P. Annius Tacitus* vocatur *h*) Tacito Imperat. cap. 10.
i) Hiſt. natur. l. 7. c. 16. *k*) In relationibus.

filium eſſe dicit, qui olei venditione vitam ſuſtinuerit. Haec vero dicit, non probat. Ipſum nomen, equeſtris dignitas et munera, matrimonium, Plinii et maximorum quorumque virorum familiaritas nobis contrarium ſuadent.

§. LX.

Inprimis noſter Salluſtium ſibi ex veteribus imitandum, nec inuita Minerua ſumſit. Neque ſolum ad eloquentiae Salluſtianae formam, tanquam, vt illi videbatur, optimam, ſermonem finxit ſuum; verum etiam plurimos dicendi characteres et exponendi modum inde accepit mutuo. Exempla FVLV. VRSINVS *l*) et DAN. GVIL. MOLLERVS *m*) conferre ſtudent. Sed perplacet COLERI *n*) iudicium, alterum conferentis cum altero, Salluſtium omnes docere, Tacitum paucos et doctos; hunc ad principatum maxime, illum ad omnes reip. formas vtilem eſſe; illum monere, hunc cauere; illum ſapere, vt docearis, hunc docere, vt ſapias. Quid multa, inquit, *dignus Salluſtio magiſtro Tacitus; dignior Tacito diſcipulo Salluſtius. Ita enim vbique imitatur Salluſtium ille, vt eum diſcipulum Salluſtianum merito appellem.* Tacito modo conceſſum fuiſſet, ſua ſeculo vt ſcripſerit meliori: ſed mirum quantum ſermonis caſtitas et elegantia veterum iam tum declinauerit, ſuumque lingua genuinum candorem amiſerit: cuius noſter inter multos tamen cuſtos fidelis erat. Vnde FRANC. BALDVINVS *o*) Tacitum dixit cum Liuio tantum ſimilitudinis habere, quantum vnius cum alterius reſpublica habuit.

l) Notis in Salluſtii Catil.

m) Diſp. circ. de Tacito §. 15. pag. 25.

n) In ſuis ad Salluſtium notis. *o*) Inſtit. hiſtor. lib. 1.

habuit. Ex Graecis Polybium, Thucydidem et alios ſibi imitandos propoſuit. *p*)

§. LXI.

Scripſit (1) *libellum de ſitu, moribus, et populis Germaniae*, *q*) quam e vicino Belgio, cui regendo praefectus erat, propius cognoſcere potuit. Ordinem ſcriptionis, inquit LIPSIVS *r*) ſi ſequimur, ante hiſtorias et annales ſibi locum vindicet hic libellus. Scriptus eſt enim Traiano ſecundum conſule, i. e. Nerua adhuc viuo. *s*) (2) *Vitam* ſoceri ſui *Cn. Iulii Agricolae*, viri conſularis et Britanniae praefecti: libellum vere diſertum atque prudentem. Scriptus eſſe videtur ſub idem tempus, quo deſcripta eſt ab noſtro Germania, certe haud longe poſt. Agricola obiit Pompeio Collega et Corn. Priſco coss. i. e. anno ab V. C. DCCCXLVII. Quadriennio poſt eius vitam deſcripſit TACITVS. *t*) (3) *Hiſtoriarum libros V.* ab exceſſu Neronis ad imperium Neruae. Sed opus hodie eſt valde mutilum. Res geſtas deſcripſit ſex Principum Galbae, Othonis, Vitellii, Veſpaſiani, Titi, atque Domitiani. Ita clarum et grande hoc fuit hiſtoriarum opus, ſi Lipſii coniectura valet, fuſum in libros non minus viginti: res certe complectebatur annorum viginti et vnius. Illis autem quinque libris, qui ſuperſunt, non multo plures quam vnius anni res geſtas exponit, a conſulatu Gal-

p) Vid. elegantiſſima WALCHII de Tacito diatribe §. 5.

q) Propter hoc monumentum Germani antiquitatem ſuam fere vni Tacito acceptam ferunt.

r) Notis ad Taciti Germaniam init.

s) Quod ipſe oſtendit TACITVS Germ. cap. 37. n. 4.

t) Vid. Agricolae vita cap. 45. n. 7. Confer. LIPSII notae initio.

Digitized by Google

Galbae et Titi Vinnii, vſque ad pacem initam inter Cerealem Romanum et Ciuilem Batauum, qui audita Vitellii morte turbas excitauerant. Vnde patet magnam eſſe bonarum rerum iacturam. Hiſtorias demum orſus eſt poſt obitum Neruae: nam initio ita ipſe ſcribit: *quod ſi vita ſuppeditet, principatum diui Neruae, et imperium Traiani vberiorem ſecurioremque materiam ſenectuti ſepoſui.* Sed hoc opus nunquam perfeciſſe videtur, quamuis ſint, qui tradant, annum aetatis octogeſimum attigiſſe. Vbi Tacitus deſierat, ordiri quoque conſilium fuerat AMMIANO *v*) qui veſtigia illius, ſed pede non tam fauſto legit. Poſt hiſtorias *x*) Tacitus condidit (4) *Annales* quorum hodie libri ſuperſunt XVI. Ab Auguſti exceſſu, ad Neronis obitum in illis res Romanas proſecutus fuerat. Orſus adeoque ab Imperatoribus aetati ſuae propioribus, ſcribendo ad illos remotiores progreſſus eſt. Quinque libri priores demum ad Viſurgim in monaſterio Corbeienſi inuenti ſunt, quos inde quaeſtor pontificius quidam detulit Romam ad Leonem X. Pontificem, aureis ab eo donatus quingentis. *y*) Theſaurus hic a pontifice Philippo Beroaldo commiſſus

v) Ita ipſe teſtatur: *haec vt miles quondam et Graecus, a principatu Caeſaris Neruae exorſus, aduſque Valentis interitum, pro virium explicaui menſura.*

x) Nam ipſe annalium l. 11. c. 11. lectorem remittit ad hiſtoriarum libros: *vtriuſque principii rationes praetermitto, ſatis narratas libris quibus res Imperatoris Domitiani compoſui.*

y) Hinc ANDR. ALCIATVS in encomio hiſtoriae ad Galeacium Vice comitem ait Leonem X. Pontificem M. quinque primos Taciti libros a barbaris redemiſſe. LIPSIVS vero ad annal. l. 2. c. 9. *Viſurgis mutua Romanorum Germanorumque cladibus nobilis amnis, cui famam praecipue Tacitus dedit, et ipſe*

miſſus Romae primum anno 1515. prodiit. Liber primus orditur ab Auguſti de ſucceſſoribus ſibi deſtinandis deliberatione adeoque vltimo Auguſti anno, qui eſt ab V. C. DCCLXVI. Liber quintus mutilus eſt. Sextus in Tiberii exceſſu deſinit. Deinde poſt quatuor librorum lacunam liber vndecimus itidem principio mutilus, ad librum XVI. extrema parte abſciſſum, a C. Valerii Aſiatici ſub Claudio Imp. per inimicorum fraudes ad mortem voluntariam adacti exitio, ad interitum Thraſeae Poeti, quem Nero iuſſerat mori, C. Suetonio Paulino et L. Teleſino coss. anno DCCCXVIII. Neronis duodecimo. In vniuerſum primo libros fuiſſe triginta ex D. HIERONYMO z) diſcimus, vbi de Tacito, *poſt Auguſtum*, inquit, *vſque ad mortem Domitiani vitas Caeſarum XXX. voluminibus exarauit.* Etiam illi vulgo tribuitur, eiusque operibus ſubiicitur, ille quidem elegans et terſus, et optimo ſcriptore dignus, *de cauſſis corruptae eloquentiae* dialogus; vel *an ſui ſeculi oratores antiquis, et quare, concedant:* Veteres libros, qui ſcriptum hoc Tacito aſſerunt, POMPONIVS SABINVS Grammaticus *a*) ſequitur, et *Cornelius*, inquit, *Tacitus appellat ſcripta Maecenatis calamiſtros.* Sed fallitur: ſtilus enim valde abnuit, qui in Tacito conſtrictus vbique, teres, acutus, et ſeverus magis quam lepidus: hic

ipſe Tacito (mirum fatum) vitam. Nam quinque hi primores libri inuenti Corbeiae, quod monaſterium ad Viſurgim eſt. Atque illinc depromtum vere hunc theſaurum quaeſtor quidam pontificius ad magnum Leonem detulit, donatus ab eo aureis quingentis.

z) Comment. in Zachar. c. 14. vbi de excidio Hieroſolymitano.

a) In carmen de obitu Maecenatis.

hic omnia contra. *b*) Dictio et ipſa inuentio, iudicium quoque Fabium potius ſapiunt Quintilianum, qui teſtatur *c*) librum ſe de cauſſis corruptae eloquentiae ſcripſiſſe. Sed ille (1) grandior eſt, quam vt cohuenire in eum poſſit, quod auctor *d*) habet, ſexto Flauii Veſpaſiani anno dialogum hunc fuiſſe inſtitutum, ac ſemet illi tunc valde iuuenem interfuiſſe. (2) Auctor libri teſtatur, ſe Romae quaeſturam, tribunatum, praeturam accepiſſe: cum de Quintiliano aliud non proditum ſit, quam quod intra priuatam conſtiterit fortunam, ac ſtudioſae iuuentutis inſtitutioni ſemper vacarit: qui iam tum a Galba Romam deductus celebris rhetor fuit: ac licet grandior aetate per Clementem conſularia ornamenta obtinuerit; nominis tamen potius honeſtamenta, quam inſignia poteſtatis habuit. *e*) (3) Idem Quintilianus *f*) vbi mentionem facit libri ſui de cauſſis corruptae eloquentiae, refert ſe plenius in illo tractaſſe de tropis et ſigillatim de hyperbole: quod in dialogo de oratoribus, apud Tacitum qui exſtat hodie, nuſquam fieri videmus. (4) Diuerſa eſt ſententia Quintiliani et illius auctoris de Coelianis orationibus: quod in tractatu de virili aetate Latinae linguae *g*) demonſtratum iuimus. Sed quiſquis eſt, elegans certe,

b) Confer. pl. LIPSIVS not. ad hunc dialogum init.
c) Praefat. lib. 6 inſtit. orat. *d*) Cap. 17. n 3. confer. cap. 1. n. 3.
e) Vid. AVSONIVS ad Gratianum imperatorem gratiarum actione pro conſulatu cap. 10. *f*) Inſtit. orat l. 8. extr.
g) Part. 2. cap. 1. §. 7. pag. 15. VOSSIVS etiam de natura Rhet. c 15. praeter Tacitum et Quintilianum, quibus vulgo dialogus ille adſcribitur, Iunium quoque Gallionem nominat, M. Ann. Senecae filium ſecundo genitum, et Lucii fratrem, excellentiſſimum rhetorem.

certe, diſertus et ſani iudicii in illa ſatis iucunda materia verſatus auctor eſt. Inter opera Taciti deperdita referre poſſumus inprimis ea, quae ex libris annalibus et hiſtoricis deſiderantur; deinde orationes, quae a Plinio iuniore adeo laudantur; atque etiam epiſtolas, quas ad eundem et alios magno ſcripſiſſe numero literis tam frequentem oportet.

§. LXII.

Hiſtorici noſtri imaginem M. Claud. Tacitus Imperator in omnibus bibliothecis collocauit; eiusque libros decies quotannis deſcribi, ac in tablinis publicis diſponi praecepit. *h*) Coſmus etiam Mediceus, Princeps reip. gerendae peritiſſimus, non alium ſcriptorem maiori cura et induſtria lectitare confiteuit. *i*) Fortiſſimus et prudentiſſimus militiae Caeſareae Dux Montecuculi ſcripta Taciti iuxta cum magna mapparum geographicarum copia ſecum ſemper domi et in caſtris habuit, ac tantum non omnia complexus eſt memoria quam fideliſſima. Illuſtriſſimi duo Hungariae Comites, laeſae tandem Maieſtatis crimine conuicti et capite damnati, Franciſcus Nadaſdi, et Petrus Zreni, ſcriptoris noſtri quoque fuerunt amantiſſimi, ita quidem, vt integras ſaepe paginas memoriter ex iiſdem recitare potuerint. De Ioh. Adlero Saluio Potentiſſimi Sueciae Regis ad pacem Oſnabrugenſem legato memoriae proditum eſt, omnia Taciti opera tam fida cuſtodiuiſſe memoria, vt data occaſione eadem ſine ſcripto reddiderit. *k*) Illuſtris quoque Grotius, illud inexhauſtae eruditionis

h) VID. FL. VOPISCVS in vita Taciti Imperatoris cap. 10.

i) MVRETVS in oratione quam habuit Tacitum enarraturus. VOSSIVS de hiſt. Lat. l. 1. c. 30.

k) MOLLERVS diſp. circ. de Tacito §. 19. p. 28.

tionis ſui ſeculi ornamentum, dicitur non ſolum Taciti libros ſua manu deſcripſiſſe, verum etiam in annalium Belgicorum docta compoſitione illum ſibi quammaxime ad imitandum propoſuiſſe. Petrus Cornelius Hoofdius, PETRO FRANCIO *l*) et GERARDO BRANDIO *m*) teſtibus, quod incredibile poſſet videri, vt dictionem Taciti plane familiarem ſibi redderet, eum bis et quinquagies totum perlegit. Et Iuſtus Lipſius eum tanto deperibat amore, vt integrum teneret memoria, et nullus dubitaret, quin, etiamſi Tacitus interiret, e memoria ſua reſtitui commode iterum poſſet. *n*) Quanti Tacitum noſtrum fecerint aequales, difficile dictu. Inprimis Iunior Plinius, quocum illi maxima familiaritas interceſſit, eius virtutem atque ſtudia non modo admiratus, verum etiam ſedulo aemulatus eſt. Id enim ipſe teſtatur, ſcribens ad eum: *o*) *equidem adoleſcentulus, quum iam tu fama gloriaque floreres, te ſequi, tibi longo, ſed proximus, interuallo et eſſe, et haberi concupiſcebam. Et erant multa clariſſima ingenia: ſed tu mihi* (*ita ſimilitudo naturae ferebat*) *maxime imitabilis, maxime imitandus videbaris. Quo magis gaudeo, quod, ſi quis de ſtudiis ſermo, vna nominamur; quod de te loquentibus, ſtatim accurro.* Cum Tacitus Conſul Verginium Rufum, vita defunctum, laudarit: hunc illi praedicat *p*) ſupremum acceſſiſſe felicitatis cumulum, quod *laudatorem eloquentiſſimum* habuerit. Ad Fundanum ſcribit *q*) de Aſinio Rufo, quod arcta fami-

mili-

l) Orat. 23. quae eſt de laude Amſtelodami. *m*) In Hoofdii vita.
n) Vid. MORHOFIVS polyh. liter. l. 4. c. 13. §. 4. p. 894.
o) Lib. 7. epiſt. 20. *p*) Lib. 2. epiſt. 1.
q) Lib. 4. epiſt. 15.

miliaritate complexus ſit Cornelium Tacitum; addit vero, *ſcis quem virum.* Alibi *r*) paulo eius merita deſcribit clarius ac teſtatur, reſpondiſſe *eloquentiſſime, et quod eximium orationi eius ineſt,* σεμνῶς i. e. grauiter et digne. Auunculo ſuo promittit immortalem gloriam, ſi a Tacito celebretur, ac diuinatione quadam quaſi relictorum a Tacito ſcriptorum aeternitatem laudat. *s*) Sunt magni nominis critici, et inter hos Iuſtus Lipſius, qui ad Tacitum noſtrum velint eſſe referenda haec FABII QVINTILIANI verba: *t*) *ſupereſt adhuc* (de hiſtoricis agit) *et exornat aetatis noſtrae gloriam, vir ſeculorum memoria dignus, qui olim nominabitur, nunc intelligitur. Habet amatores, nec imitatores, vt libertas, quanquam circumciſis quae dixiſſet, ei nocuerit. Sed elatum abunde ſpiritum et audaces ſententias deprehendas, etiam in iis quae manent.* Sed merito ambigitur, quia procul dubio Quintilianus haec ſcripſit Domitiano viuente, cum Taciti tanta fama nondum eſſet, nec quicquam ſcriptorum vulgauerit. Quinto poſt Chriſti ſeculo OROSIVS *v*) agnouit Taciti maximam diligentiam. Et SIDONIVS APOLLINARIS *x*) pompam adſcribit Tacito, nunquam ſine laude loquendo. Alibi: *y*)

— *Qui pro ingenio fluente nulli,*
Corneli Tacite, es tacendus ori.

Vnum Tacitum Ammianus Marcellinus ſibi ad intuendum eſt imitandum propoſuit, ſuamque hiſtoriam orſus eſt,

r) Lib. 2. epiſt. 11.
s) Lib. 6 epiſt. 16. Lib. 7. epiſt. 33. init.
t) Inſtit. orat. l. 10. c. 1. *v*) Lib. 7. cap. 10.
x) In panegyrico ad Anthemium.
y) In epigram.

eſt, vbi ille ſuam finiit. z) Inter vero vtrumque hoc intereſt, quod Tacitus Romani ſermonis dignitatem, vt tempora ferebant, proxime aſſecutus eſt; Ammianus Latinis verbis, etiam ſaepe ne Latinis quidem, Graece ſcripſit, ac longius haud raro a re propoſita diuagatur.

§. LXIII.

Et maximi ex recentioribus critici quique agnoſcunt Taciti elegantiam, eiusque ſcripta ſummis laudibus efferunt. G. I. VOSSIVS a) probat iudicium Plinii, quod fuerit eloquentiſſimus, atque iſtud habuerit eximium, quod σεμνῶς diceret. Aduerſariorum inſulſa iudicia ridet, ac omnes, qui non ſentiant *dictio Taciti quam ſit elegans, quam terſa et limata.* Et tamen eſſe maiorem laudem iſtam, *quod nihil eo ſcriptore vel cogitari poſſit prudentius.* IVSTVS LIPSIVS b) illum antiquis et optimae notae ſcriptoribus proximum eſſe ait, et ea perfectione, vt illos ipſos in dignitatis certamen prouocare poſſit. Imo prudentia et iudicii notis ipſi illum Liuio praeferre non veretur: c) quamuis eloquentia ſit inferior. *Quis,* inquit, *illo verius narrat, aut breuius? Quis narrando magis docet? In moribus quid eſt, quod non tangat? In affectibus, quod nonreuelet? Mirabilis omnino ſcriptor, et qui ſerio hoc ipſum agit, quod non agit. Nec enim hiſtoria ſolum eſt, ſed velut hortus et ſeminarium praeceptorum.* Atque adeo illum conſiliariis Principum ceu verum ſapientiae et prudentiae ducem commen-

z) Confer. FRANC. BALDVINVS lib. I. inſtit. hiſt. Et BODINVS method. hiſt. cap. 4.

a) De hiſt. Latinis l. I c. 30.

b) Epiſtola ad Maxim. II. Imper. ſuis in Tacitum notis praemiſſa. c) In notas ad polit. l. I. c. 9.

mendat. Alibi, *d*) aeternae prouidentiae beneficio datum ſeruatumque ad ingenia et conſilia vel illuſtranda, vel dirigenda. Omnino cum Lipſio conſentit GABR. NAVDAEVS *e*) qui eum comparat cum Principe ac Imperatore in orcheſtra ſedente, ex qua cum ſtupore et admiratione politicas difficultates componat, virtutum ſuarum maieſtate omne faſtigium humanum excedens. AVG. BVCHNERO nunc eloquentiae fideique praeclarus eſt; *f*) nunc ſatis nunquam laudandus ſcriptor; *g*) nunc praeclarus auctor, et ſcientiſſimus antiquitatum patriae. *h*) IOH. MARIANAE *i*) idoneus auctor, quem nunquam Principes, nunquam aulici deponant de manibus, diu noctuque verſent: quamuis horrida oratione pleraque tegat. DION. LAMBINO: *k*) non optimus quidem Latinitatis auctor, ſed hiſtoriae certe ſcriptor prudens, verus atque acutus. BALTH. BONIFACIVS *l*) eum vocat *ſigniferum criticae hiſtoriae, parentem humanae prudentiae, politicorum magiſtrum, coryphaeum ſcriptorum, quicunque ad illud gloriae faſtigium peruenere, vt in eorum lucubrationibus plura ſint prope documenta, quam verſus, et plures pene ſententiae, quam verba. Huius tanquam e tripode dicta accipiuntur, huius effata vt oracula excipiuntur, huius monita vt e coelo miſſa adorantur: cum praeterita, quod eſt hiſtorici, ita commemoret, vt futura, quod eſt ſapientis, praeuideat, praemonſtret, excutiat.* DAN. GVIL. MOLLERVS *m*) iudi-

d) Centur. ſingul. ad Italos et Hiſp. epiſt. 89.
e) Bibliograph. politic.
f) Vol. 1. orat. 10.
g) Vol. 2. orat. 8.
h) Vol. 2. orat. 21.
i) De Regis inſtitutione l. 2. c. 6.
k) Ad Horat. l. 3. od. 27.
l) De Rom. hiſtor. ſcript.

m) iudicat de Tacito neminem poſſe recte iudicare, niſi qui vel ingenio Taciti praeditus, vel ea, quae Tacitus, et arte et Marte expertus eſt.

§. LXIV.

Nec illi optimo auctori obtrectatores defuere. RAIMVNDVS LVLLVS *n*) eum ait ſcriptorem eſſe magis toruum Iuſtino. ALCIATVS itemque AEMILIVS FERRETVS *o*) eum aſſerunt non Latine ſatis ſcribere, atque etiam ille *p*) non dubitat affirmare, dictionem eius prae illa Pauli Iouii eſſe ſenticeta. BVDAEVS ſcriptorem omnium ſceleratiſſimum; TERTVLLIANVS *q*) mendaciſſimum; OROSIVS adulatorem appellauit. *r*) A IOH. MARIANA *s*) dicitur horrida oratione atque ſpinoſa, ſed arguta inprimis magnum rerum theſaurum tegere, conſilia principum, artes fraudesque aulae. Adiiciunt calumniatores, hunc eſſe Latinum Xenophontem crudelis ac deteſtabilis cuiuſdam Tiberii paediae, qua Principes ad tyrannidem non quidem perfunctorie, ſed accurate inſtruuntur. Eundem, cum multis ſeculis delituiſſet, fuiſſe e tenebris erutum peſtifera cuiusdam Germani curioſitate, vniuerſo terrarum forſitan damno-

---

m) Diſp. circulari de C. Corn. Tacito §. 13. extr. pag. 23.

n) De orat. l. 5. c. 4. *o*) Apud VOSSIVM de hiſt. Lat. l. 1. c. 30.

p) ANDR. ALCIATVS epiſt. ad Paul. Iouium ſcripta Ticini 1549 *ſatis tibi fuerit, pauculos tantum flores ex Q. Curtii pratis, ſaepius quam ex Corn. Taciti ſenticetis, arguta manu decerpſiſſe.*

q) Apolog. adu. gentes c. 16. *r*) Vid. IOH. BODINVS meth. hiſt. cap. 4 et THOM. LANSIVS in orat. pro German.

s) De Regis inſtitutione l. 2. c. 6. Contra eos, qui dictionem Taciti criminantur, vide quae MVRETVS diſputat volum. 2. orat. 16. 17. 18.

damnoſiore alius Germani execrabili induſtria, quae fulmen illud bellicum adinuenit, cui bombardae e re nomen eſt inditum. Et ſatis notum eſt iſtud in Italicas Pii Mutii conſiderationes:

Impius eſt Tacitus; melior tamen incipit eſſe,
Fitque tua Tacitus dexteritate pius.

Neque maledicum SCIOPPII *t*) iudicium ſilentio praetermittendum eſt, qui Tacitum malignum et ſoloecum auctorem, atque adeo nequitiarum magiſtrum iuuentuti e manibus excutiendum putat. Sunt adeo ex illis quod in aliis pleriſque etiam optimae notae ſcriptoribus calumniantur, malas artes et res illicitas memoriae eſſe mandatas ferre non poſſunt, adeo quidem vt Taciti annales teterrimorum ſcelerum quaſi iſagogen vocare non erubeſcant. Delationes, calumnias, rapinas, iniuſtas caedes, laſciuiam, adulationes, ſimulationes, omnis generis fraudes, quicquid flagitiorum aulas ac dominatus turpiſſime et execrabiliter infamare poteſt, in hoc ſcriptore paginam vtramque facere. Haec vero non ſunt auctoris, ſed temporis vitia, quae non commendat, non laudat; verum cum peſſimo euentu ſuo ad fugam aliorum exponit, flagitioſorum tragicos memorat exitus, ac vitiorum potius odium atque pudorem inducit. *v*) Quidni et illi religioſi homines ſacras literas, quibus itidem varia peſſimorum ſcelera deſcribuntur, cum ignominiae quadam macula eliminatas eſſe volunt. Hiſtoricus, vbi res peſſime geſtas atque flagitia depromit, ſuum velut nummo imprimit ſignum, quo facilius de pretio illius conſtare poſſit. Fallitur et manifeſtum com-

 mittit

t) De ſtilo hiſtorico. *v*) Confer. AVG. BVCHNERVS orat. vol. 2. pag. 370. ſeqq.

mittit errorem, vbi Iudaeos ab Ida Cretenſium monte deducit. Moſis miracula et ritus ceremoniasque irridet; et profana omnia fuiſſe Iudaeis adſtruit, quae Romanis ſacra, conceſſa illis, quae Romanis inceſta. Iudaeos aſini agreſtis effigiem, quo monſtrante errorem ſitimque depulerint, penetrali ſacraſſe. Vbi de Chriſtianorum necibus agit, maximam in illo coecitatem admiramur. De Chriſto impie loquitur; conſtantem Chriſtianorum veritatis confeſſionem et religionem vocat exitiabilem ſuperſtitionem; odioque humanarum gentium conuictos quaeſitiſſimis poenis merito affectos exiſtimat. Gratulatur pereuntibus addita ludibria, vt ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, atque vbi defeciſſet dies, pice et reſina perfuſi, in vſum nocturni luminis vrerentur. Fateor acerbe ſcripſit Tacitus in Chriſtianos, quam ob rem mendaciorum loquaciſſimus a Tertulliano vocatur. Sed placet mihi IOH. BODINI x) ſententia. *Quemadmodum*, inquit, *Marcellus IC. meretricem turpiter facere reſpondit, quod ſit meretrix, non tamen turpiter accipere, cum ſit meretrix: ita quoque impie fecit Tacitus, quod non fuerit Chriſtianus; ſed non impie aduerſus nos ſcripſit, cum gentili ſuperſtitione obligaretur. Ego vero impium iudicarem, niſi quamcunque religionem veram iudicaret, non eam quoque tueri, et contrarias euertere conaretur.*

§. LXV.

Haud immerito claſſicus hic auctor inter elegantiſſimos atque principes hiſtoricos refertur; vtpote qui multos ſui temporis alios prudentia et iudicio ſuperat. Nec iniuria IVSTVS LIPSIVS ad Maximilianum II. Impera-

x) Methodo hiſt, cap. 4.

peratorem ſcribit: *y*) *admirabile eſt, quantum inter iſtos* recentioris aeui hiſtoricos *vnus excellat imitator Salluſtii Corn. Tacitus, omni virtute antiquis proximus, longo quidem interuallo, ſed tamen proximus: et ſi linguae Latinae eſſet eadem puritas, cetera ſic perfectus, vt vocare illos ipſos antiquos in certamen poſſit dignitatis: acer ſcriptor, dii boni, et prudens.* GABR. NAVDAEVS: *z*) *ſi pueri olim iuris ciuilis ſtudium auſpicaturi leges XII. tabul. tanquam carmen neceſſarium ediſcebant: cur non et politici reip. clauum gubernaturi huius auctoris* (Taciti) *ſcripta memoriae penitus commendabunt, a quibus exempla ſimul atque oracula petant ipſius reip. bene feliciterque adminiſtrandae.* Grauiſſimus auctor eſt, neque obiter inſpiciendus. Nam licet vere et plane in expoſitione rerum, quae ſunt alicuius momenti, expromat omnia: plura tamen tegit atque recondit, quae non niſi ſerio legentibus obueniunt. Sic ſaepe rerum in ſpeciem ac primo aſpectu minimarum non exigua aut contemnenda momenta in ipſo ſtilo ac dictione penetranda ſunt. Nemo altius imperii et principum abdita indagauit. Neque factorum vnquam ſeiunxit vſum ab eorum notitia et cognitione. Atque adeo rerum et conſiliorum, quae prodit, abditorum perfectiſſimam & apertam imaginem proponit. Vnde ab Heinſio vere dictum, apud Tacitum occultam quandam et myſticam fuiſſe haruſpicinam, qua non animantium exta ſcrutaretur, ſed Regum corda mentesque introſpiceret; huiusque ſcripta meram eſſe prudentiae medullam. Quae in ſpeciem facta videri poterant vtiliſſima, nonnunquam interpretatus eſt vt pernicioſiſſima euentu; et quae maxime abſcondita videri poterant, ar-

y) Epiſtola eius in Tacitum notis praemiſſa. *z*) Bibliograph. polit.

cana quadam eueſtigauit arte, maturioris iudicii coniectandi felicitate, et longo rerum vſu doctus. Haec vero tandem bonum efficiunt hiſtoricum: vt ab re minime iudicauerit RVPERTVS, *a*) Tacitum ſenatoriae factionis ſcriptorem, egregium quidem eſſe politicum, ſed tanto minus bonum hiſtoricum: vtpote cui non liceat ſecundum ſuſpiciones detorquere vtilia facta in peius, et facere, quod araneus ſolet in roſa. Hoc certe non licet. Facere tamen, quod Tacitus fecit, hiſtorici bonitatem non tam minuit, quam auget. Ille enim ex ſententia CICERONIS *b*) bonus eſt hiſtoricus, non qui tantum res geſtas ſimpliciter narrat, ſed qui ſimul cauſſas explicat omnes, vel caſus, vel ſapientiae, vel temeritatis, et qui iudicium ſuum prudenter vbique interponit. Neque tamen ego facile fuerim auſus negare, inſignes quoque Tacitum ſuos habere naeuos. Ecquis enim mortalium omni parte beatus. Perplacet elegantiſſimi RAPINI *c*) ſententia: *Tacite eſt admirable en ſa maniere. Lipſe le prefere a tous les autres: tout le monde n' eſt pas de ſon ſentiment. On peut dire en general que c' eſt vn hiſtorien d' vn ordre particulier, qui a de grandes beautez parmy de grands defauts: mais ſes defauts ſont vn peu à couuert ſous vne grandeur de genie, qui brille en tout ce qu' il dit, et ſous ie ne ſçay quoi de ſublime qui l' eleue au deſſus de bien des auteurs plus exacts et plus naturels que lui.* etc.

§. LXVI.

Ad ſtilum Taciti quod attinet, in hiſtoriarum libris

a) Obſeru. ad hiſt. vniu. Beſoldi p. 281. Videantur et qui cum illo ſentiunt apud MORHOFIVM polyh. lit. l. 4. c. 13. §. 4. p. m. 894.

b) De oratore lib. 2. *c*) Reflexions ſur l' hiſtoire pag. 292.

bris floridior eſt atque vberior; in annalibus ſiccior atque preſſior: vtrobique grauis et diſertus, at paulo ex breuitate difficilior, quam vt prima fronte ab omnibus recte intelligi poſſit. *d*) Res enim ſaepe maximi momenti ſuccincte proponit ac neruoſe, vt huius aeui erat conſuetudo, et plurimum in illo dicendi genere argutiſſimo verſatur, quod plurima in receſſu relinquit. Inde OWENVS *e*)

Veracem fecit probitas, natura ſagacem,
Obſcurum breuitas, te grauitasque breuem.

Dictio in annalibus tamen conciſior eſt, quam in hiſtoria. Haec enim poſtulat, vt quicquid actum proſequatur ordine, ac nullis interuenientibus rebus aliis, cauſſae tractentur accuratius. Breuius ſaltem indicantur res geſtae in annalibus: vbi annorum atque conſulum habetur ratio. Sed genus ſermonis nullibi ſordidum aut vulgare: verum ita diſtinctum ſententiis et veritate et breuitate conſpicuis, vt maximae curae illi incuria eſſe videatur et neruoſa eloquentia. Quem ad modum illi, qui veſtes acu pingunt, ſine formarum confuſione aut noxa, gemmas ingenioſe inſerunt: ita noſter ſuas, neque omiſſa neque laeſa narrationis ſerie, ſententias et iudicia apte ſpargit. Multa recondita breuibus ſignat. Nihil adeoque in omni eius ſermone eſt, quod non maximae et inprimis obſeruandae rei ſignificationem atque vim habeat.

d) Pari modo OL. BORRICHIVS iudicat conſpect. p. 64. *Dictio eius aucta, efficax, conciſa, et fere nimium meditata: floridior in hiſtoriarum libris, preſſior aridiorque in annalibus, grauis tamen vbique et ſenſum longius, quam verba proiiciens: nonnunquam et obſcurior, niſi admodum ingenioſis lectoribus, et qui aularum mores norunt.*

e) Lib. 2. epigr. 159.

habeat. Etiamſi quaedam aſperiora videantur eſſe et inſuetam ſpeciem prae ſe ferant: *f*) nihil tamen orationis maieſtati decedit, quam dicendo aequat ipſi rerum magnitudini. Exponit inſigni cura et ſolicitudine dictas in curia grauiſſimis de rebus ſententias, facta SCta, conditas leges, coepta aut finita bella, prouincias adminiſtratas, ſplendidiſſimas legationes, ſtructas clam inſidias, res bene vel perperam geſtas; et omnia ita exponit, vt ſimul et narrare et iudicare, et praecipere et vetare videatur. Licet ergo, vt recte BOSIVS *g*) iudicat, *nec plane ad genium aureae aetatis ſcripſit, et multa praeter neceſſitatem innouauit, adeo tamen deprimendus non eſt, vt, quod nonnulli faciunt, corrumpendo ſermoni potius, quam ornando expoliendoque aptus exiſtimetur. Sed in eo maxime rotunditas, ſubtilitas, grauitas, et ingens ille ſententiarum politicarum apparatus aeſtimari debet.* Taciti ſingularia, vt dictiones peculiares, haud ſatis puras vel rariores non colligam. Id enim dudum inſigni opera praeſtitit celeberrimus WALCHIVS elegantiſſima diatribe critica de Tacito eiuſdemque ſtilo. *h*) Quacum ipſe tamen *i*) BALBINVM *k*) coniungi voluit, vtpote qui voces et dictiones a ſe praetermiſſas exhibeat. Quaedam Doctiſſimus HAVFFIVS quoque collegit. *l*) Nec

f) Nam ille ſtilus paulo grauior eſt, quam elegans; adeo et duriuſculus, et non parum ab illa veteri Latinae linguae candore diſcedit.

g) Diſſert. iſagogic. de compar. eloq. ciuili p. 82.

h) Praemiſſa Taciti operibus, quae cum Hauffii notis prodierunt Lipſiae 1714. 8. 2. volum.

i) Hiſt. crit. Latinae linguae cap. 8. §. 12. p. 392.

k) Annot. ad veriſimil. p. 15.

l) Praefatione iam laudatae Taciti editionis.

Nec Taciti nos erimus immemores, vbi paulo inferius de huius aeui dictione Latina quaedam notabimus.

§. LXVII.

Annales Taciti libris prioribus nondum inuentis prodierunt primum *Venetiis* 1468. fol. apud Ioh. Spirenſem. Hiſtoriarum libri *Romae* 1495. fol. mox et *Venetiis* 1497. fol. Editiones valde mendoſae.

§. LXVIII.

Apud Germanos ad Viſurgim tandem inuentis quinque prioribus annalium libris, atque Romam translatis ad Leonem X. Pontificem: illo iubente Tacitus integrior prodiit *Romae* 1515. fol. Philippi Beroaldi opera. Breui poſt *Mediolani* 1516. 4. *Florentiae* 1552. 8. *Venetiis* primum 1512. fol. accurante Riuio. 1534. 4. apud Aldum. 1554. 4. Andr. Alciati opera. *Pariſiis* 1556. 8. apud Rob. Stephanum, cum Vincentii Lupani in annales annotationibus. *Lugduni* 1542. 8. cum notis. 1551. et 1559. forma minore. *Lugduni Batau.* 1585. 16. 1590. 8. *Antuerpiae* 1574. 8. *m*) 1581. 1588. et 1595. 8. cum Iuſti Lipſii notis. 1585. fol. cum notis Lipſii. *Baſileae* 1519. fol. Andr. Alciati opera. 1533. fol. et 1544. accurante B. Rhenano, cum Floridi Sabini emendationibus. *Francofurti ad Moenum* 1592. fol. cum Annibalis Scoti commentariis. 1600. 8. cum Curtii Pichenae notis.

§. LXIX.

m) Haec prima editio eſt, quam iuuenis edidit Lipſius, mox ſecundum, tertium, quartum quintumque reuidit. Non diu poſt editum primo Tacitum Lipſius cum Mureto de locorum quorundam emendatione acriter digladiauit, dum nempe Muretus eas emendationes ſibi ſurreptas quereretur, quod Lipſius pernegabat. vid. IAC. THOMASIVS de plagis liter. §. 115. ſeq. et 222.

§. LXIX.

Sequenti ſeculo notandas Taciti editiones habemus, quae prodierunt *Pariſiis* 1606. 4. cum Iuſti Lipſii et Ioh. Merceri notis. 1608. fol. cum ſedecim virorum doctorum commentariis. 1622. fol. cum Ludouici D' Orleans *n*) nouis cagitationibus ad annales. 1682 et 1687. 4. quatuor volum. in vſum Delphini cum interpretatione et notis Iuliani Pichon. *Geneuae* 1609. 8. cum notis Curtii Pichenae. 1614. 12. 1619. fol. et 8. cum Iuſti Lipſii commentariis. 1651. 16. cum breuiariis et gnomologia. 1652. 12. *Argentorati* 1638. 1653. et 1664. 8. editiones accuratiſſimas et maxime ad vſum quotidianum accommodatas: vtpote ſubdiſtinctas in ſectiones, cum locis parallelis et argumentis in ſumma quaque pagina adſcriptis, cum Ioh. Freinshemii expoſitione locorum intactorum interpretibus, aut ſecus acceptorum et Melchioris Freinshemii indice locupletiſſimo adornauit Matthias Berneggerus. *Heidelbergae* 1604. 4. ex editione Iani Gruteri. *Hanouiae* 1607. 8. cum Acidalii et Mureti notis. *Francofurti* 1607. 8. cum ſuis et integris decem virorum erurditiſſimorum, Rhenani, Alciati, Ferreti, Vertranii, Vrſini, Donati, Modii, Merceri, Pichenae et Coleri notis accurante Iano Grutero. *Antuerpiae* 1627. 1637. 1648. fol. ex officina Plantiniana et recenſione Iuſti Lipſii. *Lugduni Batau.* 1634. 12. 1687. 12. 2. volum. cum egregiis animaduerſionibus Theodori Ryckii. *Amſtelodami* 1631. 16. 1650. et 1665. 24. ex editione Lipſii et Pontani. 1645. 1649. 1661. 1664. et 1653. 12. cum M. Z. Boxhornii animaduer-

n) Ille in corrigendo audaciſſimus Aurelianenſis Tacitum potius ex ingenio ſuo deprauauit: atque adeo non maximam gratiam promeruit.

aduerſionibus. 1640. 12. apud Elzeu. cum notis Hug. Grotii. 1673. et 1685. 8. 2. vol. apud Dan. Elzeuirium prodiere Taciti quae exſtant opera cum Lipſii, Rhenani, Vrſini, Mureti, Pichenae, Merceri, Gruteri, Acidalii, Grotii, Freinshemii, et ſelectis aliorum commentariis. Ioh. Fred. Gronouius recenſuit ſuasque notas paſſim adiecit. Accedunt Iacobi Gronouii excerpta ex variis lectionibus MS. Oxonienſis.

§. LXX.

Noſtra aetate prodierunt Taciti opera *Venetiis* 1708. 4. typis Natalis Feltrini, ex editione Iuliani Pichonis in vſum Delphini. *Amſtelodami* 1701. forma minore, cum optimis exemplaribus collata, adiectis capitum numeris. 1734. 4. *Vltraiecti* 1721. 4. 2. volum. cum integris & ſelectis doctorum virorum omnium ante hac impreſſis commentariis, vt et editoris Iacobi Gronouii. *Lipſiae* 1714. 8. 2. volum. notis grammatico-philologico-criticis illuſtrata ad modum Minellii a Chriſtiano Hauffio Gymn. Gorlic. Pro-Rectore, quibus praemiſſa eſt elegantiſſima Ioh. Georg. Walchii diatribe critica de Tacito eiuſdemque ſtilo ad Iacobum Perizonium.

§. LXXI.

LVCIVS ANNAEVS FLORVS in quibuſdam codicibus *L. Iulius Florus* vocatur. Hinc VOLATERRANVS putauit, eum eſſe *Iulium Florum Secundum*, a QVINTILIANO *o*) ab eloquentia laudatum, qui et patruum eius *Iulium Florum* commemorat. Nec deſunt, qui putant illius libri auctorem eſſe *L. Annaeum Senecam*,

Ffff 2 freti

o) Inſtit. orat. lib. 10. Huius etiam M. SENECA controuerſ. 25. meminit. Sed ab L. Annaeo hiſtorico noſtro diuerſus eſt et fortaſſis illius pater aut auus; notante etiam VOSSIO de hiſtor. Lat. l. 1. c. 30. circ. fin.

freti auctoritate LACTANTII: *p*) aiunt enim diuiſionem imperii Romani, cuius auctorem ille Senecam laudat, apud Florum eſſe in prologo. Sed falluntur et faciunt nae intelligendo vt nihil intelligant. Mirum enim quantum alter ab altero diſcrepet. Seneca apud LACTANTIVM *q*) extendit imperii Romani adoleſcentiam vſque ad finem belli Punici vltimi: Florus autem *r*) ad Punicum bellum primum. Seneca ſenectutem incipit a bello ciuili Pompeiano: Florus a principatu Auguſti. Vnde patet, hunc illius exemplum quidem fuiſſe imitatum, ſed tamen aliter atque ille ſuam diuiſiſſe hiſtoriam, aliud quoque inſtitutum fuiſſe. *s*) Nomen *Annaeus* indicat originem eius Hiſpanicam: cuius ſuſpicionem quoque luculenta huius regionis laudatio facit. *t*) Fortaſſis etiam ex Senecarum gente fuit: vt haud ab re quidam codices nomen iſtud prae ſe ferant. Scripſit vero hiſtoriam ſuam extremis Traiani temporibus: quod ipſius docemur verbis: *v*) *a Caeſare Auguſto in ſeculum noſtrum haud multo minus anni CC. quibus inertia Caeſarum quaſi conſenuit, atque decoxit, niſi quod ſub Traiano Principe mouet lacertos, et praeter ſpem omnium ſenectus imperii, quaſi reddita iuuentute, reuireſcit.* At inquies, ab Auguſti principatu ad exceſſum Traiani non ſunt anni ducenti, quorum auctor meminit, verum anni tantummodo centum quadraginta tres. Mirum autem quantum hic varient codices, quorum optimi CL. legunt, vt numerum auctor poſuerit rotundum. Atqui facile iſte potuit ab aliis in CC. mutari. *x*) Imo

p) Inſtit. diuin. l. 7. c. 15. *q*) L. c. *r*) In prologo.
s) Confer. VOSSIVS de hiſtor. Latin. l. 1. c. 30
t) Lib. 4. c. 17. & l. 3. c. 22. *v*) In prologo circa fin.
x) Vid. etiam VOSSIVS l. c.

Imo noſter etiam Hadriani temporibus vixiſſe videtur, et facilis coniectura eſt, eundem fuiſſe Florum poetam, qui, AELIO SPARTIANO teſte *y*) ad Hadrianum Imperatorem ſcripſerat:

Ego nolo Caeſar eſſe,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

Reſponſum vero cepit:

Ego nolo Florus eſſe,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Annaeus certe Florus hic a Chariſio vocatur: et ipſe huius auctoris ſtilus poeticam venam vbique ſpirat.

§. LXXII.

Scripſit epitomen de geſtis Romanorum, ſiue *rerum Romanarum libros IV.* ab vrbe condita vſque ad Iani templum ſub Auguſto prima vice clauſum. Fuerunt qui Florum in hiſtoria ſua voluiſſe Liuii epitomen concinnare putarunt, adeo vt aliquando veniat ſub titulo hoc: *Flori epitomata quatuor quam cultiſſima in X. T. Liuii decades.* Sed falluntur, et ſi qui ſunt, qui epitomen hiſtoriae Romanae Florum ſcripſiſſe aiunt, nihil minus innuunt, quam hoc opus eſſe breuiarium Liuii, a quo ſaepius ipſe recedit, atque plane diuerſam ſententiam fouet. *z*) Epitome autem vocatur, quia laxioris operis ſit compendium et quaſi ἀνακεφαλαίωσις; vel ideo, quod P. R. res geſtas velut in tabella lectoribus ob oculos ponat. In recenſione vero iſtarum ni-

y) Hadrian. cap. 16.
z) Vid. VOSSIVS de hiſt. Lat. l. 1. c. 30. LIPSIVS in electis l. 2. c. 5.

mius et facilis eſt eo uſque, vt inter ſcriptores Romanos panegyriſtae potius quam hiſtorici nomen ſibi vindicare, et bella non tam narrare, quam perpetuum victoriarum paeana decantare ſummis criticis videatur. In temporum ratione tam negligens eſt, vt ſaepius illum hallucinari oporteat, qui erroris incautus hunc ducem ſequi cupit, neque illius, vt multos committit metachroniſmos aut prochroniſmos animaduertit. In locorum quoque ſitu et rerum geſtarum narratione Florus noſter non ſemel ſatis grauiter impingit. E. gr. Capuam annumerat vrbibus Italiae maritimis. Falernum et Maſſicum montem commemorat tanquam duos diuerſos, cum vnus idemque mons ſit. Vulgo huic Floro tribuuntur etiam ſingulorum fere Liuii Patauini hiſtorici librorum argumenta, quae hodie exſtant, etiam illorum, qui dudum periere. Sed fieri facile potuit, vt quam ipſe Liuius ſcriptorum prolixiorum dedit, epitomen adſcriberent Floro, eandemque confunderent cum illius hiſtoriae Romanae compendio, quod nonnulli etiam pro quadam Liuii epitome habuerunt. *a*) Res quoquo modo ſeſe habeat, ſiue a Liuio, ſiue a Floro, ſiue ab alio quodam breuia haec ſingulorum librorum argumenta ſint conſcripta: breuiter inde poſſumus, quid in quoque libro contineatur, cognoſcere, et qui Liuiani libri intercidiſſent, et quantum in iis amiſſis detrimenti eſſet acceptum ſatis intelligere: vt ad Romanas res illuſtrandas ſint accommodatiſſima, praeſertim vbi Liuiana hiſtoria excidit. Atque etiam hac ratione Liuianam auctoritatem obtinere debent. Vossivs

a) Confer. diſſert. noſtra de virili aetate Latinae linguae part. II. cap. 4. §. 47. p. 252.

SIVS *b*) etiam Floro tribuit tragoediam, quae Octauia inſcripta et Senecae tributa eſt.

§. LXXIII.

Non ea in Floro dictionis caſtitas eſt, quae in ſcriptoribus ſeculi Auguſtei, cum Latina lingua in perfectione ſua ſubſiſteret, a ſummo flore in peius mox reuerſura, vt ſeneſcere videretur. Sunt temporibus, ſunt et linguis artibusque periodi: vt fruſtra aetatis cuiuſcunque ſcriptores ad Ciceronis et optimi illius ſeculi genium exigere inſtituamus. Neque adeo mirum cuiquam videri poteſt, ſi Latinitatis defectus quidam in deterioris aeui ſcriptoribus obuenit; neque tanta in illis enitet orationis caſtitas atque nitor, vt in optimis aetatis optimae auctoribus obſeruare licet; cum nondum eſſent a declamatoribus corrupti. Sic et illi facile, qui in optimorum lectione ſunt diu verſati et quaſi imbuti, vt veram dicendi viam teneant, in Floro paſſim inuenient quae aures adeo religioſae atque teretes aegre ferunt. Non negamus poetica in hoc ſcriptore eſſe plurima, quae ab hiſtoricis non recte vſurpantur. Non negamus, illum aliquando ſtilum affectare ſublimiorem, cuius vim non aſſequitur, vt non raro in meteoris haereat. Sed vitia haec habet ſui ſeculi cum aliis ſcriptoribus communia: quae notare, ac melioribus imbuti ſuis auctoribus relinquere poſſumus. Noſter vero etiam ſua vitia non vna virtute compenſare ſolet: vt non facile quemquam lectionis poeniteat, neque periculum ſit, vt optimo dicendi charactere innutritus a vitioſis ſana diſcernere nequeat. Iniurius nimis eſt in Florum MORHOFIVS *c*) vbi *dictionem*, inquit, *ſi ſpectes, ad aetatem ferream referendus videtur, adeo multa in illo ſunt*

b) De hiſt. Lat. l. 1. c. 30. *c*) Polyhiſt. liter. l. 4. c. 13. §. 6.

ſunt non tantum non Latine, ſed etiam ſtulte dicta. Eſt enim in illo neſcio quae ventoſa et panegyrica loquacitas, metaphorae ineptae et pueriles: vt adeo peſſime faciant, quotquot ipſum ad Latinitatem tironibus commendant. Eſt tamen hiſtoriae Romanae non inutile compendium, cuius iacturam facilius ferremus, ſi Liuium haberemus integrum. Neque multo iuſtior GRAEVIVS *d*) cui ſunt in Floro paſſim multa in ſententiis atque in verbis κακόζηλα, inſana, etc. Prolixe dictionem eius audaciorem, frigidas argutias atque errores plurimos reprehendit. LAVRENTIVS BEGERVS vero *e*) apologiam pro Floro aduerſus Graeuium ſcripſit, atque loca vindicare inſtituit, quae vt cenſoria virgula notentur eſſe digna videbantur. *f*) Ideoque a PETRO BVRMANNO *g*) acerbius perſtringitur: et eum ex voto *h*) ſuae cauſſae oratorem obtinuit, qui Graeuii famam, qui Graeuii magnitudinem amare tot monumentis publice teſtatus eſt. Minus acerbum ac pene amicum Florus habuit BORRICHIVM *i*) qui eum ait ſcripſiſſe diſerta quidem et arguta dictione, ſed quae ſaepe poetae, ſaepe declamatori conuenientior eſt, quam hiſtorico: ita ſolenne ei ſententias acumine claudere, et ſplendoris magis, quam veritatis temporum rationem habere. Quod minus adeo mirandum, ſi, quod BEGERVS habet *k*) Flori propoſitum

d) In praefatione Flori editioni ſuae, quae nitidiſſima eſt, praefixa.

e) In prolegomenis ad ſuam Flori editionem.

f) Vtraque epiſtola exſtat in GRAEVII praefationibus et epiſtolis a FABRICIO collectis pag. 72. ſeqq. et pag. 87. ſeqq. et omnino conferri meretur.

g) In notis ad Petronium pag. 119. et 451.

h) Vid. Begeri apologia apud FABRICIVM l. c. pag. 90.

i) Conſpect. ſcript. p. 73. *k*) L. c. p. 89. 90.

ſitum non fuit, ſimplicem ſcribere hiſtoriam; ſed populo Romano ſimul panegyricum dicere. Ita vero perit hiſtorici maxima virtus: atque dictio ipſius fidei haud parum derogat. Sed de erroribus hiſtoricis quaedam a nobis ſuperius notata fuerunt. Quamuis ego non negarim, in Floro eſſe multa declamatoria, et fere poetica, quippe qui non raro Virgilii hemiſtichia profundit, et conſuetudinem teſtatur hominis in ligata oratione haud infeliciter verſati, vt Voſſius, Salmaſius, Cellarius et alii obſeruarunt: mihi tamen Flori ſtilus pro temporis illius vſu ac ratione videtur ſatis elegans atque diſertus, et ſi frigidius dicta, quae paucula ſunt, exceperis, vere floridus eſſe. Ita quoque LIPSIVS *l*) ſentit, et *Florus compendium*, inquit, *non tam Liuii, a quo ſaepe diſſentit, quam rerum Romanarum ſcripſit, ſi quid mei iudicii eſt, compoſite, diſerte, eleganter. Subtilitas quidem et breuitas in eo ſaepe mira; et ſententiarum quaedam gemmulae cum iudicio inſertae et veritate.* A IVLIO CELSO *m*) *breuis hic et comtus hiſtoricus* vocatur. Eam vero breuitatem alii huic ſcriptori vitio vertunt. Sic CLAVDIVS VERDERIVS: *Florus breuitate ſua ſe implicat potius, quam explicat, cuius opera multi libri periere; ſcelus laqueo dignum.* Quam quidem cauſſam aduerſus iſtum LAVRENTIVS BEGERVS *n*) optime perorauit: qui fruſtra κακοζηλίας vitium quoque abſtergere omni conatu, fortaſſis ex nimio Flori amore ſtudet. Neque ſupra citatum Lipſii de Floro teſtimonium: omni affectationis ſuſpicione iſtum liberare poteſt:

l) Elect. l. 2. c. 5. *m*) In edit. Graeuii p. 118.
n) L. c. pag. 88.

Digitized by Google

poteſt: quoniam eodem ipſe malo laborat: vt ſtilus varie infectus atque ſententiis luxurians a criticis quotidie nec immerito accuſari videatur. Loca inuenies paſſim, quae, ſi modo vera lectio, ab nemine probari facile poterunt. Sunt hiſtorico certe indigna, et quae lectoribus caſtiori lingua inſtitutis ad maximam vſque nauſeam diſplicent. Exempli gratia, notante Graeuio, de Gallis, qui Romam incenderant, ſcribit: *n*) illos ſubito Camillum a tergo aggreſſum adeo cecidiſſe, *vt omnia incendiarum veſtigia Gallici ſanguinis inundatione deleret.* De Decimo Bruto ita: *o*) *peragratoque victor oceani littore, non prius ſigna conuertit, quam cadentem in maria ſolem, obrutumque aquis ignem, non ſine quodam ſacrilegii metu et horrore deprehendit.* De ingentibus Antonii nauibus *p*) *ad hoc turribus atque tabulatis alleuatae caſtellorum et vrbium ſpecie, non ſine gemitu maris, et labore ventorum ferebantur, quae quidem ipſa moles exitio fuit.* Rurſum: *q*) *commiſſam aciem* (Hannibalis et Flaminii ad Thraſimenium lacum) *ſecutus ingens terrae tremor: niſi illum horrorem ſoli equitum virorumque diſcurſus et mota vehementius arma fecerunt.* Porro: *r*) *vlterius iiſſet, niſi improbam claſſem naufragio caſtigaſſet oceanus. Reuerſus igitur in Galliam, claſſe maiore, auctisque admodum copiis, in eundem rurſus oceanum, eoſdemque rurſus Britannos —— cum maiore quam prius praeda reuectus eſt, ipſo quoque oceano tranquillo magis et propitio, quaſi imparem ſe fateretur.* Cum Mithridatis lacerata eſſet claſſis, inepte ſubiungit: *s*) *plane quaſi Lucullus quodam cum fluctibus procellisque commer-*

n) Lib. 1. c. 13. *o*) Lib. 2. c. 17. *p*) Lib. 4. c. 11.
q) Lib. 2. c. 6. *r*) Lib. 3. c. 10. *s*) Lib. 3. c. 5.

commercio, debellandum tradidiſſe Regem ventis videretur. Sic paſſim alibi. Multa in verbis et dictionibus eſſe maculoſa quoque Graeuius notauit, ac inter alia perſibilat, *nouum ad victoriam iter ſanguinis ſui ſemita aperire: t) Gallis quaſi cote quadam populus R. ferrum ſuae virtutis acuebat: v) Fretum adoleſcentiae: x)* et ſimilia. Tantum a ſublimitate tumor abeſt, tantumque diſtant aera lupinis. Sed totus ideo Florus abiiciendus non eſt. Sunt mala et in aliis plerumque mixta bonis. Ad comparandam Latinae linguae facultatem aptiores ſunt ex optima eius aetate Scriptores plurimi, qui contra blandos aeui ſequioris errores nos facile munire poſſunt. Salua dictione Latina, meliorem vix habemus, qui compendio breui, ac velut in vna tabella, ortum atque proceſſum reip. Romanae repraeſentat.

§. LXXIV.

Cum artes reſtaurentur bonae, atque typis recens inuento more auctores ad promouendas literas cateruatim in lucem prodirent: L. Annaeus Florus noſter primum vulgatus eſt *Pariſiis* 1470. 4.

§. LXXV.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto Florus prodiit *Venetiis* 1521. apud Aldum cum Polybio e verſione Perotti. *Mediolani* 1510. fol. apud Leonhardum Vegium, cum Iuſtino et Sexti Rufi libello. *Pictauii* 1554. et 1563. 4. cum notis Eliae Vineti. *Pariſiis* 1539. 4. cum notis Iohannis Camertis. 1545. 4. 1560. 12. *Antwerpiae* 1564. 8. cum Ioh. Stadii notis. *Lipſiae* 1512. fol. *Coloniae Agripp.* 1583. 8. cum notis Ioh. Stadii. 1592. 8. *Francofurti* 1588. fol. tom. 1. ſcriptorum hiſtoriae Romanae

t) Lib. 1. c. 14. v) Lib. 2. c. 3. x) Lib. 1. c. 26. circa fin.

manae cum Frid. Sylburgii notis. *Moguntiae* 1551. 8. cum notis Ioh. Camertis. *Heidelbergae* 1597. 8. cum Iuſti Lipſii et Iani Gruteri notis. *Baſileae* 1529. 8. 1532. folio. et 1557. 8. cum notis Iohannis Camertis.

§. LXXVI.

Seculo decimo ſeptimo Flori hiſtoriam Romanam ediderunt *Pariſiis* 1674. 4. in vſum Delphini, accurante Anna Tanaquilli Fabri filia. *Lugduni* 1606. 8. cum notis Eliae Vineti, Ioh. Camertis, Iuſti Lipſii et Iani Gruteri; epitome quoque Liuii cum notis Caroli Sigonii et Martini Delrii. *Londini* 1692. 8. in vſum Delphini cum interpretatione et notis Annae Tanaquilli Fabri filiae. *Amſtelodami* 1664. 12. ex officina Elzeuiriana cum variis lectionibus ex notis Gruteri, Salmaſii, Vineti et aliorum. 1672. 8. ex officina Elzeuiriana cum notis variorum. 1672. 12. cum Ioh. Iſaaci Pontani notis. 1692. 8. ex officina Wetſteniana cum integris Cl. Salmaſii, longe auctioribus Graeuii, Freinshemii plerisque, et ſelectis Ioh. Camertis, Ioh. Stadii, Eliae Vineti, Iani Gruteri, Ioh. Iſaaci Pontani, Chriſtophori Adami Ruperti et aliorum notis, iconibus et monumentis ex Vltraiect ina Graeuii, et indice Freinshemiano. *Roterodami* 1664. et 1670. 12. cum notis Minellii. *Lugduni Batauorum* 1632. 12. cum Vell. Paterculo, Aurelio Victore, Rufo Feſto, Meſſala Coruino, Eutropio, Caſſiodoro ex recenſione M. Z. Boxhornii. 1638. 12. et 1655. 8. cum Cl. Salmaſii notis, quas iam tum anno 1609. vix quatuordecim annos natus vulgauerat. Accedit Luc. Ampelii liber memorialis. 1648. 8. cum notis variorum curante Nicolao Blanccardo. 1657. 12. ex officina Elzeuiriana. *Vltraiecti* 1680. 8. cum variis nummorum et veterum monumentorum iconibus et obſeruationibus, curante

rante Ioh. Georgio Graeuio. *Franequerae* 1690. 4. cum notis Cl. Salmaſii et aliorum. *Norimbergae* 1659. 8. cum Chriſtophori Adami Ruperti notis. *Neomagi* 1662. 8. curante Rutgero Hermannide. *Heidelbergae* 1609. 12. cum Iani Gruteri et Cl. Salmaſii tum adoleſcentuli notis. *Argentorati* 1632. 1636. et 1655. 8. curante Ioh. Freinshemio, cum notis, chronologia et indice. *Geneuae* 1684. 12. cum notis philologicis et hiſtoricis Dauidis Conſtantii: quibus excerpta chronologica accedunt. *Hafniae* 1700. 8. cum notis ad modum Minellii.

§. LXXVII.

Noſtro ſeculo videmus Florum eſſe vulgatum *Londini* 1715. 8. cum Lucii Ampelii libro memoriali. *Amſtelodami* 1702. 8. cum notis variorum, curante Graeuio. *Lugduni Batauorum* 1722. 8. cum notis variorum Dukeri opera collectis. *Berolini* 1704. folio cum luculentiſſimo Laurentii Begeri commentario critico atque hiſtorico, pulcherrimo quoque nummorum ac veterum monumentorum apparatu. Sed nondum integer eius prodiit Florus: editis enim prioribus duobus libris, clariſſimus Auctor 1705. fatis conceſſit. *Lipſiae* 1704. et 1718. 12. cum notis Chriſtiani Iunckeri ad modum Minellii.

§. LXXVIII.

SEXTVS IVLIVS FRONTINVS vir conſularis ab AELIANO *y*) vocatur et eius aequalis, vnde facile aetas illius intelligi poteſt. Scribit enim ad Diuum Hadrianum praefatione: *cum ad diuum Neruam patrem tuum ſalutandi viſendique gratia Formias veniſſem, diesque*

 non-

y) De inſtruendis aciebus, praefat. ad D. Hadrianum Caeſarem et cap. I.

nonnullos apud Frontinum, virum conſularem inſignem, et rei militaris peritum, diuerterem: intellexi ſane, non minus ſtudii ab eo ipſo Graecae impendi, quam Romanae ſcientiae militari etc. Rurſum capite operis primo: *de Homerica diſciplina armorum legimus opera Stracloclis, Herminae, et Frontini noſtrae aetatis viri conſularis.* In nullis tamen faſtis, aut conſulum ſerie, Frontini legimus fieri mentionem: vnde coniicimus, eum ex conſulibus fuiſſe, in demortui locum ſuffectis. In pretio fuiſſe temporibus Neruae ac Traiani imperatorum abunde conſtat. Neruae iuſſu, de aquae ductibus ſe agere, in praefatione libelli, ipſe teſtatur. Nec alium deſignat, quam Traianum imperatorem, in prologo libelli de agrorum qualitate, et controuerſiis limitum, vbi de maximo imperatore loquitur, *qui victoriam Dacicam proxime reſeraſſet.* Etiam Traiano dilectum fuiſſe, VEGETIVS z) diſerte ait. *Vnius aetatis ſunt*, inquit, *res, quae fortiter fiunt: quae vero pro vtilitate reip. ſcribuntur, aeterna ſunt. Idem fecerunt alii complures; ſed praecipue Frontinus, diuo Traiano ob eiuſmodi comprobatur induſtriam. Horum inſtituta, horum praecepta, in quantum valeo, ſtrictim fideliterque ſignabo.* Anno primo Veſpaſiani, ab V. C. IↃCCCXXII. ipſo imperatore ſecundum cum Tito conſule, praetor vrbanus fuit: quam dignitatem, eo eiurante, Domitianus cepit. *a*) Veſpaſiano Britanniam recuperante, Frontinus proconſulari poteſtate in Britannia, quantum quidem licebat, validam atque pugnacem Silurum gentem armis ſubegit; ſuper virtutem hoſtium locorum quoque difficultates eluctatus. *b*) Inter

z) De re militari lib. 2. c. 3. *a*) TACITVS hiſt. lib. 4. cap. 39.
b) TACITVS Agricolae vita cap. 17.

Digitized by Google

ter alia grauiſſima munera et auguratum geſſit, quod ſplendidum ſacerdotium non niſi viris ſummis conferri ſolebat, nec, vt priſcum et religioſum, adimebatur viventi. Deceſſit tandem ſub Traiano imperatore, et in auguratu ſucceſſorem C. Plinium iuniorem habuit, qui hoc ſibi inprimis gratulabatur, quod ſucceſſerit Iulio Frontino, principi viro: poſteaquam ſe a nominationis die per aliquot annos inter ſacerdotes nominarit, quaſi in locum eius ſe cooptarit ipſe. *c*) Defunctus vir tantus monumentum ſibi vetuit exſtrui, dixitque: *impenſa monimenti ſuperuacua eſt; memoria noſtri durabit, ſi vita meruimus. d*) Nec eum fefellit opinio; ſupereſt ad nominis immortalitatem, quod ſuis ſibi meritis laboribusque exantlatis erexit, monumentum aere perennius. Docta viuit in ore virum. Etiam effigies Frontini manet ex nummo Smyrnaeorum apud SPONIVM *e*) atque GRONOVIVM: *f*) ſuaque tot ſeculorum interuallo virtutis gloria gaudet. Quamuis quod ad Frontini effigiem, nummis impreſſam, attinet, non adeo certum, auctorem ſignificari noſtrum: quod proconſul non fuiſſet auſus effigie ſua ſignare nummum. Et apud VAILLANTVM Stadiani extat nummus, in quo Frontini Fuſci nomen occurrit ita: ΕΠΙΣΤΡΑΤ. ΦΡΟΝΤΕΙΝΟΥ. ΦΟΥΣΚΟΥ. *g*)

§. LXXIX.

Ex dictis facile patet, longe diuerſum, et fortaſſis aucto-

c) Vid. PLINIVS lib. 4. epiſt. 8.

d) PLINIVS lib. 9. epiſt. 19. *e*) Miſcell. pag. 140.

f) Theſauro antiq Graec. tom. 3. num. 71. Vide etiam numiſmatum antiquorum ſyilogen Londini 1708. 4. editam pag. 10, vbi idem nummus, qui a Sponio affertur.

g) Confer. FABRICII bibl. Lat. vol. 2. pag. 737.

auctoris noſtri libertum, fuiſſe Iulium Frontinum rhetorem, qui Alexandrum Seuerum imperatorem arte dicendi inſtituit. *h*) Et fallitur GADDIVS, *i*) qui rhetorem hunc ſtrategematum auctorem habuit. Neque cum Frontonibus noſter confundendus eſt, qui plures fuere: vtut IOH. ALB. FABRICIO, *k*) qui ad LVCIANVM *l*) prouocat, quam lubentiſſime concesſerim. Frontonis et Frontini nomina non adeo religioſe cuſtodita ſemper videri. Nec ipſum Iulium Frontonem apud TACITVM *m*) affirmarit quiſquam, et Frontinum conſularem virum noſtrum ſtrategematum auctorem eundem fuiſſe. Equidem mihi certo perſuadere non poſſum, totinter Frontones, illum Frontinum eſſe noſtrum quem MARTIALIS *n*) *clarum militiae* vocat *togaeque decus:* multo minus illum, de quo idem, *o*) cum ſe negarit, Stoicorum more, vnquam moueri, vrcei tamen ficto colore captum:

Hic tibi, inquit, *donatur panda ruber vrceus anſa:*
Stoicus hoc gelidam Fronto petebat aquam.

Sed procul dubio noſtrum intelligit Frontinum, *p*) vbi:

De Nomentana vinum ſine fece lagena,
Quae bis Frontino conſule plena fuit.

Huius enim et alio epigrammate *q*) ſtuduit conciliare beneuolentiam, et

Per

h) Vid. AELIVS LAMPRIDIVS Alexandri Seueri cap. 3.
i) De ſcriptoribus non eccleſiaſticis tom. 1. pag. 195.
k) Bibliotheca Latina l. 2. c. 19. vol. 1. pag 457.
l) De ſcribenda hiſtoria tom. 1. pag. 616. edit. Amſtel.
m) Hiſt. lib. 1. cap. 20. et lib. 2. cap. 26.
n) Lib. 1. epigr. 56. *o*) Lib. 14. epigram. 106.
p) Lib. 10. epigr. 48. *q*) Lib. 10. epigr. 58.

Per veneranda, inquit, *mihi Muſarum ſacra, per omnes*
Iuro Deos, et non officioſus amo.

i. e. amo te, quod ſacramento affirmare poſſem, etiamſi non ceremoniis amorem vſque peculiarem prae me feram.

§. LXXX.

Scripſit (*a*) *ſtrategematicon*, ſiue de ſtrategematis, i. e. de ſolertibus ducum Graecorum, Romanorum, et aliorum in bello factis et dictis libros IV. Tres primum operis conſtituit libros, quibus deinde quartum adiunxit, quaſi diuerſum de *diſciplina* militari opuſculum. De tribus libris fidem facit ipſius viri conſularis praefatio: vbi inter alia, *noſtra ſedulitas*, inquit, *impendet operam, vt quemadmodum res poſcet, ipſum quod exigitur, quaſi ad interrogatum exhibeatur: circumſpectis enim generibus, praeparaui opportuna exemplorum veluti conſilia. Quo magis autem diſcreta ad rerum varietatem apte collocarentur, in tres libros ea deducimus. In primo erunt exempla, quae competant proelio nondum commiſſo. In ſecundo, quae ad proelium, et confectam pacationem pertineant. Tertius inferendae ſoluendaeque obſidionis habebit* στρατηγήματα, *quibus deinceps generibus ſuas ſpecies attribui.* Quarto libro praefatur ab exordio ita: *multa lectione conquiſitis ſtrategematibus, et non exiguo ſcrupulo digeſtis, vt promiſſum trium librorum implerem, ſi modo impleui: hoc exhibebo ea, quae parum apte deſcriptioni priorum ad ſpeciem alligata ſubiici videbantur: et erant exempla potius ſtrategicon r) quam ſtrategemata. Quae idcir-*

r) Diſciplinae militaris.

idcirco ſeparaui etc. Neque confundendus eſt hic liber cum alio auctoris noſtri (*b*) *de ſcientia militari*, quem ante libros ſtrategematum ad Traianum ſcripſit. Hoc enim ipſius verba praefatione de ſtrategematis haud obſcure innuunt: *cum ad inſtruendam rei militaris ſcientiam, vnus ex numero ſtudioſorum eius acceſſerim, eique deſtinationi, quantum cura noſtra valuit, ſatisfeciſſe viſus ſim: deberi adhuc inſtitutae arbitror operae, vt ſolertia ducum facta, quae a Graecis vna* στρατηγηματικῶν *appellatione comprehenſa ſunt, expeditis amplectar commentariis.* Illorum vero quicquid fuit, temporum iniuria periit. STEWECHIVS *s*) quidem hoc opus de re militari, cuius ſupra mentionem fecimus, quartum eſſe opinatur de ſtrategematis librum: ſed VOSSIVS *t*) plane diuerſum eſſe oſtendit. Prodierunt ſtrategemata Frontini *Romae* 1494. *Bononiae* 1495. ex caſtigatione Philippi Beroaldi. *Pariſiis* 1513. cum Vegetio ac Solino. *Coloniae* 1532. 8. ex officina Eucharii Ceruicorni, cum Flauio Vegetio de re militari, Aeliano de inſtruendis aciebus, et Modeſto de vocabulis rei militaris. 1580. 8. cum notis Franciſci Modii Brugenſis. *Baſileae* 1555. fol. curante Ioh. Heroldo, vna cum Valerio Maximo et aliis exemplorum ſcriptoribus. *Lugduni Batauorum* 1592. 8. et 1607. 4. cum Franciſci Modii notis et Godeſchalci Stewechii coniectaneis. 1644. 12. cum notis Petri Scriuerii, inter alios rei militaris ſcriptores, Vegetium, Aelianum et Polybii de caſtrametatione Romanorum eclogam. 1675. 12. cum Sam. Tennulii notis. *Veſaliae Cliuiorum* 1670. 8. cum Fr. Modii notis et Godeſchalci Stewechii coniectaneis. Scripſit por-

s) Ad Veget. l. 2. c. 3. *t*) De hiſtoricis Latinis lib. 3. part. 4. cap. 1.

porro (*c*) *de aquae ductibus vrbis Romae*, cum aquarum officium illi a Nerua imperatore eſſet iniunctum. Commentariolum hunc nobis aetatem inuidiſſe, BALTHASAR BONIFACIVS *v*) dolet immerito. Extat enim, et cum aliis Frontini operibus etiam nitide impreſſus et emendatus legi poteſt. Sunt libri duo, quos POGGIVS in deſcriptione ruinarum vrbis Romae teſtatur, ſe in monaſterio Caſinenſi abſconditos reperiſſe. Aliquoties vna cum Vitruuio, ex Iocundi Veronenſis caſtigatione, prodierunt *Florentiae* 1513. et 1522. 8. *Argentorati* 1543. 4. *Pariſiis* 1588. 8. cum Onuphrii Panuinii commentariis de rep. Romana et Ioh. Obſopoei notis. *Patauii* 1722. accurante Iohanne Poleno. Habes etiam Sexti Iulii Frontini de aquae ductibus vrbis Romae libros duo cum Roberti Keuchenii notis apud Graeuium theſaur. antiquitatum Romanarum tomo IV. Habentur et inter ſcriptores agrimenſorios, qui *Pariſiis* prodierunt 1554. 4. Frontini (*d*) *de agrorum qualitate*, ſiue expoſitio formarum ad Celſum Peneſtum; (*e*) *de limitibus agrorum*; (*f*) *de coloniis*: alii libelli, quorum fides nobis valde ſuſpecta.

§. LXXXI.

Strategematum libris ex quibuſcunque hiſtoriis exempla collegit virtutis militaris, in certos locos digeſta; pari modo vt Valerius vitae ciuilis facta dictaque memoratu digna reliquit. Sunt ergo eius opera vt rerum varietate et copia, et ſerie temporum ordinatiſſima, ſe commendant, non ſine magna vtilitate legenda. Praeſertim ex illis plurimum frugis redundat in eos, qui exercitus ducunt atque cum

 impe-

v) De quadraginta Romanae hiſtoriae ſcriptoribus cap. 12.

imperio ſunt. Nam data quaſi opera copiarum praefectis ſcribit, vt eos vel ad parandas, vel ad euitandas inſidias, ſchola quadam militari praepararet. In ipſa rerum geſtarum enarratione interdum ab aliis ſcriptoribus, dubium errore, an conſilio, diſcrepare videtur.

§. LXXXII.

Stilus in ſcriptis Frontinianis vbique non aequalis eſt. Vnde quidam in iuuenilia, et maturioris aetatis opera diſtinguunt. OLAVS BORRICHIVS *x*) *Frontini*, inquit, *ſcriptum de re militari dictione ignobilius iudicatur, eoque a Scioppio in ferream reiicitur aetatem, ſiue, quod ab eodem admodum adoleſcente, vt Voſſio perſuaſum, compoſitum ſit, ſiue ab infelice ſequioris aeui manu interpolatum.* Quartum intelligit de ſtrategematibus librum, qui, vt ſupra dictum, ab aliquibus habetur pro illo primum edito de re militari opere. Sed contrarium a Voſſio oſtenditur: vt nuſquam illud hodie reperiri putarim. Multa, procul dubio librariorum errore, ſunt inepte repetita; interpolata multa. Dictio facilis et elegans paſſim; alibi vero etiam impedita et vix Latina: adeoque varia, vt vix ſibimet ipſi conſtare videatur. Et hoc inficiari tamen non poſſumus, huic auctori multarum vocum militarium rationes ac interpretationes deberi: quas opera illius deſtituti cognouerimus nunquam. PHILIPPVS RVBENIVS *y*) de libellis aquaeductuum non ſine cauſſa dubitari ait, an eiuſdem ſint Frontini, qui ſtrategemata collegit: quoniam purior et emendatior in illis videatur ſermo.

§. LXXXIII.

Omnia Frontini opera, quae extant, prodierunt *Lugdu-*

x) De auctor. Lat. ling. cogit. pag. 15. *y*) Electorum lib. 2. c. 35.

Lugduni Batauorum 1607. 4. cum Vegetio aliisque rei militaris ſcriptoribus, accurante Petro Scriuerio. *Amſtelodami* 1661. 8. cum variorum et ſuis notis curante Roberto Keuchenio.

§. LXXXIV.

Fuerunt plures alii, qui hac Latinae linguae decreſcente aetate hiſtoricis monumentis inclaruere. Cum vero nihil ad noſtram peruenerit memoriam: et, quoad licuit, notatu maxime digna exhauſerint, qui iam dudum fuerunt in hoc argumento verſati, G. I. VOSSIVS in eruditiſſimo de hiſtoricis Latinis commentario, IOH. HALLERVORDIVS, BERNH. A MALLINCROT, CHRISTOPH. SANDIVS, DEGOREVS WHEAR, IOH. CHRISTIAN. NEV, ceteri, quotquot hiſtoricorum merita enuclearunt: ſufficiat expoſuiſſe notiores, quique claſſicorum nomine vulgo venire ſolent. Et magnitudo voluminis, et feſtinatio exigit, vt quae de philoſophis et huius ſeculi idiotiſmis reſtant, etiam paucis exequamur.

CAPVT X.

De Philoſophis, qui ſeneſcente Latina lingua, ſcriptis ſuis inclaruere.

§. 1.

Philoſophia commendatur. 2. *Philoſophi de lingua et orationis caſtitate parum ſoliciti.* 3. *Aliquando ſe faſtu et ineptiis ſuſpectos de mala mente reddiderunt.* 4. *Et aliorum in ſe commouerunt odia.* 5. *Saniores hoc ſeculo recenſentur, atque in his* 6. *Medicorum Cicero*, AVR. CORNELIVS CELSVS. 7. *Diuerſus ab aliis eius nominis auctoribus.* 8. *Celſi medici merita.* 9. *Scripta ſpuria.* 10. *Ge-*

10. *Genuina.* 11. *Admiratores.* 12. *Calumniatores.* 13. *Praeſtantia.* 14. *Dictio.* 15. *Editiones ſeculi decimi quinti.* 16. *decimi ſexti.* 17. *decimi ſeptimi.* 18. *decimi octaui, recenſentur.* 19. SCRIBONIVS LARGVS *medicus, eiusque merita, et librorum editiones deſcribuntur.* 20. L. ANNAEVS SENECA *philoſophus.* 21. *Eius ſcripta.* 22. *Etiam deperdita.* 23. *Auctoritas.* 24. *Dictio et merita.* 25. *Vtriusque Senecae editiones ſeculo decimo quinto.* 26. *decimo ſexto.* 27. *decimo ſeptimo.* 28. *decimo octauo, recenſentur.* 29. APICII *tres gulae dediti, quorum primus.* 30. *Alter.* 31. *Tertius, recenſentur.* 32. *Apicii nomen a quibuſdam pro communi, non proprio, ſumitur.* 33. *Apicii liber de re culinaria repertus.* 34. *Auctorem agnoſcit eum, quem ſecundo loco nominauimus.* 35. *Diuerſum ab illo, cuius Iuuenalis meminit.* 36. *Apicii ſtilus.* 37. *Libri eorundemque editiones.* 38. COLVMELLA. 39. *Eius libri.* 40. PALLADIVS. 41. *Eius libri.* 42. *Editiones omnium rei ruſticae ſcriptorum, recenſentur.*

§. I.

Philoſophi plures hoc aeuo ac ſemper videri magis, quam eſſe, voluerunt. Philoſophia certe nihil excellentius in orbe: vtpote quae omnium diſciplinarum regina et moderatrix, vitae magiſtra, bonarum artium procreatrix, felicitatis et ſumni boni poſſeſſio, rationis praeſidium atque vnicum, quod mortalibus vbique locorum diuinitus conceſſum, in rebus ſecundis ornamentum, in aduerſis ſolatium: adeo quidem, vt ſine ea, nec orator, nec poeta, nec iure conſultus, nec hiſtoricus, nec artis cuiuſquam profeſſor reperiatur bonus. Sapientiam qui non amat, eum inſanire oportet, ſuoque maximo detrimento caſtra ſtultorum ſequi. Vt omni-

omnipotentis maximi Dei munus eſt, quod viuimus et pluribus diſciplinis artibusque ſumus dociles: ita iuxta Deum philoſophiae opus eſt, quod bene viuimus, ac eruditos inter noſtra nomina profiteri poſſumus. Etſi literae nihil proſunt, ſeculi ſuperantibus vitiis, cuique facilius in philoſophia ſecedere licet, vt in eius quaſi foueatur ſinu, ac tuto verſetur in portu et ſacrario ſuo. Vtraque fortuna ratio, et quae cum illa neceſſario coniuncta eſſe debet, philoſophia nos primum ad immortalis Dei cultum, tum ad modeſtiam, animique magnitudinem erudiuit; ab animo, cuius recte dicitur eſſe medicina, tanquam ab oculis caliginem diſpulit: vt omnia ſupera, infera, prima, vltima, media videre posſimus. Nec immerito MARC. TVLLIVS: *a*) *o vitae philoſophia dux! o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! quid non modo nos, ſed omnino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? Tu vrbes peperiſti, tu diſſipatos homines in ſocietatem vitae conuocaſti. Tu eos inter ſe primo domiciliis, deinde coniugiis, tum literarum et vocum communione iunxiſti. Tu inuentrix legum, tu magiſtra morum et diſciplinae fuiſti. Tu vitae tranquillitatem largita nobis es, et terrorem mortis ſuſtuliſti.* Philoſophum alibi vult CICERO *b*) eſſe eum, qui ſtudeat omnium rerum diuinarum atque humanarum vim, naturam, cauſſamque noſſe, et omnem bene viuendi rationem, tenere; et philoſophiam, cognitionem omnium optimarum rerum, atque in his exercitationem. Vera philoſophia ad morum compoſitionem rectamque inſtitutionem pertinet: *c*) quia virtutum omnium diſciplina eſt, atque in publicis ſimul et priuatis negotiis excellit:

a) Tuſc. 5. *b*) De orat. l. 3.

c) Vid. A. GELLIVS l. 5. c. 1. et l. 10. c. 22.

lit: imo ciuitates et remp. perire adminiſtrat. Hinc VLPIANVS *d*) iureconſultos, qui in nodis controuerſiarum decidendis verſantur, veram tradit philoſophiam profiteri. Sic et apud GELLIVM *e*) Afranius poeta veram ſapientiam opinatus eſt, filiam eſſe vſus et memoriae: vt qui ſapiens rerum humanarum eſſe velit, experientia doctus in rep. verſari conſtanter et aſſidue debeat:

Vſus, inquit, *me genuit, mater peperit memoria:*
Σοφίαν me vocant Graii, vos ſapientiam.

§. II.

Philoſophos non adeo ſolicitos et religioſos fuiſſe Latinitatis cuſtodes: vel inde patet, quod ſibi neſcio quam fingendi et monſtra vocabulorum producendi libertatem arrogabant: vt veritatis et rerum magis, quam verborum viderentur eſſe ſtudioſi. Hinc peculiaris eorum dictio, minus caſta et elegans. Quod nec ipſe diſſimulat SENECA, qui diſerte non verba docet, verum opera philoſophiae tractanda eſſe; *f*) non populare artificium, nec oſtentationi paratum, non in verbis, ſed in rebus conſiſtere; *g*) facere philoſophiam docere, non dicere; *h*) et ludum literarium philoſophorum relinquere, qui rem magnificentiſſimam ad ſyllabas vocent. *i*) Oratio philoſophi qualis eſſe debeat, multis paſſim oſtendit. Inprimis vero notanda epiſtola quadrageſima, qua promti et profuſi ſermonis conſuetudinem negat philoſopho iucundam; grauem et tardam orationem magis intrare et deſcendere. Recte quidem et ſapienter. *Vix*, inquit, *oratori permiſerim talem dicendi*

d) L. 1. de iuſtit. et iure. *e*) Noct. Attic. l. 13. c. 8.
f) Epiſt. 24. *g*) Epiſt. 16.
h) Epiſt. 20. pr. *i*) Epiſt. 72.

tendi velocitatem, irreuocabilem, ac ſine lege vadentem. — — In Graecis hanc licentiam tuleris: nos etiam cum ſcribimus, interpungere conſueuimus. Cicero quoque noſter, a quo Romana eloquentia extitit, gradarius fuit. Romanus ſermo magis ſe circumſpicit, et aeſtimat, et praebet aeſtimandum. Fabianus vir egregius et vita, et ſcientia, et quod poſt iſta eſt, eloquentia quoque, diſputabat expedite magis, quam concitate: vt poſſes dicere, facilitatem eſſe illam, non celeritatem. Hanc ego in viro ſapiente recipio, non exigo, vt oratio eius ſine impedimento exeat: proferatur tamen malo, quam profluat. Cum vero peculiares et prope a ciuitate Romana abhorrentes fingerent ſibi dictiones aſſidue; quamuis nolit a rebus ſtudium transferendum eſſe ad verba; *k*) ipſe veritus eſt vulgari modo cum iſtis loqui. Sic verbi gratia, *expedire me poteram*, inquit *l*) *ſi philoſophorum lingua vti voluiſſem, vt dicerem* VNITA *corpora.* Ser. Flauius Fabianus, cum philoſophiam ciuitate donare vellet, vocabula multa nouauit. Neque enim aliter fieri poterat, cum in Graeco quoque ſermone veteres illi procudere multa neceſſe habuerint. Putabatur is primus, quam Graeci οὐσίαν dicunt, eam Latine *eſſentiam* nominaſſe. Ita certe QVINTILIANVS *m*) credidit, qui cum *rhetoricam* a quibuſdam Latine loquentibus *oratoriam*, aut *oratricem* vocari dixiſſet: et *haec*, inquit, *interpretatio non minus dura eſt, quam illa Flauii* ESSENTIA *atque* ENTIA. Idem; *n*) οὐσίαν, *quam Flauius eſſentiam vocat, neque ſane aliud eſt eius nomen* Lati-

k) Epiſt. 40. extr. *l*) Quaeſt. natur. l. 2. c. 2.
m) Inſtit. orat. l. 2. c. 14. *n*) L. c. l. 3. c. 6.

Latinum. Rurſum: *o*) *multa ex Graeco formata noua, ac plurima a Ser. Flauio, quorum dura quaedam admodum videntur, ut* ENS *et* ESSENTIA, *quae cur tantopere aſpernemur, nihil video.* etc. Primus quidem, vt alibi diximus, *p*) eam vocem finxerat Cicero: ſed quod Flauius eam primus vſu triuiſſet, et quod alias multas fabricatus eſſet; illius quoque origo ad eum referebatur.

§. III.

Faſtu et ineptiis pleni ſophiſtae plurimi ſine re iactant ſapientiae ſtudium ac philoſophi volunt videri, vt maiorem ſibi gloriam, humani certe aliquid fauoris et neſcio quam inter mortales auctoritatem nanciſcantur. Vel quotus quiſque philoſophorum inuenitur, qui ſit ita moratus, vt diſciplinam, non oſtentationem ſcientiae, ſed legem vitae putet; qui obtemperet ipſe ſibi, ac decretis ſuis? Videre contra licet plurimos, cum quorum vita valde pugnat oratio: quod quidem, vt non poteſt non eſſe euidens, turpiſſimum eſt, ac alios longe ſaniores auertit. Ecquis ſequeretur philoſophos, qui ſibimet ipſis non ſapiunt, eaque leuitate et iactantia peragunt omnia, vt iis fuerit nihil didiciſſe melius. Adulatores videbis alios, plurimos gloriae inanis et pecuniae cupidos, multos libidinum ſeruos, gulae deditos: cum vitiorum et peccatorum omnem a philoſophia profiteantur ipſi petendam eſſe medicinam, qua ſine nec ſanum fore animum. Quandoquidem vero perſuaſio ſcientiae decipit multos: vt qui ſibi videntur ſapere, aut aliis videri volunt, ſtulti facti ſint, atque ſtuduerint alii excellere aliis pertinaciter: excitarunt haereſes ac pe-

o) Lib. 8. c. 3. *p*) De virili aetate Lat. linguae part. 1. c. 1. §. 34. et part. 2. c. 2. §. 27. Confer. SENECA epiſt. 58.

ac peculiares doctrinas in philoſophia, quas vulgo dicimus ſectas, et animi aliquando feruore maximo propoſitas inter ſe defenderunt acriter. Tantus pleroſque ſui ipſius amor cepit; tanta ſuperbia occupauit; tantaque fuerunt, cum dicta cuique ſua maxime pulchra videantur, partium ſtudia: vt non de veritate, ſed de inani gloriola et quaeſtionibus incertis vel inſanis contendere fuerint deprehenſi. Ita nec pallium tegere potuit malitiam; nec barba fingere ſapientiam hominibus, de vitiorum longe maximorum turpitudine haud immerito ſuſpectis: cum et ipſo, quem prae ſe ferunt, rerum humanarum contemtu profundiſſima lateat arrogantia; et nutriatur ad nefarios conatus peſtifera temeritas. Id genus hominum philomoros et ſtultos dixeris, non philoſophos atque ſapientes. Hinc Attici nihil lubentius fecerunt comici, quam vt philoſophorum diſciplinas et inſtitutionem in ſcena traducerent, et populo propinarent ridendam. Id quod ex ARISTOPHANIS dramatibus, DIOGENIS LAERTII philoſophorum vitis atque dogmatibus, et ATHENAEI Deipno ſophiſtis, abunde patet. Maximorum philoſophorum vitia ex fontibus illis PETRVS GREGORIVS THOLOZANVS *q*) notat. Ex Stoicorum ſecta hoc aeuo Romae grauiſſimus morum cenſor fuit Seneca: atqui Suillus *r*) non veretur illi exprobrare, quod cum Agrippina, et Germanici filia, et matre Neronis, rem haberet: qua de re tandem etiam reus factus eſt. Refert DIO CASSIVS *s*) quoque, Senecam, ſtudiis ſapientiae eminentiſſimum ſui ſeculi, inſimulatum adulterii cum Iulia M. Vicinii

Ii ii 2 vxore

q) De republica lib. 17. cap. 7.

r) Apud TACITVM annal. lib. 13. *s*) Lib. 60.

vxore, Germanici et Agrippinae filia, confictis in illam a Meſſalina criminibus: vnde et pulſus erat in exilium, donec ei Agrippina reſtitutionem impetrauit. *t*) Addit XIPHILINVS ex Dione, aliter Senecam egiſſe, quam diceret, ſcelerum refertiſſimum et impulſorem, vt Nero matrem necaret, quacum ipſe conſuetudinem haberet, conſpiratorem contra Neronem cum Rufo praefecto praetorii: vnde miſſo ſanguine mori coactus eſt. Contra quam ipſe *v*) monuit: *facere docet philoſophia, non dicere: et haec exigit, vt ad legem ſuam quiſque viuat, ne orationi vita diſſentiat, vt ipſa inter ſe vita vnius coloris ſit.* Agnoſcit multorum ſcholas eſſe diuerſoria otii: *x*) atque hinc inuidioſum philoſophiae nomen: *y*) *aſperum*, inquit, *incultum et intonſum caput, et negligentiorem barbam, et indictum argento odium, et cubile humi poſitum, et quicquid aliud ambitionem peruerſam ſequitur, deuita. Satis ipſum nomen philoſophiae* (*etiamſi modeſte tractetur*) *inuidioſum eſt.* Et Macedo philoſophus, apud GELLIVM, *z*) ſcribi debere cenſebat pro foribus omnium templorum: *ego odi homines ignaua opera et philoſopha ſententia.* Nihil enim fieri poſſe indignius, neque intolerantius, quam quod homines ignaui ac deſides, operti barba et pallio, mores et emolumenta philoſophiae in linguae verborumque artes conuerterint; et vitia facundiſſime accuſarent, intercutibus ipſi vitiis madentes. De quibus et IVVENALIS: *a*)

Vltra Sauromatas fugere hinc libet, et glacialem
Oceanum, quoties aliquid de moribus audent,
Qui Curios ſimulant, et Bacchanalia viuunt.

§. IV.

t) Confer. TACITVS annal. l. 12. *v*) SENECA epiſt. 20. pr. *x*) Epiſt. 109. *y*) Epiſt. 5. conf. A. GELLIVS l. 9. c. 2. *z*) Noct. Attic. l. 13. c. 8. *a*) Satyr. 2.

§. IV.

Hinc triſte philoſophorum fatum, vt ſaepius cum malis fuerint eiecti ex ciuitatibus boni: et quod iucundiſſimum eſt in vita mortalium, quandoquidem multorum vitiis redderetur inuiſum, cane peius et angue fugerint, qui cum imperio fuere. Epicurei Roma exacti ſenatus conſulto. *b*) Meſſenii in Arcadia eos, veluti peſtes adoleſcentum, quibus philoſophiae labem imprimerent, propter mollitiem et impietatem, ante ſolis occaſum agro Meſſenio excedere iuſſerunt: iisque pulſis, fana luſtrari a ſacerdotibus, a magiſtratibus totam vrbem purgari voluerunt, tanquam a ſordibus et ſentina quadam liberam. Ferunt et a Lyctiis *c*) in Creta quoſdam ex Epicureis, eo profectos, fuiſſe pulſos, legemque populari ſermone ſcriptam, qua effeminatae ſapientiae et degeneris, et turpis, inuentores, diis inuiſi, Lyctio pellerentur: quod ſi quis eo perueniſſet, contemta lege, eum in cataſta vinctum, iuxta curiam, dies viginti, nudum melle et lacte perfundi, vt ab apibus et muſcis conſumeretur interim: quibus exactis, ſi ſuperſtes eſſet adhuc, muliebri veſte indutum de ſaxo praecipitari iuſſerant. *d*) De philoſophis ſenatus conſulto C. Fannio Strabone et M. Valerio Meſſala COSS. Roma pulſis mentio facta eſt in eo libro, quem de adoleſcentia Latinae linguae ſcripſimus. *e*) Mathematici, genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax,

Ii ii 3 *f*) hoc

b) Teſte SVIDA in Epicuro. *c*) SVIDAS in v. *αἵρεσις*

d) Conf. PETRVS GREGORIVS THOLOSANVS de republica l. 17. c. 8. §. 15. et ſyntagm. iuris vniuerſi l. 18. c. 7. §. 6. 7. et l. 1. c. 8. §. 3.

e) Cap. 4. §. 5. pag. 170. ſeq.]

f) hoc ſeculo iudiciaria aſtrologia, ſiue genethliace vtebantur; atque, vt SEXTVS EMPIRICVS *g*) habet, magnifico nomine artis vanitatem exornabant. Suo tempore, *quis ignorat*, inquit CICERO, *h*) *ii*, *qui mathematici vocantur*, *quanta in obſcuritate rerum*, *et quam recondita in arte*, *et multiplici ſubtilique verſentur? Quo tamen in genere ita multi perfecti homines extiterunt*, *vt nemo fere ſtuduiſſe ei ſcientiae vehementius videatur*, *quin quod voluerit conſecutus ſit*. Ipſe Tiberius huic arti fuit addictus, ac negligentior circa religiones ac Deos, ratus, cuncta fieri fato. *i*) Hinc vetus ſcholiaſtes Iuuenalis: *k*) *Thraſyllus multarum artium ſcientiam profeſſus*, *poſtremo ſe dedit Platonicae ſectae*, *ac deinde Matheſi*, *quae praecipue viguit apud Tiberium*. Attamen mathematicos expulit, ita quidem, vt deprecantibus, ac ſe artem deſituros promittentibus, veniam daret. *l*) Imo facta ſunt de mathematicis magisque Italia pellendis ſenatus conſulta: quorum e numero L. Pituanius ſaxo deiectus eſt. *m*) Item ſub Nerone de mathematicis Italia pellendis factum eſt ſenatus conſultum atrox et irritum. *n*) Vitellius Imperator nullis infenſior, quam vernaculis, qui ſcurrae ſunt oris intemperantia noti, atque mathematicis: vt quiſque deferretur, inauditum capite puniebat: et edicto iubebantur omnes vrbe et Italia

f) Vt TACITVS habet hiſtor. l. 1. c. 22.

g) Lib. 5. aduerſus mathematicos. vid. A. GELLIVS noct. Attic. l. 1. c. 9.

h) De oratore l. 1. c. 3. *i*) SVETONIVS Tib. cap. 69.

k) Ad ſatyr. 6. v. 574. Confer. SVETONIVS Tib. cap. 14. et Calig. cap. 19.

l) SVETONIVS Tib. cap. 36.

m) TACITVS annal. l. 2. c. 32.

n) TACITVS annal. l. 12. c. 52.

Digitized by Google

Italia excedere. *o*) Veſpaſianus quidem philoſophorum contumaciam leniſſime tulit: *p*) Domitianus vero philoſophos omnes vrbe Italiaque ſubmouit. *q*) Hinc SVLPITIA poetria: *r*)

Nunc igitur qui res Romanas imperat inter,
Non trabe, ſed tergo prolapſus, et ingluuie albus,
Et ſtudia, et ſapiens hominum nomenque genusque
Omnia abire foras atque vrbe excedere iuſſit.

§. V.

Saniorum philoſophorum hoc ſeculo ſuperſtites habemus aliquot: primo qui medicam artem profeſſi ſunt. Vt reliquarum diſciplinarum, ita inprimis medicinae artisque ſalutaris mater et inuentrix eſt philoſophia et accuratior rerum naturalium contemplatio. Sanior inquam contemplatio et vſus, non fortuita et multis exitioſa inuentio medicinae dicenda eſt mater. Ars diuina eſt, vt corporis humani affectiones variae, varia et antiqua, et omnium maxime neceſſaria. Quo Siracidis ſpectat commendatio: quem Deus fecit, non contemſeris medicum. De abuſu et malis medicaſtris loquuntur, qui ſecus ſentiunt. Hoc innuunt, medicorum, vt nomina captant facile mortales, inſcitiam inſignem eſſe atque malitiam: quae cognitu difficilis, et raro

o) SVETONIVS Vitell. cap. 14. confer. TACITVS hiſtor. l. 2. c. 62.

p) SVETONIVS Veſpaſ. cap. 13. XIPHILINVS ex Dione in Veſpaſiano auctor eſt philoſophos omnes ob nimiam dicendi vſurpatam libertatem, Stoicos et Cynicos vrbe eiecisse, et praeter Muſonium, et Demetrium Cynicum, et Hoſtilium in inſulas relegaſſe.

q) Idem Domit. cap. 10. Confer. A. GELLIVS l. 15. c. 11. et XIPHILINVS in Domit.

r) Satyra de corrupto ſtatu reip. temporibus Domitiani, praeſertim cum edicto philoſophos vrbe exegiſſet.

raro ante acceptam cladem pateat. Diſpiciendum ergo ſedulo, vt probi et periti tantum admittantur; vel ſi admiſſi non reperiantur eſſe tales e medicorum, qui artem profitentur ſalutarem, eiiciantur mature, ac liberum illis occidendi interdicatur exercitium. Nulla quippe lex, quae puniat inſcitiam capitalem medicorum, vt dicebat PLINIVS, s) nullum exemplum vindictae. Diſcunt periculis noſtris. Experimenta per mortes agunt. Et medico tantum hominem occidiſſe, impunitas ſumma eſt. Hinc Adriani querela, turba ſe medicorum periiſſe. Et PHILEMON, comicus Syracuſanus poeta: ſolo medico et aduocato occidere licere impune ſine aliquo ſuo periculo. t) Recte Damoxeno comico apud ATHENAEVM v) medicinae tantum eſt particeps, quicunque rerum naturas didicit. De medicorum origine SENECAM x) atque PLINIVM conſule. y) Duos hoc aeuo producemus medicos haud ſane indoctos, Cornelium Celſum atque Scribonium Largum: ex ſtoicorum deinde ſchola philoſophum facile principem, L. Annaeum Senecam: Longe ab illo mox diuerſum, gulae patronum, Apicium: denique Columellam atque Palladium, rei ruſticae ſcriptores: qui certe ad alias aliasque diſciplinas philoſophorum dogmata traduxerunt. Sed a primis ordiendum eſt.

§. VI.

AVR. z) CORNELIVS CELSVS, Romanus, quamuis ſint, qui Veronenſibus eum vindicare mallent: a) ple-

s) Hiſt. natur. lib. 29. cap. 1. t) Pl. confer. PETRVS GREGORIVS THOLOSANVS de republica lib. 17. cap. 9.
v) Deipnoſoph. lib. 3. cap. 23. x) Epiſt. 95.
y) Hiſtor. natur. lib. 29. cap. 1.
z) ALDVS, et qui eum ſequuntur, non *Aurelium*, ſed *Aulum* vocant. a) Ita COELIVS RHODIGINVS antiq. lect.

a) plerique enim MSti codices eum fuiſſe Romanum diſerte notant. De parentibus et toto illius vitae curſu nihil vnquam relatum legi. Stili nitor et elegantia quoſdam permouerunt recentioris aeui criticos, vt eum Latinae linguae adſcriberent ſeculo aureo, quod ſub Auguſti imperio ac paulo ante eius tempora fuit. Ita celeberrimus Celſi editor, IOH. ANTONIDES VAN DER LINDEN *b*) centum et viginti annis eum ante maiorem Plinium fuiſſe affirmat. Cui ſi fides habenda, Celſus temporibus vixiſſet C. Iulii Caeſaris; vel, ſi a morte Plinii, quae in primum Titi Veſpaſiani imperatoris annum ab V.C. DCCCXXXI. incidit, initio imperii Octauiani Auguſti eum fuiſſe oporteret. Eundemque et plures alii ſequuntur. Quoniam vero COLVMELLA, *c*) qui ſub Claudio Imperatore ſcripſit, eum Iuliumque Atticum celeberrimos aetatis ſuae auctores fuiſſe fatetur: omnino agnoſcendus eſt ipſius aequalis, vel proximus natu. Hinc et maior eruditorum pars eum ſub Tiberio vixiſſe, vel ipſo forte imperante natum ad Traiani vſque tempora vitam produxiſſe arbitrantur. *d*) A QVINTILIANO

a) Ita COELIVS RHODIGINVS antiq. lect. l. 14. c. 5. et IOH. RHODIVS in vita Celſi referunt, Veronenſes cum Macrobio, Vitruuio et Plinio, Celſum quoque ſuum ortu ciuem agnoſcere. Elegans BALDVINI RONSAEI de Cornelio Celſo epigramma eſt:

Hippocrati quantum debet Cos inſula magno,
Pergama tantundem docte Galene tibi.
His tamen ambobus quantum ſua patria debet,
Tantum, Corneli, maxima Roma tibi.

b) Praefatione ad Guidonem Patinum, Pariſienſem medicum.

c) De re ruſtica l. 1. c. 1. et lib. 3. c. 17.

d) Vid. IOH. RHODII vita Aur. Corn. Celſi.

NO *e*) eum caſtra ſcepticorum ſecutum eſſe docemur. In medicis Hippocratem Coum praeſertim ſibi imitandum propoſuit, cuius etiam pleraque Latino ſermone quam feliciſſime expreſſit. Atque adeo ſuum opus de philoſophia vniuerſa, dici non poteſt quanta elegantia inſtruxit: cum etiam Fabii *f*) temporibus in hoc genere pauciſſimos adhuc eloquentes literae Romanae tulerint. Ideoque Latinitatis ſtudioſi omnes, ſed illi inprimis qui arti incumbunt ſalutari, ſuperſtites de re medica libros nocturna verſare manu verſare diurna debent. Huius enim ſcriptoris, qui Latinos medicos inter primus eſt, auctoritas et ſumma, quam in hac diſciplina et vtilitatis, et delectationis cauſſa adhibuit, elegantia, medicis omnibus nota eſt, aut nota ſaltem eſſe debet. Eo vſque pomoeria Romanae eloquentiae protulit: vt medicis ſua quoque eleganter et caſte proferre liceat; eaque incomparabilis doctrina ſuauiori lingua ſeſe iam cultioribus ingeniis merito commendet. Haud ab re igitur FRANCISCVS FLORIDVS SABINVS *g*) *Cornelium Celſum*, inquit, *ego tam excellentem ſcriptorem fuiſſe reor, vt paucos ei anteponendos Latium protuliſſe cenſeam, cum medicinam tam candide eleganterque Romanis literis illuſtrauerit, quam potuit, qui ingenium ſic ad omnes ſcientias verſatile habuit, vt ad id vnum a natura formatus videretur, quod vir praeſtantiſſimus tractare conſtituiſſet. Itaque cum eius, quae exſtant, lucubrationibus nihil ſit pulchrius, nihil elegantius, quam ornate philoſophica explicaſſe credendus eſt.* Ex hoc Latinitatis amantes Latinas morborum nuncupationes diſcere debent.

§. VII.

e) Inſtit. orat. lib. 10. cap. 1. circa fin. *f*) Quod fatetur l. c.
g) Lection. ſubciſiu. l. 1. c. 4.

§. VII.

Fuerunt et alii Celſi. Celſus Albinouanus, ad quem HORATIVS ſcripſit. *h*) Celſus Epicureus, contra quem Origenes, cuique Lucianus Pſeudo-Mantem inſcripſit. *i*) Hunc Celſum IOH. IACOB A RYSSEL *k*) male cum noſtro confundit. Alius quoque fuit Cornelius Celſus Imperator, de quo TREBELLIVS POLLIO. *l*) Vir clariſſimus Celſus Aelianus, cuius meminit IVLIVS CAPITOLINVS. *m*) Iulius Celſus, cui de vita C. Iulii Caeſaris commentarii tribuuntur, neſcio an ille ſit Iulius Celſus, quem AELIVS SPARTIANVS *n*) inter iureconſultos recenſet. Et Celſi ICti AELIVS LAMPRIDIVS *o*) meminit: nec dubito plures fuiſſe temporibus diuerſis, quorum mentio ſit apud POMPONIVM *p*) quod Pegaſo Celſus, Celſo Patri ſucceſſerit Celſus filius et Priſcus Neratius, vterque conſul. De vtroque Celſo agemus ſuo loco et tempore. Fuit Apuleius Celſus Scribonii Largi praeceptor Centuripis ortus. *q*) Fuit diſcipulus Libanii Celſus Cilix. *r*) Fuit, Theodoſii et Arcadii temporibus, Celſus, Archetimo patre ortus, vt SYMMACHI *s*) verbis vtar, genere, eruditione, voluntate laudabilis, adeoque dignus, qui adiudicetur

h) Lib. 1. epiſt. 8. *i*) Vid. VOLATERRANVS anthropologiae l. 14.
k) In continuatione Voſſii de philoſophorum ſectis pag. 158.
l) Triginta tyrannis c. 29. *m*) Maximo et Balbino c. 17.
n) Hadriano cap. 18. confer. eiuſd. c. 4. et 7.
o) Alexandro Seuero c. 68. *p*) Extr. l 2. de origine iuris. confer. POLITIANI l. 5. epiſt. 9. EBERLINVS, GRAVINA, FORSTERVS, HOFMANNVS et quotquot iuris hiſtoriam ſcripſerunt.
q) Vid. SCRIBONII LARGI de compoſ. med. cap. 94. et 171.
r) De quo VALESIVS ad Ammianum l. 22. c. 9.
s) Lib. 10. epiſt. 25.

ab imperatore nobilibus cum praerogatiua conſulari. Vulgo notus eſt Aruntius Celſus Grammaticus. Plures alii conſules et viri celebres. *t*)

§. VIII.

Celſus noſter vir omnium ſui temporis doctiſſimus et elegantiſſimus: nec tamen ipſe medicus, qui, ſalutarem exercendo artem, ſibi voluerit vnquam facere quaeſtum: ratus et huius diſciplinae accuratam cognitionem ad virum vniuerſae naturae prudentem pertinere. *v*) Scripſit ergo non ſolum ruſticae diſciplinae corpus libris quinque, de quibus COLVMELLA, *x*) *Noſtrorum*, inquit, *temporum Cornelius Celſus totum corpus diſciplinae quinque libris complexus eſt*: verum et reliquarum pene omnium, quae alicuius ſunt nominis, artium praecepta reliquit. Sic ille vir vere πολυμαθὴς belli pacisque artes, agriculturam et ciuilem prudentiam, vniuerſam philoſophiam, medicinam et ius ciuile perſpicuis commentariis illuſtrauit atque tradidit. Hinc FABIVS QVINTILIANVS: *y*) *Cornelius Celſus mediocri vir ingenio, non ſolum de his omnibus conſcripſit artibus*, philoſophia ſcilicet ac eloquentia, *ſed amplius etiam rei militaris et ruſticae, etiam et medicinae praecepta reliquit: dignus vel ipſo propoſito, vt eum ſciſſe omnia illa credamus.* Ecquis dubitat Celſum noſtrum intelligi, eiusque multi iugam ſcientiam laudari ab AVGVSTINO *z*) vbi *opiniones*, inquit, *omnium philoſophorum, qui ſectas varias condiderunt, vſque ad tempora ſua (neque*

t) Vid. Lexicon vniuerſale Geographico-Hiſtoricum in v. *Celſus.*

v) Vid. COLVMELLA de re ruſtica l. 2.

x) Lib. 1. c. 1.

y) Inſtit. orat. lib. 12. cap. 11. Confer. eiuſd. lib. 10. c. 1. vbi: *ſcripſit non parum multa Cornelius Celſus, Scepticos ſecutus non ſine cultu ac nitore.*

z) De haereſibus praef.

que enim plus poterat) ſex non paruis voluminibus quidam Celſus abſoluit. Nec redarguit aliquem, ſed tantum quid ſentirent aperuit, ea breuitate ſermonis, vt tantum adhiberet eloquii, quantum rei nec laudandae, nec vituperandae, nec affirmandae, aut defendendae, ſed aperiendae, indicandaeque ſufficeret, cum ferme centum philoſophos nominaſſet: quorum non omnes inſtituerunt haereſes proprias: quoniam nec illos tacendos putauit, qui ſuos magiſtros ſine ulla diſſenſione ſecuti ſunt. Libros eum ſcripſiſſe rhetoricos, non ex vno loco FABII nobis conſtat. Sic finem rhetorices Cornelius Celſus *a*) ait, dicere perſuaſibiliter in dubia et ciuili materia. In cauſſarum ſtatu diuerſam plane a Tullio ſententiam fouet. *b*) Rurſum ipſe duos facit ſtatus generales, an ſit, quale ſit. *c*) Et cum oratorum actiones recenſere inſtituit, falſo Brutum orationem pro Milone dixiſſe tradit. *d*) Haec Celſi merita IANVS DOVSA *e*) epigrammate quam venuſtiſſime complexus eſt:

Facta vrbana tuo res ruſtica munere ſcriptis,
Nec minus illuſtris eſt medicina tuis.
Hinc quoque militiae tractaſti commoda rhetor,
Hoc Martem Muſis iungere, Celſe, fuit.

Paſſim et Celſi *veterinaria* memoratur: quod FABRICIVS V. C. *f*) opinatur inde eſſe, quod eius argumenti aliquid in libris de agricultura pridem deperditis attigerit: quemadmodum Columella quoque de mulomedicina a Vegetio laudatur.

§. IX.

Falſo illi tribuitur *ad Caium Iulium Calliſtum epi-*

a) Apud FABIVM inſtit. orat. l. 2. c. 15.
b) Ibid. l. 3. c. 6. *c*) Loco citato. *d*) Ibid. lib. 10. c. 1.
e) In Sylua extemporal. *f*) Biblioth. Lat. ſuppl. ad lib. 2. c. 4.

ſtola, quae ſub Cornelii Celſi nomine Marcelli Empirici libro de medicamentis praefigitur. Multis vero argumentis probatur hanc epiſtolam eſſe Scribonii Largi, qua ſuam de compoſitione medicamentorum diſſertationem Calliſto dicauit. Apud eundem Marcellum et breuior epiſtola eſt alia *ad Pullium Natalem*, quae Celſo adſcribitur, qua auctor Natalis rogatu duos compoſitionum libros ex Graeco in Latinum ſermonem conuertiſſe teſtatur. Hanc vero etiam Scribonium Largum ſcripſiſſe vel inde patet, quod in prioribus literis ſe plures compoſitiones collecturum promiſit. Vtraque epiſtola exſtat in calce librorum Corn. Celſi de medicina, a Plantino 1592. 4to. et in medicis antiquis ab Aldo et H. Stephano editorum. Exſtat quoque liber *de herbis*, ſiue de nominibus ac virtutibus herbarum, ad ciues ſuos, aliquoties inter Apuleii opera editus, quem Celſo quidam tribuunt; non noſtro, ſed Apuleio cuidam Celſo medico Centuripenſi Siculo, quem Scribonius Largus *g*) praeceptorem ſuum vocat.

§. X.

Ex omnibus Cornelii Celſi noſtri ſcriptis ad nos peruenerunt *de re medica libri VIII.* qui ſunt operis ab eo conſcripti *de artibus pars ſexta.* Ideoque H. Stephanus huius auctoris editione ſua, ceteris medicinae principibus adiecta receptae lectioni ſubdidit: *operis ab eo ſcripti pars ſexta:* veterum MStorum codicum auctoritatem ſecutus, quibus communis haec inſcriptio: *A. Cornelii Celſi Artium Liber VI.* In codice Gudiano MSto ante librum primum Celſi de arte medica legitur: *artium liber ſextus, idemque medicinae primus.* Recentioris aeui quot eius editiones, tot ferme inſcriptiones, fece-

g) Cap. 171.

Digitized by Google

fecerunt diuerſas: de re medica, de medicina, aliaque pro lubitu addiderunt. Ex primis vero Celſi verbis facile colligendum, proxime antecedentes libros de agricultura fuiſſe. Exſtat etiam Cornelii huius *de arte dicendi* libellus, aut libelli potius fragmentum, de quo ſuperius inter rhetores Latinos mentionem fecimus.

§. XI.

Eum QVINTILIANVS *h*) quidem mediocri vocat virum ingenio, ſed reſpectu Varronis atque Tullii, quibus omnino nulla defuerint inſtrumenta dicendi. Et ſequentia docent, quanti fecerit illius ingenium, cuius polymathiam et incomparabilem in tanto opere admiratur induſtriam, quod arduum eſt, et nemo perfecit. COLVMELLA *i*) eum atque Iulium Atticum celeberrimos habet ſuae aetatis auctores. CASAVBONVS *k*) medicorum vocat deum; VOSSIVS *l*) puriſſimum ſcriptorem; CASPAR. BARTHIVS *m*) elegantiſſimum eorundem cum Statio temporum aut paullo ſuperiorum auctorem, cuius optat omni genere edita ſcripta ad nos perueniſſent; GOD. STEWECHIVS *n*) auctorem Latinae linguae idoneum et locupletem, ſi quem alium; VLYSSES ALDROVANDVS *o*.) grauem Latinae linguae auctorem; HIERONYMVS denique FABRICIVS AB AQVAPENDENTE, Medicus Patauinus *p*) eum vocat mirabilem in omnibus, quem nocturna verſare manu, ver-

h) Inſtit. orat. l. 12. c. 11. *i*) De re ruſtica lib. 3. cap. 17.
k) Epiſt. 29. *l*) De vit. ſerm. lib. 1. cap. 16.
m) Ad Statii Thebaid. l. 3. v. 367. pag. 777.
n) Ad Veget. de re milit. l. 3. c. 6. *o*) De inſectis l. 1. c. 3. de cera.
p) Operat. chirurg. part. 1. c. 32

verſare diurna ſuadet. Alibi *q*) inter ceteros maxime proprium Latine loquendi modum admiratur: vtpote qui ad amuſſim ſemper loquitur.

§. XII.

In eo virorum doctiſſimorum conſenſu CLAVDIVS VERDIERIVS, *r*) ille pene omnibus, ne parente quidem excepto, inuiſus atque ad inſaniam vſque audax literatorum cenſor, non negat, Celſum de Latinitate eſſe bene meritum, vt inter Latinos videatur is, qui inter Graecos Theophraſtus fuit. Sed Hippocratem, ait, et Graeca pene omnia parum feliciter eſſe ab eo translata. Ex. gr. perſtringit quod CELSVS *s*) habet: *aluus nigra, ſanguini atro ſimilis, repentina, ſiue cum febre ſiue ſine febre perniciosa eſt.* Aphoriſmum eſſe Hippocratis male verſum, cum in Graeco αὐτόματος non *repentinum*, ſed *ſpontaneum* ſignificet; deinde vocem repentinam ita eſſe collocatam, vt ad aluumne, an ad febrem referatur, vix dignoſcas. Neque integrum habere aphoriſmum περί κύστης apud Hippocratem non eſſe *in veſica*, ſed *circa veſicam.* CELSI *t*) *male habent*, et quae proxime antecedunt, ex Hippocrate eſſe, vbi συντόμως ἀποθνήσκειν, non *male habere.* Magnam eſſe differentiam inter male habere, et continuo mori. Et quae huius furfuris ſunt alia, ne minima quidem cuiuſquam attentione digna. Haec vero ſcriptori optimo a Verdierio obiici, mirabitur nemo, qui hominem nouit inepte agere omnia, nullibi non ſuam prodere phreneſin, et ipſum acerrimam criticorum cenſuram meruiſſe. *v*) Is enim ille eſt, qui

q) L. c. cap. 7. confer eiuſd. cap. 17.

r) Cenſione auctorum omnium veterum et recentiorum. pag. 144.

s) Lib 2. cap. 7. circa finem. *t*) Lib. 2. c. 2.

v) Vid. MORHOFII polyh. lit. l. 1. c. 16. §. 23. ſeqq.

qui *x*) miſera plane et ieiuna declamatione rei bibliothecariae ſtudium vituperat ac diſſuadet: qui *y*) in Virgilio reprehendit voces barbaras: qui *z*) artem Horatii poeticam damnat: qui *a*) artem omnem oratoriam, vt generi humano pernicioſam, damnat: qui *b*) in ipſas leges et ICtos inuehitur.

§. XIII.

Ego quidem de arte medica nihil definio, quam Celſus profitetur. Attamen, cum ipſe Graecos auctores quoſque optimos ſecutus hanc diſciplinam egregie illuſtrauerit: *c*) ſaepius animum dubitatio ſubiit, quid ſit, quod IOH. HEVRNIVS *d*) inſtitutionem eius aſpernatus, *Latinos*, dixerit, *inter medicos primus eſt Cornelius Celſus: ſed prudenter legendus. Nam in multis Aſclepiadem Methodicum ſectatur, vt fatetur ipſe. Huius cote ſtilum ſubigemus, et pluris Latinitatem eius, quam medicinam faciemus.* Fuerunt certe multi, et nunc ſunt, qui ex optimis Celſi inſtitutionibus ſibi verum animi et linguae cultum ſimul atque firma valetudinis praeſidia parare potuerunt: rati, Latinos omnia inueniſſe melius, quam Graecos; aut ab illis accepta feciſſe meliora: vt haec nobis a Tullio mutuare liceat. Perplacet IOH. ANTO-

x) Cenſione auctorum pag. 168. confer. MORHOF. polyh. liter. l. 1. c. 6. §. 13.

y) L. c. pag. 50. *z*) Pag. 57. *a*) Pag. 100.

b) Pag. 110—132. *c*) Ita SALMASIVS quoque iudicat ad Hippocratis aphoriſm. 79. pag. 43. *Quia ab antiquioribus ſumſit, quae habet omnia Celſus, et ab Hippocrate pleraque, non eſt minimi faciendus.* Et pag. 65. *Crede ſaltem Celſo, qui hoc non diuinauit, ſed ex auctoribus praeſtantiſſimis, qui et medicinam olim exercuerunt, id mutuatus eſt.*

d) Meth. ſtud. med. cap. 5.

ANTONIDIS VAN DER LINDEN *e*) ſententia: *ex artis ſcientia Celſus ſi venit aeſtimandus, vix perſuaderi poteſt, vt is non habeatur pro medico, et quidem vſu longo atque exercitatione perfecto, qui ſuis ſcriptis medicinae intima penetralia ſubiiſſe, abdita quaeque enucleaſſe, penitus abſtruſa rimatum eſſe, ſuam vbique de iis ſententiam interponendo ſe prodit.* Poſt pauca: *ex toto Galeni oceano, ſi dicere per inuidiam fas eſt, non tot interiora medendi conſilia quis hauſerit, quam ex vbere hoc Cornelii riuo. Fateor plus eſt in Galeno florum, vt et foliorum: ſed fructuum plus in Celſo eſt.* Rurſum: *digniſſimus eſt, vel doctrinae cultu, vel elegantiae nitore, non ſolum qui legatur, ſed qui nunquam de manibus deponatur. Me, fateor, nullius poſt Hippocratem lectione vel affici magis, vel erudiri.* Eiuſdem fere ſententiae PITHOEVS *f*) eſt, qui venuſte ludit epigrammate:

Dictantes medici quandoque et Apollinis artes
Muſas Romano iuſſimus ore loqui.
Nec minus eſt nobis per pauca volumina famae,
Quam quos nulla ſatis bibliotheca capit.

Et IACOBVS MOSANTVS BRIOSIVS *g*) ad Cornelium Viqmannum Cadomenſem medicum de Cornelio Celſo ſcribit: *Deus bone! quam diſerta illius dictio, quam Latina et caſtigata! quam beatum; in quo vixit, aeuum redolens! Scio ſibi perſuadere multos, illum non medicum de re medica ſcripſiſſe, ſed fallunt, aut falluntur.*

§. XIV.

Dictio vtut in re difficili, quam a Graecis maximam partem ad artes Romanas tranſtulit, facilis, pura et

e) Dedic. epiſtola ad Guidonem Patinum.

f) Epigr. vet. L. 2. pag. 43. de Corn. Celſo. *g*) Epiſtol. pag. 77.

Digitized by Google

et elegans eſt. Idemque FABIVS *h*) agnoſcit, qui multa eum fatetur ſcripſiſſe *non ſine cultu ac nitore.* Nec ille, quantum iudicare poſſumus, in grata breuitate parum celſus; et inprimis accuratiſſimus Latinitatis cuſtos meruit Medicorum Cicero et Latinus Hippocrates vocari: vt, vel propter ornatum ceteraſque ſermonis virtutes, Auguſteo ſeculo non indignus videretur. Sed falluntur, qui hos de re medica Celſi libros certe elegantes more oratorio eſſe conſcriptos aiunt. Sermo eſt profecto plenus, caſtus, venuſtus, atque inprimis accommodatus rei, quam ſibi tractandam ſumſit.

§. XV.

Antiquiſſima Cornelii Celſi de medicina editio eſt, quae *Florentiae* 1478. fol. prodiit. Quam ſequitur *Mediolanenſis* 1481. fol. *Venetae* editiones ſunt variae 1493. fol. per Ioh. Rubeum Vercellenſem, cum eiuſdem notis. Hanc Morhoſius *i*) falſo credidit fuiſſe primam. 1496. fol. et 1497. fol. apud Philippum Pinzi.

§. XVI.

Seculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto, Celſus prodiit *Venetiis* 1524. fol. apud Iuntam. 1524. fol. apud Aldum ex Ioh. Baptiſtae Egnatii emendatione. 1528. 4. apud Aldum. 1547. et 1549. fol. cum aliis medicis antiquis ex Aldi officina. 1566. 8. apud Hieronymum Scotum. *Patauii* 1563. 8. cum Sereno et Rhemnio Fannio. *Pariſiis* 1529. fol. apud Chriſt. Wechelum, vna cum Scrib. Largo. 1533. 8. cum notis Ioh. Caeſarii. 1567. fol. apud Henr. Stephanum cum ceteris medicorum principibus tom. 3. *Lugduni* 1516. 4. 1542. 8. apud Sebaſt. Gryphium. 1549. et 1554. 12. apud Ioh.

h) Inſtit orat. lib. 10. cap. 1.

i) Polyhiſt. liter. l. 4. c. 12. §. 7.

Ioh. Tornaeſium. 1566. 8. cura Roberti Conſtantini, qui et Serenum Samonicum adiunxit. 1587. 12. 1592. 12. *Antuerpiae* 1539. 8. cum notis Thriuerii. *Lugduni Batauorum* 1592. 4. apud Franciſcum Raphelengium, cum Ierem. Thriuerii, Brachelii et Balduini Ronſſei notis. Hanc editionem Morhofius *k*) fere optimam eſſe arbitratur. *Salingiaci* 1538. 8. apud Ioh. Soterem, cum Ioh. Caeſarii caſtigationibus et notis. *Hagenoae* 1528. 8. cum notis Ioh. Caeſarii. *Tiguri* 1540. 8. *Baſileae* 1552. fol. apud. Ioh. Oporinum, cum Guilielmi Pantini commentariis.

§. XVII.

Sequenti ſeculo Celſus noſter editus eſt *Lugduni* 1608. 12. *Geneuae* 1625. 12. apud Ioh. de Tournes. *Lugduni Batau.* 1657. et 1665. 12. apud Ioh. Elſeuirium ex recognitione Ioh. Antonid. Van der Linden, cum Sereno, Rhemnio Fannio et Vindiciano. *Amſtelodami* 1687. 12. ex emendatione Theodori Ianſonii ab Almeloueen, cum vita Celſi, a Ioh. Rhodio deſcripta, editoris aliorumque breuioribus ſcholiis atque locis parallelis. Editio non minus nitida, quam emendata et vſui accommodatiſſima.

§. XVIII.

Celſus denique noſtra aetate elegantiori indutus habitu prodiit *Ienae* 1713. 8. cum praefatione et indice locupletiſſimo Georgii Wolfgangi Wedelii. *Amſtelodami* 1713. 8. Th. I. Almeloueenii editio. *Patauii* 1721. 8. breuibus Rob. Conſtantini, Iſ. Caſauboni aliorumque ſcholiis ac locis parallelis illuſtratus cura et ſtudio Theodori Ianſonii ab Almeloueen. Acceſſere Q. Serenus de medi-

k) Polyhiſt. liter. l. 4. c. 12. §. 7.

Digitized by Google

medicina, et Ioh. Baptiſtae Morgargni epiſtolae duae longe eruditiſſimae ad Ioh. Baptiſtam Vulpium, altera in Celſum, altera in Serenum, in quibus praeter alia emendationes et fragmenta illorum afferuntur. *Pau.* 1722. 12. apud Ioſephum Cominum, cura Ioh. Bap. Vulpii, vna cum Sereno Samonico. *Lugduni Batau.* 1730. 8. breuioribus Rob. Conſtantini, Iſ. Caſauboni, aliorumque ſcholiis et locis parallelis illuſtratus, cura et ſtudio Theodori Ianſonii ab Almeloueen.

§. XIX.

Alius quoque medicus, ſed ſtili nitore cum Celſo minime comparandus, Tiberii temporibus vixit, SCRIBONIVS LARGVS *Deſignatianus*, neque cum *Aphrodiſio*, Orbilii ſeruo et diſcipulo *l*) confundendus. Empiricus fuit, neque dogmaticis tamen, ac illos inter Aſclepiadi, non adeo infenſus. Aſclepiadem enim vocat ſuum, *m*) atque laudat. *n*) Tiberii Caeſaris aetate floruiſſe, compoſitione nonageſima ſeptima ipſe indicat. Neque minus ex ipſiuſmet verbis patet Claudio Caeſari charum, ac intimae admiſſionis medicum fuiſſe. Nam ſexageſima compoſitione coniugem eius Meſſalinam aduocat: et ſexageſima tertia compoſitione ſupra centeſimam, huic imperatori in expeditione Britannica affuiſſe memorat. Scripſit librum *de compoſitione medicamentorum*, ad Caium Iulium Calliſtum, Claudii imperatoris libertum: ad quem ſcripta non ſolum praefatio libri; verum et cum reliquis compoſitionibus in primis centeſima quinquageſima prima, et operis tandem peroratio. Praefatione memorat alia ſua ſcripta Latina: quaſi et

l) Apud SVETONIVM de illuſtr. grammaticis cap. 19. Alius quoque Scribonius mathematicus, qui de Tiberio infante praeclara ſpopondit. SVETON. Tib. cap. 14. *m*) Cap. 75. *n*) Cap. 84.

ſi et Graeca ſcripſiſſet, quae Calliſtus ille iam Claudio Caeſari tradiderat. Etiam a Galeno pluribus locis laudatur et allegatur. Vnde IANVS CORNARIVS *o*) non Latine, ſed Graece, Scribonium ſuſpicatur ſcripſiſſe: poſtea vero Latinum e Graeco eſſe redditum circa Valentiniani Imperatoris tempora. Quocum et BARTHIVS *p*) et CONRINGIVS *q*) facere videntur. MARSILIVS CAGNATVS *r*) vero, et IOH. RHODIVS *s*) iſtud refellere, ac Latio auctorem hunc vindicare conantur. Dictio plebeia, inculta, et vix aliquando Latina eſſe deprehenditur. Nec immerito OLAVS BORRICHIVS *t*) vir doctus, veteris elegantiae cuſtos probus, ac bene de humanioribus literis meritus: *Scribonium Largum*, inquit, *principatu Tiberii et Claudii floruiſſe certum eſt, an tamen dictio compoſitionum medicarum priſci illius Scribonii ſit, ambigunt, quum oppido humilis et inficeta deprehendatur. In gratiam tamen illuſtris Ioh. Rhodii noſtri credemus, ſtilum quidem eſſe veteris illius Scribonii, ſed vitio librariorum hinc inde contaminatum, dum nobis iterum largiatur, pure loquendi leges ab illo ſcriptore non poſſe quemquam hodie ſatis fidenter mutuari.* Rurſum: *v*) *certum eſt, opus, quod hodie Scribonii nomine extat, magnam partem humili plebeioque, et aliquando vix a barbariſmi vitiis immuni ſtilo exaratum:* *vt*

o) Praefat. ad Marcellum Empiricum, in cuius librum integrae propemodum Scribonii compoſitiones tranſlatas eſſe intelligimus.

p) Aduerſar. pag. 2357.

q) Introductione in medicinam pag. 55.

r) Var. obſeruat. l. 3. c. 14.

s) Sua Scribonii editione.

t) Conſp. auctor. Lat. linguae pag. 18.

v) Cogit. de aetatibus Latinae linguae pag. 15. ſeq.

Digitized by Google

vt aeſtimari queat, ab imperita Soſiorum manu labem hinc inde contraxiſſe. ANDR. BORRICHIVS: *x*) *aduerterit facillime, qui diligentius legerit Scribonium, familiarium vulgariumque verborum, quam elegantiae, ſtudioſiorem fuiſſe; dum ita ſcribere laborauerit, vt ab omnibus cognitiſſimis verbis intelligeretur.* Primum e tenebris erutus prodiit *Pariſiis* 1529. 8. mox recuſus *Baſileae* 1529. 8. opera Ioh. Ruellii, *y*) cum Antonii Beniuenii, recentioris medici, libro de abditis nonnullis ac mirandis morborum cauſſis, et Polybi, medici vetuſtiſſimi Graeci, libello de victu ſalubri deſtitutis, Latine per Guintherium Andernacum reddito: *Venetiis* 1547. fol. ab Aldo, et *Pariſiis* 1567. fol. ab Henrico Stephano, in medicae artis principibus. *Patauii* 1655. 4. cum notis vberrimis et lexico Iohannis Rhodii. *z*) *Epiſtola* Scribonii Largi *ad Caium Iulium Calliſtum*, qua illi de compoſitione medicamentorum dedicat libellum, falſo ſub Cornelii Celſi nomine praefigitur Marcelli Empirici libro de medicamentis. Apud eundem Marcellum alia breuior *epiſtola ad Pullium Natalem* Celſo tributa legitur, in qua ſe ait illius rogatu duos compoſitionum libros de Graeco in Latinum ſermonem conuertiſſe. Hanc vero etiam Largo adſcribere malunt docti: cum in prioribus literis, ſe plures compoſitiones collecturum, promiſerit. Vtraque epiſtola extat in calce editionis Cornelii

x) Append. ad Cellarii curas poſteriores cap. II.

y) Quem BARTHIVS Aduerſar. 48. 49. ſatis audacem Scribonii reſtitutorem vocat.

z) Fallitur ergo MORHOFIVS polyhiſt. tomo 3. lib. 7. §. 2. vbi Iohannis Rhodii commentarium et indicem in Scribonium Largum incendio bibliothecae Bartholinianae conſumtum eſſe arbitratur.

nelii Celſi Plantinianae 1592. 4. et in medicis antiquis Aldi, et Henr. Stephani. Pars Scribonii, quae agit *de ſimplicibus*, excuſa etiam eſt *Argentorati* 1532. fol. cum aliis aliorum opuſculis.

§. XX.

LVCIVS ANNAEVS SENECA Philoſophus a diſciplinae genere et profeſſione ſua cognominatus, patria Cordubenſis, ordinis equeſtris *a*). Marci Annaei Senecae rhetoris et Heluiae nobilis Hiſp. Matronae filius, et Lucani poetae patruus fuit. Heluia enim ex Seneca patre trium liberorum erat mater, *b*) M. Annaei Nouati, qui Gallio poſt cognominatus ex adoptione, Lucii noſtri philoſophi, et L. Annaei Melae, *c*) qui eques tantum Romanus Lucanum filium, grande adiumentum claritudinis, genuit. De tribus his fratribus MARTIALIS *d*) intelligendus eſt, vbi:

Et docti Senecae ter numeranda domus.

Decimo quinto circiter aetatis anno, iam ante Caeſaris Octauiani Auguſti obitum, adoleſcens Corduba Romam, et quidem materterae auxilio et quaſi manu ductus eſt. Ita enim ipſe *e*) vbi materteram laudat, *illius*, inquit, *manibus in vrbem perlatus ſum, illius pio maternoque nutritio, per longum tempus aeger, conualui.* Circa hoc tempus cometam, vt habebatur, Imperatoris exceſſum denuncians triſte omen vidit, de quo: *f*) *vidimus*, inquit, *circa diui Auguſti exceſſum ſimile prodigium. Vidimus, cum de Seiano actum eſt. Nec Germanici mors ſine*

a) Vid. TACITVS annal. l. 14. c. 53. et l. 16. c. 17.

b) Vid. Senecae conſolatio ad Heluiam cap. 2.

c) Vid praefationes controu. l. 1. et 2.

d) Lib. 4. epigr. 40.

e) Conſol. ad Heluiam cap. 16.

f) Natur. quaeſt. l. 1. c. 1.

ſine denuntiatione tali fuit. Attamen eius adoleſcentia adhuc in Tiberii principatum incidit. *g*) Diuino et excellenti fuit ingenio, et iuuenis per omnia diſciplinarum genera verſatus, tanta religione optimas et liberaliores tractabat artes, vt veriſſimo elogio princeps vniuerſae eruditionis et doctrinae audiret. Praeceptorem in eloquentia ipſum patrem habuit, quod ex controuerſiarum praefationibus patet. Philoſophos huius aeui clariſſimos audiuit, inprimis Sotionem Stoicum, apud quem puer etiam ſedit, *h*) Attalum eiuſdem ſectae, Papirium Fabianum, Demetrium Cynicum, quocum ipſe grandior et in aula domi foriſque verſatus, alios, quos et paſſim nominat, et grata memoria laudat. Poſtquam honorum candidatus latum ſumſerat clauum, quaeſturam primo geſſit: in qua adipiſcenda materterae ſuffragium praedicat: *i*) *illa pro quaeſtura mea gratiam ſuam extendit: et quae ne ſermonis quidem, aut clarae ſalutationis ſuſtinuit audaciam, pro me vicit indulgentia verecundiam. Nihil illi ſeductum vitae genus, nihil modeſtia, in tanta feminarum petulantia ruſtica, nihil quies, nihil ſecreti et ad otium repoſiti mores obſtiterunt, quo minus pro me etiam ambitioſa fieret.* Dubium vero an ſub Tiberio, an ſub Caio Caeſare Caligula eam dignitatem geſſerit. Sub Caio certe vacabat foro cauſſiſque agendis ſaepe non ſine capitis periculo. Cum enim tanta praedi-

g) Seneca epiſt. 108. *In Tiberii Caeſaris principatum iuuentae tempus inciderat: alienigenarum ſacra mouebantur* etc. Annotante LIPSIO in vita Senecae cap. 3. annus Tiberii fuit quintus, V. C. DCCLXXII. quod TACITVS annal. l. 2. fin. eo anno ſacra Aegyptiaca et Iudaica fuiſſe pulſa ſcribit.

h) Ipſo teſte epiſt. 49. Sic quoque EVSEBIVS in chronico, Auguſti anno extremo: *Sotio philoſophus alexandrinus, praeceptor Senecae, clarus habetur.* *i*) Conſol. ad Heluiam cap. 17.

praeditus eſſet eloquentia, vt cederet prorſus nemini: parum abfuit, quin attraheret aliorum inuidiam, exitiumque pararet ſibi. Dione Caſſio auctore, aliquando ob id ſolum, quod apud ſe cauſſam diſertiſſime egerit, a Caligula occiſus fuiſſet: niſi mulierculae cuiusdam ope et auxilio euaſiſſet: quae callide perſuaſit principi, Senecam tabe laborare, nec diu ſuperſtitem fore. Idem Caligula Caeſar, qui nihil rectum, niſi quod a ſemetipſo profectum, putabat, pro maxima, quam diuerſis et plurimum ridiculis conatibus prodere non verebatur, *k*) inuidia, Senecam etiam noſtrum, tunc inprimis placentem, commiſſiones meras componere, et arenam eſſe ſine calce dicebat. *l*) Iiſdem fere temporibus in vulgus edidit declamationes praefationesque ſuas, paſſim a FABIO QVINTILIANO laudatas. *m*) Nec deſunt, qui ſcripſiſſe eum quaedam de arte dicendi ſuſpicantur ex allegatis eius a QVINTILIANO *n*) verbis: *iurare patronorum non eſſe, ſed teſtium*: quae illis ex inſtitutionibus eloquentiae deſumta fuiſſe videntur. Primo Tiberii Claudii anno, quaſi conſcius fuiſſet adulteriorum Iuliae, Germanici filiae, a Meſſalina, principis vxore libidinoſiſſima et impuriſſimo ſcorto, accuſatus, cum et ipſa Iulia in exilium eſſet miſſa, in Corſicam inſulam relegatur. Quod primum Meſſalinae in principatu facinus peſſimum DIO CASSIVS recenſet; TACITVS quoque *o*) illius meminit, et *credebatur*, inquit, *Seneca infenſus Claudio dolore iniuriae.* Vnde patet Senecae praeter culpam accuſato iniuriam eſſe factam: cum et

k) Teſte SVETONIO in Caligula cap. 34.

l) Eodem teſte l. c. cap. 53. *m*) Inſtit. orator. l. 8. c. 3. l. 10. c. 1. in fine et alibi. *n*) Inſtit. orat. l. 9. c. 2.

o) Annal. l. 12. cap. 8. fin.

et inter omnes conſtet, Meſſalinam atque Claudium vix aliquid mali niſi bonis et inſontibus machinari conſueuiſſe. In exilio Seneca fortiter, imo quod ipſe fatetur, *p*) feliciter vixit, optimis ſtudiis mentisque iucundiſſimis occupationibus intentus. Ita enim ad Heluiam matrem ſcribit: *Vincam, puto, primum ſi oſtendero, nihil me pati, propter quod poſſim dici miſer — nihil mali eſſe mihi. — At ego mihi ipſe magis placebo, quod inter eas res beatus ero, quae miſeros ſolent facere.* Deinde philoſophatur pulcherrime, et in extremo addit: *q*) *Qualem me cogites accipe. Laetum et alacrem, velut optimis rebus. Sunt autem optimae, quum animus omnis cogitationis expers operibus ſuis vacat, et modo ſe leuioribus ſtudiis oblectat, modo ad conſiderandam ſuam vniuerſique naturam, veri auidius inſurgit.* Quocum omnino conuenit, quod auctor Octauiae tragoediae *r*) habet Senecae affictum:

Quid me potens Fortuna, fallaci mihi
Blandita vultu, ſorte contentum mea
Alte extuliſti, grauius vt ruerem, edita
Receptus arce, totque proſpicerem metus?
Melius latebam procul ab inuidiae malis
Remotus inter Corſici rupes maris:
Vbi liber animus, et ſui iuris, mihi
Semper vacabat, ſtudia recolenti mea.

Sic multa in exilio philoſophica ſcripſit; poetica quoque multa: vt loco ſupra citato, *leuioribus etiam ibi ſtudiis ſe oblectaſſe*, innuere videtur. Elapſo poſt octo annorum ſpatio, ſingulari gratia et opera Agrippinae,

 quae

p) Conſolat. ad Heluiam cap. 4. *q*) L. c. cap. 17.
r) Act. 2. v. 368.

quae poſt Meſſalinae caedem Claudio, patruo ſuo, nupſerat, exilii tandem veniam ſimul atque praeturam impetrauit: ob ſtudiorum quoque claritudinem, Neronis, quem Agrippina ex marito primo, Cn. Domitio Ahenobarbo, filium habebat, vndecimo aetatis anno a Claudio Imperatore adoptati, ſtudiis praefectus eſt: vt pueritia illius tanto magiſtro adoleſceret, atque conſiliis philoſophi optimaque diſciplina ad ſpem dominationis futurae vteretur. *s*) Ergo, praetor anno vrbis DCCCII. factus, Seneca et Afranius Burrhus, Neronis praeceptores, imperatoriam regebant iuuentam: qui pari in ſocietate potentiae concordes, diuerſa arte ex aequo pollebant: Burrhus militaribus curis et ſeueritate morum; Seneca praeceptis eloquentiae et comitate honeſta: iuuantes inuicem, quo facilius lubricam principis aetatem, ſi virtutem aſpernaretur, voluptatibus conceſſis retinerent. *t*) Hic perpetuus Senecae honos, doctorem moderatoremque fuiſſe principis, certe optimi, quamdiu ſe huius conſiliis atque monitis dabat. Prae aliis dignitate pollens et auctoritate, immenſisque, principis liberalitate auctus diuitiis, in continenti coepit a maleuolis inuitisque accuſari: contra ſuae ſectae praecepta ter millies ſeſtertium intra quadriennium congeſſiſſe; laxius opulentiusque quam frugalitatem atque modeſtiam profeſſum deceret, habitare; lautius ſplendidiusque quam Stoicorum philoſophorum conueniat moribus, viuere atque coenare. Inprimis P. Suilius reus in Senecam inuehitur: *v*) *infenſum amicis Claudii, ſub quo iuſtiſſimum exilium pertuliſſet. Simul ſtudiis inertibus, et iuuenum*

s) Vid TACITVS annal. l. 12. cap. 8. Confer. SVETONIVS Neron. c. 7.
t) TACITVS annal. l. 13. c. 2.
v) Apud TACITVM annal. l. 13, c. 42.

uenum imperitiae ſuctum, liuere iis, qui viuidam et incorruptam eloquentiam tuendis ciuibus exercerent. Se quaeſtorem Germanici, illum domus eius adulterum fuiſſe.. — Romae teſtamenta et orbos, velut indagine eius capi. Italiam et prouincias immenſo fenore hauriri. Quae inimicorum conuicia ſibi obiecta optime et aequo animo ipſe diluit: *x*) ſemper in ſummos viros confictum, quod contra praecepta viuerent. Se nec ſapientem eſſe, nec tantum de ſe promittere. Sibi ſufficere, ſi malis, iisque a quibus criminaretur, melior euaderet. Diuitias bonae menti non officere, meliusque apud ſapientes et bonos, quam apud malos et ſtultos habitare; ſimilibus. In matrimonio duas habuit vxores. Prioris non niſi obſcuram mentionem facit, ac forte iam ante eius exilium vita defuncta eſt. Procul enim dubio id verba ipſius *y*) indicant: *Harpaſten, vxoris meae fatuam, ſcis hereditarium onus in domo mea remanſiſſe.* Et *z*) *cum ſublatum eſt lumen, et vxor moris mei iam conſcia conticuit.* Poſt exilium, cum aetate iam eſſet grandior et potens in aula, Paullinam feminam nobilem et iuuenculam duxit: quod ipſi nonnemo apud DIONEM vitio vertit. Vel etiam ex ipſius verbis hoc ſatis clare patet: *a*) *hoc ego Paullinae meae dixi, quae mihi valetudinem meam commendat. Nam cum ſciam ſpiritum illius in meo verti: incipio, vt illi conſulam, mihi conſulere: et cum me fortiorem ſenectus ad multa reddiderit, hoc beneficium aetatis amitto. Venit enim mihi in mentem, in hoc ſene et adoleſcentem eſſe, cui parcitur.* Diuitiis abundabat. Pater enim filios ſatis iam locupletes reliquerat: *b*) Noſter

Mm mm 3 vero

x) De beata vita cap. 17. -- 28. *y*) Epiſt. 50.
z) De ira lib. 3. *a*) Epiſt. 104. ab init.
b) Conſolat. ad Heluiam cap. 2.

vero A. Seneca innumeram pecuniam, hortos, villas, agros, latiſſimum foenus, ex immenſa Principis gratia habuit: adeo vt magnificentia ditiſſimos quoſque ſupergrederetur. *c*) Eo reſpicit quoque IVVENALIS: *d*)

Temporibus diris igitur, iuſſuque Neronis
Longinum, et magnos Senecae praediuitis hortos
Clauſit, et egregias Lateranorum obſidet aedes
Tota cohors. ——

Hinc inimicorum perpetuae criminationes, quod hortis, villis, opibus ipſum principem tranſcenderet. Etiam imperante Nerone, Seneca cum Trebellio Maximo conſulatum, ſed extraordinarium, geſſit. *e*) Cum L. Piſone et Ducennio Gemino orbis terrarum rationes et vectigalia adminiſtrauit: quibus conſularibus viris tribus ſimul cum vectigalibus etiam annonae cura extra ordinem mandata fuit. Tantis muneribus noſter tam abſtinenter fungebatur, quam alienis; tam diligenter, quam ſuis, tam religioſe, quam publicis: atque in iis rebus amorem conſequebatur, in quibus odium vitare difficile

c) TACITVS annal. lib. 13. cap. 42. et lib. 14. cap. 53.

d) Satyra 10. v. 15.

e) Affirmant hoc libri legum ad SC. Trebellianum vt VLPIANVS: *temporibus Neronis, octauo Kalendas Septembris, Annaeo Seneca et Trebellio Maximo* COSS. *factum eſt SC.* Idem in Iuſtiniani II. Inſtitutionum ſcriptum. Qui autem faſtos concinnarunt, faciunt hos conſules ſuffectos (nam ordinarii non fuerunt) anno vrbis DCCCXV. IVSTVS LIPSIVS vero de vita Senecae cap. 4 Conſulem fuiſſe quidem conſentit, ſed non eo anno, verum alio et priori tempore. De tota re dubitare poſſet, qui AVSONIVM in gratiarum actione audit dicentem: *Diues Seneca, nec tamen Conſul.* item quod nec ipſe Seneca iſtius honoris vſquam meminit: etſi pleraſque tunc ſcripſerit epiſtolas. At ſilentium auctoris non eſt negatio. Et Auſonius de conſulatu ordinario intelligendus eſt.

ficile eſt. Ipſe tamen breui poſt vſu et experientia doctus, quam inconſtans et lubrica ſit hominum fortuna: deteſtari coepit illam, quae cum auctoritate et honoribus creſcit: cum fauor ſummus accedat Principis, tantaque magis maleuolarum inuidia augeatur, quae tandem non niſi periculoſa bonis, vel ad exitium comparata eſſe poſſit. Neſcio quo daemone actus Nero, generis humani monſtrum, ac tyrannus omnium peſſimus, tandem Agrippinae matris caedem meditabatur: et in tanti ſceleris ſocietatem, conſilium certe, cum Burrho Senecam vocabat: qui valde timidi eaque immanitate ſtupefacti videbantur dubitare: cum vtriuſque interfuiſſet, tantum iſti facinus argumentis quampluribus fortique animo diſſuadere. *f*) Seneca vero etiam tantum facinus defendiſſe videtur. Ita certe QVINTILIANVS: *g*) *facit quaſdam ſententias ſola geminatio, qualis eſt Senecae in eo ſcripto, quod Nero ad ſenatum miſit, occiſa matre, cum ſe periclitatum videri vellet: ſaluum me eſſe adhuc nec credo, nec gaudeo.* Sed graueſcentibus in dies publicis malis, ſubſidia minuebantur. Vita breui poſt Burrhus conceſſit, incertum valetudine, an veneno. *h*) Burrhi mors Senecae potentiam fregit: quia nec bonis artibus idem virium erat; nec, altero velut duce amoto, Neronis animum, ad deteriores inclinantem, flectere vt olim poterat. Senſim ſenſimque extincta imperatoris erga eum beneuolentia inuidis et obtrectatoribus calumniandi poteſtatem dedit, vt perpetuo Senecae diuitias, virtutes atque ſapientiam accuſarent, quod ingentes et priuatum modum euectas opes adhuc augeret;

f) Vid. TACITVS annal. l. 14 cap. 7.
g) Inſtit. orat. l 8. cap. 5. Conf. TACITVS annal. l. 14. c. 11. fin.
h) TACITVS annal. l. 14. c. 51.

ret; quod ſtudia ciuium in ſe conuerteret; quod hortorum amoenitate et villarum magnificentia principem ſupergrederetur; quod eloquentiae laudem ſibi vni adſciſceret; quod carmina crebrius factitaret, poſtquam Neroni amor eorum veniſſet; quod principis oblectamentis palam eſſet iniquus; quod detractaret vim eius equos regentis; quod illuderet voces, quoties caneret etc. *i*) Seneca, obtrectationum non ignarus, ſero quidem ad ſe reuertitur, vitae perbreuis curriculum examinat, ac inuenit, quam ſatius fuiſſet, ſibique magis proficuum, ſi, ceteris rebus omiſſis, cum publicis, tum priuatis, quas vel vanas, vel exitioſas, etiamſi tutiſſimae viderentur, exitus probat: ſolis ſapientiae ſtudiis omnem aetatem impendere, ipſique ſibi viuere voluiſſet. Familiaritatem ergo eius magis aſpernante Caeſare, tempus orandi petit; eoque impetrato, ſua quaeque accepta fert ſummae Principis ac Domini ſui beneuolentiae; pro tot tantisque muneribus, quibus adhuc fere cumulatus, maximas agit gratias; potiorem diuitiarum partem in manus adeo liberalis Domini ſui reſignat; ſolemni ſermone curis quibuslibet publicis ſe primo quoque tempore abdicat; quaſi in hoc vitae humanae theatro ſenex negotiis nunc etiam leuiſſimis impar, ſuasque opes nequidem vltra ſuſtinere queat, iſtas per Caeſaris procuratores adminiſtrari, atque in eius fortunam recipi orat; nil niſi praeſidium petit, et obſecrat vt, quoniam cetera augeant inuidiam, atque infra Caeſaris magnitudinem iaceant, ſibi ſuaeque imbecillitati ſubueniatur. Inſtituta prioris potentiae mutat; prohibet coetus ſalutantium; vitat comitantes; per vrbem raro ambulat,

i) TACITVS l. c. cap. 52.

Digitized by Google

bulat, ac ſi valetudine impediretur, atque ſe interea temporis domi vel proximis in Romae locis continens, literarum et in primis philoſophiae ſtudio incumbit. Annus erat imperii Neronis octauus, quo haec facta ſunt, decimus vero quartus poſtquam iſtius iuuentuti praefectus eſt. Quae omnia apud TACITVM *k*) ſatis luculento orationis argumento continentur. Sed Nero, vt tyrannus erat, et ipſa natura ad ſimulandum diſſimulandumque factus, ſtuduit magis magisque celare odium fallacibus verbis. Blanda et ſuaui oratione Senecam non ſolum quouis crimine abſoluit, ſed etiam laudat. Mox adiecto complexu et oſculis inuidioſas praeceptoris ſui opes recuſat: quod ſi maxime continentia Senecae laudetur; non tamen ſapienti viro decorum fore, vnde amico infamiam parat, inde gloriam ſibi recipere. *l*) Sic tunc quidem philoſophus noſter, ſub forma et ſpecie recti, omnium diuitiarum poſſeſſionem retinuit: animo tamen et ipſo actu curam atque vſum iſtarum prorſus abiecit, reliquam ſibi vitae partem ipſe ſolitariam eligens: quam egregie commendat: *m*) *hodiernus dies ſolitus eſt. Nemo ex illo quicquam mihi eripuit: totus inter ſtratum lectionemque diuiſus eſt. Minimum exercitationi corporis datum etc. Non multum mihi ad balneum ſupereſt. Panis deinde ſiccus, et ſine menſa prandium: poſt quod non ſunt lauandae manus. Dormio minimum. Conſuetudinem meam noſti: breuiſſimo ſomno vtor, et quaſi interiungo. Satis eſt mihi vigilare deſiiſſe. Aliquando dormiſſe me ſcio, aliquando ſuſpicor. Ecce Circenſium obſtrepit clamor: ſubita aliqua et vniuerſa voce feriuntur aures*

k) Annal. lib. 14. cap. 53. ſeq.

l) TACITVS annal. l. 14. c. 55. 56.

m) Epiſt. 83.

aures meae. Nec cogitationem meam excutiunt, nec interrumpunt quidem. Fremitum patientiſſime fero: multae voces, et in vnum confuſae, pro fluctu mihi ſunt, aut vento ſiluam verberante, aut ceteris ſine intellectu ſonantibus. Sic et alibi *n*) vitae genus ſuum ſeneſcens cadensue, quod ipſe dicere maluit, vt ſolitarium atque parciſſimum deſcribit. Eandemque rationem, quoad halitum ipſi ducere licebat, maxima cum animi voluptate ſuſtinere voluit. Fuiſſe eum ſacris Chriſtianorum initiatum atque imbutum a Paulo, Sancto Seruatoris Apoſtolo, quidam, nec infimi nominis, doctores opinantur. *o*) Sed ipſe iſtius ne feſtigium quidem in ſcriptis ſuis certe multis et prolixis oſtendit: vt morali fortaſſis eius doctrina et ſanioribus philoſophiae praeceptis capti, ea admiratione ſibi dogmata eſſe Chriſtianorum perſuaderent, ipſumque auctorem fuiſſe doctum a S. Paulo, qui Romae longum per temporis ſpatium ad hanc vſque Neronis tyrannidem degit. Enimuero id nullo veteri teſtimonio probant. Senecae vero ad Paulum, et huius ad Senecam epiſtolae eam fidem habent, quam ſuppoſita fictaque ſcripta omnia. Tam ineptae, tam frigi-

n) Epiſt. 87. 123. et paſſim. *o*) Multos auctores de Seneca Chriſtiano LINTRVPIVS collegit in praefat. ad SVANINGII Senecae theol. natur. contemplat. Inprimis legi merentur AEGID. STRAVCHII diatr. de Chriſtianiſmo Senecae. IOH. PHIL. APINI diſſert. de religione Senecae. IOH. HENR. VON SEELEN diſſ. de ſcriptoribus gentilibus falſo in Chriſtianorum ordinem relatis. IOH. GOTTL. HEINECCII diſſ. de philoſophis ſemichriſtianis. IAC. HENR. LOCHNERI ſched. de ſcriptoribus nonnullis, qui aliis pagani, aliis Chriſtiani audiunt. CHRIST. KORTHOLTI diſſ. de Philippi Arabis, Alex. Mammaeae, Plinii Iunioris, et Senecae Chriſtianiſmo.

frigidae, et inſulſae ſunt, nihilque prorſus habent Senecae, nedum Apoſtoli Spiritu dignum: vt cordatiores plerique, etiam Eraſmus et Schottus iſtis ne hilum quidem tribuant. *p*) Sed tamen non negamus, eum rationis lumine, vitae ac doctrinae ſanctitate plurimos etiam ex Chriſtianorum grege ſuperaſſe adeo, vt optimis quibuſque aliquando pudorem atque ruborem incutiat. De doctrina eius vide collectanea theologica, philoſophica, ethica et politica, ſiue locos communes DIONYSII GOTHOFREDI ex Senecae aureis libris factos: et dixeris, omnia coeleſtibus Patris Patrati conuenire praeceptis. Verum habuit diuitiarum, vt maximae fuerat, vſum; nihil habuit in faſtum, in luxum, in pompam. Audiamus ipſum, in publico profitentem: *q*) *Ego certe, cum Attalum audirem, in vitia, in errores, in mala vitae perorantem, ſaepe miſertus ſum generis humani, et illum ſublimem altioremque humano faſtigio credidi. Ipſe regem ſe eſſe dicebat: ſed plus quam regnare mihi videbatur, cui liceret cenſuram agere regnantium. Cum vero commendare paupertatem coeperat, et oſtendere, quam quicquid vſum excederet, pondus eſſet ſuperuacuum, et graue ferenti: ſaepe exire e ſchola pauperi libuit. Cum coeperat voluptates noſtras traducere laudare caſtum corpus, ſobriam menſam, puram mentem non tantum ab illicitis voluptatibus, ſed etiam ſuperuacuis: libebat circumſcribere gulam et ventrem. Inde mihi quaedam permanſere, Lucili. Magno enim in omnia impetu veneram: deinde ad ciuitatis vitam reductus, ex bene coeptis pauca ſer-*

p) Confer. OSIANDRI hiſt eccleſ. centur. 1. l. 3. c. 18. pag. 121. Ex profeſſo FRANC. MODIVS in nou-antiquis epiſt. 21. Senecam fuiſſe Chriſtianum refellit.

q) Epiſt. 108. Confer. TACITVS annal. l. 15. c. 45. fin.

ſeruaui. Inde oſtreis boletisque in omnem vitam renunciatum eſt. Haec enim non cibi, ſed oblectamenta ſunt, ad edendum ſaturos cogentia. --- Inde in omnem vitam vnguento abſtinemus: quoniam optimus odor in corpore eſt nullus. etc. Non corrupit eum aula, genere vitiorum omni referta: neque animum ad familiarem, et omnibus pene cognatum adulationis modum deflexit. Ipſi Domino ſuo, Neroni ſcripſit: r) *Diutius me morari hic patere, non vt blandiar auribus tuis: nec enim mihi hic mos eſt. Maluerim veris offendere, quam placere adulando. — Illud mecum conſidero, multas voces magnas, ſed deteſtabiles, in vitam humanam perueniſſe, celebresque vulgo ferri, vt illam, oderint, dum metuant. Cui Graecus verſus ſimilis eſt, qui ſe mortuo terram miſceri ignibus iubet.* etc. Sic quoque ipſe teſtatur, s) quae morum vitaeque exactio quotidiana et examen: *vtor hac poteſtatae*, inquit, *et quotidie apud me cauſſam dico. Cum ſublatum e conſpectu lumen eſt, et conticuit vxor, moris iam mei conſcia, totum diem mecum ſcrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi abſcondo, nihil tranſeo. Quare enim quidquam ex erroribus meis timeam, cum poſſim dicere, vide ne iſtud amplius facias, nunc tibi ignoſco?* Certe Chriſtiano digna meditatio. Et neſcio fere, an clarius virtutis ſtudium elucere poſſit. Sic quoque paſſim inſignem prae ſe fert in vtraque fortuna ſubmiſſionem gratamque in Deum pietatem. Diuina eius ſententia: t) *non feram me, quo die aliquid ferre non potero. Male valeo? pars fati eſt. Familia decubuit? Fenus offendit? Domus crepuit? Damna, vulnera, labores, metus incurrunt? Solet fieri. Hoc parum eſt: debuit*

r) De clementia lib. 2. cap. 2. s) De ira lib. 3.

t) Epiſt. 96.

buit fieri. Decernuntur iſta, non accidunt. Si quid credis mihi, intimos affectus meos tibi cum maxime detego: in omnibus, quae aduerſa videntur, et dura, ſic formatus ſum. Non pareo Deo, ſed aſſentior: ex animo illum, non quia neceſſe eſt, ſequor. Nihil vnquam mihi incidet, quod triſtis excipiam, quod malo vultu. etc. Eaque virtutis opinio iam tum aetate ſua multos adeo videbatur cepiſſe, vt iſtum imperio deſtinarent, tanquam inſontem dilectumque claritudine virtutum ad ſummum faſtigium. *v*) Quo etiam IVVENALIS *x*) videtur reſpexiſſe, cum:

Libera, inquit, *ſi dentur populo ſuffragia, quis tam*
Perditus, vt dubitet Senecam praeferre Neroni?

Interim Nero, quamuis Senecae, commeatum petenti, ſponteque bonis cedenti ſua, ſancte ſaepe iuraſſet, ſe fruſtra ſuſpectum, et periturum potius, quam ipſi nociturum; *y*) quam maxime illi, praeceptori ſuo, infenſus, omnes ad eum opprimendum artes conquirebat. Commodam denique occaſionem nanciſcitur, indicta Piſonis conſpiratione, de quo primum Natalis fatetur, ipſique mox Annaeum Senecam adiicit, qui vel inter vtrumque fuit internuncius, vel Neronis gratiam ſibi parare ſtuduit. *z*) Sic duodecimo Neronis anno, P. Silio Nerua et C. Iulio Attico Veſtino COSS. Seneca, iubente tyranno, miſere periit. Granius Siluanus, tribunus cohortis iubetur Senecam percunctari, an dicta Natalis, ſuaque reſponſa noſceret. Tum Seneca ruri agebat, quo propinqua veſpera tribunus venit, ipſique cum Paullina vxore et amicis duobus epulanti

Nnnn 3 man-

v) Vid. TACITVS annal. l. 15. c. 65.
x) Satyr. 8. v. 211. ſeq. *y*) Vid. SVETONIVS in vita Neronis cap. 35. *z*) TACITVS annal. l. 15, cap. 56.

mandata imperatoris edidit. Cui Seneca reſpondit: *miſſum ad ſe Natalem, conquaeſtumque nomine Piſonis, quod viſendo eo prohiberetur, ſeque rationem valetudinis, et amorem quietis excuſauiſſe. Cur ſalutem priuati hominis incolumitati ſuae anteferret; cauſſam non habuiſſe, nec ſibi promtum in adulationes ingenium. Idque nulli magis gnarum, quam Neroni, qui ſaepius libertatem Senecae, quam ſeruitium expertus eſſet.* Haec a tribuno cum relata eſſent, et quod nulla pauoris ſigna, nihil triſte in verbis eius aut vultu deprehenderit: idem regredi, ipſique, velut laeſae maieſtatis et coniurationis reo, mortem indicere iubetur. Siluanus autem, quod ipſe inter coniuratos eſſet, vnum ex centurionibus ad Senecam intromiſit, qui neceſſitatem vltimam ipſi denunciaret. Seneca, qui probe ſe natum ideo cognouerat, vt tandem moriatur: et huc vſque viuus ita voluptatibus mundi ſapienter ſtuduit renunciare et quaſi demori; vt moriens, ſi quando venerit vltima hora, viuere poſſit: imperterritus teſtamenti tabulas poſcit: quas cum denegauerit centurio, amicis ſuos commendat, imaginem vitae ſuae relinquit. Simul eorum lacrumas, nunc ſermone, nunc intentior in modum coercentis, ad firmitudinem reuocat, rogitans: *vbi praecepta ſapientiae? vbi tot per annos meditata ratio aduerſum imminentia? Cui enim ignaram fuiſſe ſaeuitiam Neronis? Neque aliud ſupereſſe poſt matrem fratremque interfectos, quam vt educatoris praeceptoriſque necem adiiceret.* Poſtea complectitur vxorem, rogat oratque eam, vt temperare dolori, atque in contemplatione vitae, per virtutem actae, deſiderium mariti ſolatiis honeſtis tolerare velit. Tum illa quoque ſibi mortem deſtinatam eſſe aſſeuerat, ſaeuamque percuſſoris manum expoſcit. Sic denuo

gaui-

Digitized by Google

gauiſus Seneca coniugis nuncio, atque nihil putauit amori ſuo atque gloriae minus conuenire, quam ſi thori ſociam, ab ſe vnice dilectam, ad iniurias mortuus relinqueret. Reſpondit itaque: *vitae delinimenta monſtraueram tibi; tu mortis decus mauis. Non inuidebo exemplo. Sit huius tam fortis exitus conſtantia penes vtroſque par, claritudinis plus in tuo fine.* Mox ambo ſua brachia, vt rumpantur venae, exſoluunt ferro. Seneca, quoniam ſenili corpore, paruoque victu eſſet tenuato, ac lente ſanguis flueret, crurum quoque et poplitum venas abſcindit: tandemque ſaeuis defeſſus cruciatibus, ne aſpectu miſerabili et immenſis doloribus vxoris frangeret animum, ac ipſe ad impatientiam delaberetur, obſecrat, vt ſe in aliud cubiculum abducant. Interea temporis, quod Nero Paullinae inhibuisſet mortem, ſuadente milite, ſerui ac liberti eius obligant brachia, ſanguinem premunt eius fere exanimatae, animales ſpiritus medicina recuperant, ac mitiori ſpe oblata, vitae blandimentis, euincunt. Seneca vero mortis lentitudine maximisque cruciatibus pertaeſus, a Statio Annaeo, amico ſuo artisque medicae perito, venenum popoſcit, *a*) allatumque hauſit fruſtra, artubus iam frigidis, et corpore aduerſum veneni impetum clauſo. Igitur ſtagnum poſtremo calidae aquae introiit, reſpergens proximos ſeruorum, addita voce: *libare ſe liquorem illum Ioui liberatori.* Ex balneo, cum eius vapore eſſet exſtinctus, trahitur, atque ſine vllo funeris ſolemni honore crematur. *b*) Atque haec de vita et obitu Senecae philoſophi dixiſſe ſufficiant.

§. XXI.

a) Vnde EVSEBIVS in chron. olymp. CCXI. *L. Annaeus Seneca Cordubenſis, Praeceptor Neronis, et patruus Lucani poetae, inciſione venarum et veneni hauſtu periit.*

b) Vid. TACITVS annal. lib. 15. cap. 60-65.

§. XXI.

Ex operibus L. A. Senecae hodie exſtant (1) *de beneficiis libri VII.* ad Aebucium Liberalem, Lugdunenſem. Ita enim ipſe alibi: *c*) *Liberalis noſter nunc triſtis eſt, nunciato incendio, quo Lugdunenſis colonia exuſta eſt. Mouere hic caſus quemlibet poſſet, nedum hominem, patriae ſuae amantiſſimum.* Scripti ſunt hi libri ſub Nerone, poſt Claudii mortem. Sub finem enim libri primi de Claudio contemtim loquitur, et futile iudicium eius traducit, quod illo viuente non auſus fuiſſet. Ipſe illos epiſtola quadam *d*) citat, traditos propter ingratitudinem hominum, quae crebra, et inter vitia magna ſit. *e*) (2) *Epiſtolae* CXXIV. ad Lucilium, ſuum ab ineunte aetate amicum, qui origine humilis, induſtria emerſit, tandemque ad ordinem equeſtrem, et Siciliae procurationem peruenit *f*) Scripſit omnes intra biennium, conſulatu Memmii Reguli et Virginii Rufi, itemque Lecanii et Licinii, i. e. paulo ante obitum et extrema aetate: ipſe enim non vno loco oſtendit, epiſtolas has in ſenio ſuo ſcriptas eſſe. Quod etiam inde patet, quod in iis paſſim rerum humanarum varietatem et perpetuam inconſtantiam exagitat, honores contemnit, diuitias negligit, et cetera auerſatur, quae vulgo homines etiam cum impetu appetere ſolent. Vbique exilii, egeſtatis, mortisque contemtum inculcat: ea quoniam ſola ſit ſecuritas, quam quiſque in ſe reponit. Quam difficile ſit eam aſſequi; niſi vnius animae habeatur ratio, cetera vt ſuperflua reſcindantur: et ipſe homo, qui eam adipiſci nititur, in ſe contrahatur totus,

c) Epiſt. 91. exord. *d*) Epiſt. 81. *e*) De benefic. l. 1. c. 1.

f) Epiſt. 19. et 46. celebrat elegantiam ſcriptorum, quorum nihil ad nos peruenit.

totus. Quae ſane in priſtina dignitate ſua ac ſummo rerum faſtigio ſcribere erubuiſſet. Neque putamus illas epiſtolas, vt ſcriptae ſunt, vere et aſſidue miſſas eſſe. Placuit auctori potius illa ratio ſcribendi libera: vt pro lubitu incipere ac deſinere, inſerere et variare poſſet; neque ad certam materiam aut ordinem adſtringeretur. Locos ergo fere communes exhibent, dictaque ſententioſa, quae inter ambulandum, exercendumque, in horto, in domo, in lecto, meditatus fuerat, obiter et carptim deſcripta. Licet vero nihil aliud ſint, quam ſententiarum ad idem argumentum redactarum farrago: totam philoſophiam moralem Stoicam tamen exhibent: quam cum Seneca iuſto ſyſtemate, aut vnius libri argumento comprehendere non poſſet, in epiſtolas coniecit vagi argumenti materias. Quia ſic illa omnia commodius proponi arbitrabatur. Has epiſtolas olim per libros fuiſſe diſtinctas, ex A. GELLIO *g*) patet, qui librum vigeſimum ſecundum moralium Senecae epiſtolarum citat. Vnde ſimul etiam conſtat, non paucas huius philoſophi epiſtolas iniuria temporum periiſſe. Sane quae Gellius adducit, in editis non exſtant. Et ipſe SENECA *h*) epiſtolarum libros innuere videtur, vbi poſteriores a prioribus diſtinguit: *deſideras his quoque epiſtolis, ſicut prioribus, adſcribi aliquas voces noſtrorum.* Illa vero diſtinctio, quae in Veneta et aliis operum antiquis editionibus obſeruatur, procul omni dubio eſt a recentiori manu. Quid de eius epiſtolis ad S. Apoſt. Paulum et huius viciſſim ad Senecam ſtatuendum ſit, paulo ſuperius indicauimus. Callide vtrique ab aliena manu ſubſtitutae

g) Noct. Attic. l. 12. c. 2. *h*) Epiſt. 33.

tae huc vſque aetatem vltra Auguſtini et Hieronymi tempora tulerunt. (3) *De prouidentia*, ſiue, quare bonis viris mala accidant, cum ſit prouidentia, liber vnus, itidem ſcriptus ad Lucilium, procuratorem Siciliae, poſt Caligulae tempora. *i*) (4) Ad Nouatum fratrem *libri III. de ira* noſcenda et fugienda, inter philoſophiae primos ſcripti, Caligula viuente. (5) Ad Neronem Caeſarem *de clementia libri duo*, ſub initio principatus *k*) cum annum decimum nonum ingreſſus eſſet. (6) *De vita beata* ad Gallionem fratrem liber vnus, ad defenſionem ſuam in ſenectute ſcriptus contra calumniatores, qui opes ipſi ac ſplendidius vitae genus obiectabant: beatam videlicet in virtute vitam eſſe, eamque non ſpernere externa, ſi accedant. (7) *De tranquillitate animi* liber ad Annaeum Serenum, praefectum vigilum, ſcriptus initio reditus ſui ab exilio, cum in aulam veniſſet ac Neroni praeficeretur. Ita enim ipſe: *l*) *circumfudit me ex longo frugalitatis ſitu venientem multo ſplendore luxuria, et vndique circumſonuit*: quibus vitam aulicam tangit, ignotam ſibi antea et inuiſam. Sub idem tempus, ad eundem Serenum ſcriptus eſt (8) *de conſtantia* ſapientis liber, ſiue quod in ſapientem non cadat iniuria. (9) *De breuitate vitae* ad Paullinum liber vnus, quo hypotheſis pertractatur vitam non eſſe breuem, ſed a nobis fieri, vel non vtendo, vel male, aut vane vtendo. Paullinus an fuerit vxoris Paullinae frater, vt Lipſius arbitratur, an pater,

vt

i) Nam cap. 4. *Ego*, inquit, *mirmillonem ſub C. Caeſare audiui, de raritate munerum querentem.* Pl. confer. MVRETVS vol. 2. orat. 3. quam Romae dixit, cum Senecae librum de prouidentia interpretaturus eſſet.

k) Vid. l. 1. c. 9.

l) Illius libri cap. 1.

vt Muretus habet, certe non conſtat. Nam quae ex illius libri capite vndeviceſimo de corporis vigore proferunt, ad vtrumque pari modo referri poſſunt. (10) Liber *de conſolatione ad Polybium* ακεφαλος, exilii anno tertio ſcriptus. *m*) Polybius autem inter Claudii praepotentes libertos erat, Caeſari a ſtudiis, et bene literis Graecis Latinisque eruditus, qui fratris morte admodum affligebatur. (11) *De conſolatione ad Marciam*, A. Cremutii Cordi, viri a ſtudiis ſcriptisque incluti, filiam, gratioſam et diuitem matronam, tertio iam anno filii, cum iam maritus, pater et ſacerdos eſſet, obitum lugentem. (12) *De conſolatione ad Heluiam matrem* liber, ſcriptus cum inſtinctu Meſſalinae, impuriſſimae feminae, ab Claudio Imperatore in Corſicam inſulam relegatus eſſet. Significat, ſemet ipſum hunc caſum fortiter ferre; nec eſſe, quod matrem adeo triſtitia afficere poſſet. Ipſius conſolationis duo capita facit: neque meo nomine dolere, neque tuo debes; non meo, nam nihil mihi mali eſt, quod vulgus putat, loci mutatio, paupertas, ignominia, contemtus. Non tuo nomine dolere debes, quod in me praeſidium aliquod amiſeris: ambitioſa enim non es, nec potentiam filiorum vnquam oſtentaſti. Vel ſi deſiderium meum ferre non poſſis: tu ſupra ſexum fortis ſemper fuiſti, ac multa pertuliſti mala. Denique ipſi ſtudia ſuadet. ſapientiae et ſolatium ex fratribus ſuis, eiusque ſorore. Ipſi libro nouem epigrammata praefiguntur, quae in ſchedis Pithoeanis Senecae adſcripta fuere. Sed illa de Seneca potius ab diuerſis exarata fuiſſe videntur. (13) *Naturalium*

m) Nam. meminit Britanniae apertae, quod circa id tempus fuit.

Digitized by Google

ralium quaeſtionum ad Lucilium, procuratorem Siciliae, libri VII. qui magnam partem circa meteora verſantur. (14) *Claudii Caeſaris* ἀποκολοκύντωσις, ſiue ludus de morte Claudii Caeſaris. Exhibet proſam orationem ſatiricam, paſſim verſibus carminibusque velut quibuſdam gemmulis diſtinctam: quam ſatiram Menippeam vocant. Auctoris, tituli, et ipſius temporis, quo lepidiſſima illa ſatira ſit ſcripta, fidem etiam DIO CASSIVS *n*) fecit: vbi ἀποθέωσιν oſtendit Claudio eſſe partam per eſum boleti, ſiue κολοκύντε, in quo cibi genere venenum acceperat. Vnde Nero, teſte SVETONIO *o*) boletos Deorum cibum Graeco prouerbio laudare conſueuit. (15) *De otio aut ſeceſſu ſapientis* libri pars, male ab aliis annexa libro de vita beata, quacum nihil commune habet.

§. XXII.

Quod plures hodie ſuperent Senecae libri, mala Chriſtianorum perſuaſio in cauſſa eſt, qui hunc ſcriptorem ſingulari quodam ſtudio ſibi vindicarunt, ac pro orthodoxo amplexi ſunt: partim ob praeceptorum ſanctitatem; partim illius libelli, vtut ſpurii, commendatione, qui aliquot epiſtolas continet vltro citroque inter S. Paulum Apoſtolum atque Senecam miſſas. Nec parum illi acceſſit fauoris ex S. Hieronymi teſtimonio, qui Senecam in catalogo ſanctorum recenſuit. Inde factum eſt, vt, reiectis ethnicorum libris et omni politiori ſtudio, Senecae ſcripta auide arriperent, ac publice iuuentuti praelegerent. Imo iam tum FABII QVINTILIANI *p*) temporibus, ſolus fere in manibus adoleſcenti-

n) Hiſt. lib. 60. extremo.

o) Eius vita cap. 33.

p) Inſtit. orat. l. 10. c. 1. circ. fin.

ſcentium fuit. Attamen quaedam eius ſcripta iniuria temporum periere. (1) Multa eius *poemata* et verſus, quos certum eſt plurimos ſcripſiſſe. Nam et ipſe in exilio poemata feciſſe oſtendit, et TACITVS *q*) ipſi iam ſeniori et in aula obiectum fuiſſe, eloquentiae laudem vni ſibi aſciſcere, et carmina crebrius factitare, poſtquam Neroni amor eorum veniſſet. (2) *Orationes*, ſiue cauſſarum actiones, quarum alias in ipſo ſenatu egit, alias Neroni ſcripſit, in ſenatu recitandas. Et procul omni dubio (3) edicta ad populum et (4) grauiores *epiſtolas* conſcripſit. (5) Liber *de terrae motu*, quem iuuenis ſcripſit, vt ipſe teſtatur: *r*) quamuis etiam naturalibus quaeſtionibus eandem materiam retractauerit. (6) *De matrimonio* tractatus, quem HIERONYMVS *s*) citat. (7) *Hiſtoria*, *t*) quam tamen plerique in dubium vocant. (8) *De ſuperſtitione.* *v*) (9) *Dialogi*, quos FABIVS *x*) nominat. (10) *Moralium libri*, quorum LACTANTIVS *y*) et ipſe Philoſophus noſter *z*) meminit. (11) *Exhortationum* libri, ſaepius LACTANTIO *a*) citati. Eodem teſte *b*) ſuas exhortationes Seneca mirabili ſententia terminauit: *magnum, neſcio quid, maiusque quam cogitari poteſt, numen eſt, cui viuendo operam damus, huic nos approbemus. Nihil prodeſt, incluſam eſſe conſcientiam: patemus Deo.* (12) *De India*, cuius libri PLI-

 NIVS

q) Annal. l. 14. c. 52. *r*) Natur. quaeſt. l. 6. c. 4.
s) Aduerſus Iouinian l. 1. *t*) LACTANTIVS l. 7. c. 15.
v) AVGVSTINVS de ciuit. Dei l. 6. c. 10. TERTVLLIANVS in apologetico c. 12. LACTANTIVS l. 5. c. 9.
x) Inſtit. orat. l. 10. c. 1. *y*) Lib. 2. c. 2.
z) Epiſt. 106. et 109. *a*) Lib. 1. cap. 7. l. 5. c. 15.
b) Lib. 6. c. 24.

NIVS *c*) et SERVIVS *d*) mentionem fecerunt. (13) *De ſitu et ſacris Aegyptiorum* liber, ex quo Lucanus nonnulla depromſit. *e*) Cetera meminiſſe, noſtra nihil intereſt.

§. XXIII.

Maximi A. ſuo tempore Seneca eſt habitus a pleriſque: adeo quidem, vt, teſte CORN. TACITO, *f*) ob *claritudinem ſtudiorum*, ab Agrippina fuerit Neroni praefectus: vt *tali magiſtro* adoleſceret, eiusque conſiliis ad ſpem dominationis vteretur. Idem *g*) Senecae *multarum rerum experientiam* tribuit. L. IVN. MODERATVS. COLVMELLA *h*) *virum excellentis ingenii atque doctrinae* eum vocat; PLINIVS *i*) *principem tum eruditionis, ac potentiae, quae poſtremo nimia ruerit ſuper ipſum.* Et Iunior PLINIVS *k*) vbi de illis agit, qui doctrina et moribus inſignes amatoria luſerunt, ſummis oratoribus Senecam annumerat. *Sed ego vereor*, inquit, *ne me non ſatis deceat, quod decuit M. Tullium, C. Caluum, Aſinium Pollionem, M. Meſſalam, Q. Hortenſium, M. Brutum etc. Annaeum Senecam.* DIO CASSIVS: *l*) ὁ καὶ δὴ Σενέκας ὁ Ἀνναῖος λούκιος ὁ πάντας μὲν τοὺς καθ' ἑαυτὸν ῥωμαίους, πολλοὺς δὲ καὶ ἄλλους σοφίᾳ ὑπεράρας, διεφθάρη παρ' ὀλίγον, μήτ' ἀδικήσας τὶ, μήτε δόξας, ὅτι δίκην τινὰ ἐν τῷ συνεδρίῳ παρόντος αὐτοῦ τοῦ Γαΐου καλῶς εἶπε. *L. Annaeus Seneca, qui omnes aeui ſui Romanos, multos vero et alios ſapientia anteiuit, propemodum periit: etſi nihil admiſiſſet vel ſuſpicione leui, ſed quia cauſſam quandam* in

c) Hiſt. natur. l. 6. c. 17.
d) In Aeneid. l. 9.
e) SERVIVS Aeneid. l. 6. GROTIVS ad Luc. 10. v. 313.
f) Annal. l. 12. c. 8.
g) Annal. l. 13. c. 6.
h) De re ruſtica l. 3. c. 3.
i) Hiſt. natur. l. 14. c. 4.
k) Lib. 5. epiſt. 3.
l) Lib. 59.

in ſenatu, praeſente Caio, diſerte egerat. Et XIPHILINVS: *m*) ἐδυσχέραινεν ὅ τε Σενέκας καὶ ὁ Βοῦῤῥος, φρονιμώτατοί τε ἅμα καὶ δυνατώτατοι τῶν περὶ τὸν Νέρωνα ὄντες. *aegre tulerunt Seneca et Burrus, prudentiſſimi ſimul et potentiſſimi eorum, qui Neroni aderant.* Denique LACTANTIVS: *n*) *Qui volent ſcire omnia, Senecae libros in manus ſumant, qui morum vitiorumque publicorum et deſcriptor veriſſimus, et accuſator acerrimus fuit.*

§. XXIV.

Quod ad eruditionem et eloquentiam Senecae attinet, iam tum QVINTILIANVS *o*) monuit, eum non ſine iudicio et delectu legendum eſſe. Tribuit illi vſum ſtili, quod in nullo ſcribendi genere non eſſet verſatus; tribuit illi facile et copioſum ingenium; tribuit illi ſtudium ac rerum plurimarum cognitionem; fatetur in eius libris eſſe multa, quae non ſolum probari debeant, verum etiam admirationem mereantur: ſed detrahit illi exactam philoſophiae cognitionem, reprehendit philautiam; in dictione eius putat pleraque eſſe corrupta, quae tanto magis officiant, quod dulcibus vitiis abundent; inprimis taxat, quod rerum pondera minutiſſimis ſententiis frangat. Sed praeſtaret ipſum audire doctorem. *Ex induſtria*, inquit, *Senecam in omni genere eloquentiae diſtuli, propter vulgatam falſo de me opinionem, qua damnare eum, et inuiſum quoque habere ſum creditus. Quod accidit mihi; dum corruptum et omnibus vitiis fractum dicendi genus reuocare ad ſeueriora iudicia contendo. Tum autem ſolus hic fere in manibus adoleſcentium fuit: quem non equidem omnino conabar excutere,*

m) In Nerone. *n*) Diuinarum inſtitutionum lib. 5. cap. 9.
o) Inſtit. orat. l. 10. c. 1. circa finem.

tere, ſed potioribus praeferri non ſinebam — cuius et multae alioqui et magnae virtutes fuerunt, ingenium facile et copioſum, p) plurimum ſtudii, multarum rerum cognitio: in qua tamen aliquando ab iis, quibus inquirenda quaedam mandabat deceptus eſt. Tractauit etiam omnem fere ſtudiorum materiam. Nam et orationes eius, et poemata, et epiſtolae, et dialogi feruntur. In philoſophia parum diligens, egregius tamen vitiorum inſectator fuit. Multae in eo claraeque ſententiae, multa etiam morum gratia legenda. Sed in eloquendo corrupta pleraque, atque eo pernicioſiſſima, quod abundant dulcibus vitiis. Velles eum ſuo ingenio dixiſſe, alieno iudicio. Nam ſi aliqua contemſiſſet, ſi parum concupiſſet, ſi non omnia ſua amaſſet, ſi rerum pondera minutiſſimis ſententiis non fregiſſet: conſenſu potius eruditorum, quam puerorum amore comprobaretur. Verum ſic quoque tam robuſtis, et ſeueriore genere ſatis firmatis legendus, vel ideo, quod exercere poteſt vtrinque iudicium. Multa enim, vt dixi, probanda in eo, multa etiam admiranda ſunt: eligere modo curae ſit: quod vtinam ipſe feciſſet. SVETONIVS q) ipſi lene atque comtum dicendi genus tribuit, quod contemnens Caeſar Caligula, Senecam, tum maxime placentem, dixit, commiſſiones meras componere, et arenam eſſe ſine calce. Hanc vero lenitatem atque ſermonis cultum alii, qui accuratiores ſunt ſtili cenſores, in Seneca reperire non potuerunt. Acrius paulo GELLIVS r) de Seneca noſtro iudicat. Poſtquam enim aliorum de iſto ſententiam retuliſſet; quorum alii cen-

p) Senecae copiam quoque laudat lib. 12. cap. 10.
q) Caligula cap. 53.
r) Noct. Attic. lib. 12. c. 2.

cenſerent illius libros prorſus indignos qui legantur, quod oratio vulgaris et protrita, res atque ſententiae aut inepto inanique impetu ſint, aut vt leui et quaſi dicaci argutia; eruditio autem vernacula et plebeia, nihilque ex veterum ſcriptis habens neque gratiae, neque dignitatis: alii paulo aequiores magna ex parte ſermonis elegantiam illi detraherent, rerum vero cognitionem non adimerent, in vitiis contra obiurgandis, ſeueritatem grauitatemque non inuenuſtam comprobarent: ſigillatim Senecae de Q. Ennio et Cicerone iudicium reprehendit, eo vſque incandeſcens, vt illum nugatorem, ineptum, inſipidum atque inſulſum hominem appellaret. Iſtud vero in Senecam nimis dure et non ſine iniuria dictum eſſe, quilibet facile videre poteſt. Ego idem quod Fabius, eloquentiae optimus magiſter, de dicendi charactere et ſtilo Senecae ſentio. Quaedam vituperanda, quaedam vero probanda et non ſine admiratione laudanda veniunt. Vituperandum (1) quod ſua nimium amans purioris, quod anteceſſit, ſeculi ſcriptores non modo ipſe non imitari voluerit; verum etiam diſcipulos ſuos ab illorum cognitione auerterit, vt eos tantum in ſui admiratione detineret. s) Vnde ipſa eius phraſis nunquam non declamatorias argutias affectat, aliquando ad aenigmatis obſcuritatem. Accedit (2) orationis conciſae et parum compoſitae immodicus vſus. Adeo nihil periodorum aut numeri inuenies: vt fere omnia cum inſigni affectatione, frequentibus ſententiis afferre ſtuduerit. Quanquam in his ſint aliae, quibus nihil felicius eſſe poſſit: plures tamen durae, frigi-

s) SVETONIVS Nerone cap. 52.

frigidae, et ineptae intercurrunt. (3) Idem vſu venit in captandis epiphonematibus et argutiis, quae cum in verbis potius quam in rebus ſitae, neceſſario frigidiores et obſcurae orationi magis officiunt, quam proſunt. (4) Minutiis ſaepe rerum pondera fregit. (5) Vt plurimum inordinate, nec rebus conuenienter iuſta ſcripſit menſura, contra quam rhetorum et melioris ſeculi ſcriptorum praecepta voluere. Quoties in grandes materias incidit, v. g. de vniuerſo, de natura Deorum, de fulmine, de diluuio, ſuam voluit oſtentare ſublimitatem, et neſcio quid tragicum ſpirare videtur. (6) Latinitas multis partibus claudicat; nec ſatis pure vbique loquitur. *t*) ERASMVS *v*) voces illi tribuit, velut in hoc affectatas, vt diſſimilis ſit Ciceroni: quanquam hoc illi cum Quintiliano Pliniisque commune, forſan et cum toto illo ſeculo, quod Ciceronis, velut argenteum aureo, ſucceſſit. Ex. gr. pronomine reciproco *ſui*, *ſibi*, *ſe*, frequenter durius vti. *Tanquam* pene ſemper vſurpare pro *velut*, ſiue *vt ſi*, quando exemplum ſubiicere vult. Aliquoties dicere *aeque quam* pro *aeque atque*. *Cum* addere ſuperlatiuis pro *quam*, vt *cum maxime* pro *quam maxime*. *Aduerſus* pro *erga* frequenter in bonam partem vſurpare, vt *gratus aduerſus Deos*. In hac ſermonis forma, *non modo contemnit homines*, *ſed Deos negligit*, vix vnquam addere coniunctionem, *ſed et*, *ſed etiam*

t) SANCTII Minerua l. 3. c. 14. p. m. 372.

v) De L. A. Seneca iudicio, Pariſienſibus Morelli editionibus praefixo. Aſt probe notandum, hunc virum in politioribus ſtudiis exercitatiſſimum, duos confundere Senecas, rhetorem atque philoſophum, patrem et filium: ac vitia vtriuſque collecta vni noſtro tribuere L. A. Neronis praeceptori.

etiam, ſed quoque. x) Item (7) ſordidas in eo reprehendit voces. Inſectari mores hominum libere et falſe, non vero ſemper in loco, interdum immodice et affectatius, vt non multum abſit a ſcurrilitate. Quaedam vitia ſic deſcribere, vt ridere potius, quam odiſſe videatur, atque docere magis quam deteſtari. Cuiusmodi ſit obſcoeniſſimus excurſus in primo libro quaeſtionum naturalium, de ſpeculorum vſu. In vna epiſtola vniuerſam balnei ſupellectilem ac functionem natis ibi, h. e. ſordidis vocabulis explicare. Scio noſtrum, aduerſus Eraſmi ſententiam, a BVCHNERO *y*) defendi, quod epiſtolae ſint liberioris linguae, ac iſta humilia ſordidaque citra culpam admittere: cum in familiari ſermone, quem illae referant, nemo talia reformidet; et rideatur, qui malit circumloqui, quam nominatim dicere. Sed haec procul dubio in gratiam philoſophi noſtri, vel ex nimio eius amore admittit, quae diuina oracula et cultioris linguae indoles, imo et rhetores ethnicorum abominantur. Quoquo ſe res habeat modo, inprimis Seneca tempore ſuo placebat omnibus, et fere ſolus in adoleſcentum manibus erat. Hoc vero Quintilianus ferre minime gentium potuit, cum vt ipſe loquitur, *z*) corruptum et omnibus vitiis fractum dicendi genus ad ſeueriora iudicia reuocare contenderet. Nolebat tamen ideo videri Senecam odiſſe aut inuiſum habere: quem non conabatur omnino manibus excutere, ſed etiam potioribus praeferri non ſinebat. Quae poſtquam narraſſet, *amabant*, inquit, *eum magis, quam imita-*

x) Plura enarrabimus huius tractationis capite extremo: vbi ſigillatim quaedam de dictione huius aetatis monenda ſunt.

y) De commutata ratione dicendi l. 1. c. 15. p. m. 248.

z) Inſtit. orat. l. 10. c. 1.

imitabantur: *tantumque ab illo defluebant*, *quantum ille ab antiquis deſcenderat. Foret enim optandum*, *pares*, *aut ſaltem proximos illi viro fieri.* Laudatur in Seneca (1) copioſum, praeſtans et facile ingenium, plurimum ſtudiii, multarum rerum cognitio, prudentia et quod multis magnisque virtutibus claruerit. Laudatur (2) quod omnem fere ſtudiorum materiam tractauerit. (3) Quod egregius fuerit vitiorum in ſectator, et multa de moribus ac humanitate tradiderit. Nec ab re dictum de eo vernacula:

Seht dieſer Heyde kan die Chriſten wohl beſchämen;
Sie möchten ſich an ihm nur ein Exempel nehmen.
Ach ſchade! die Vernunfft will nach der Tugend gehn:
Und ein getauffter Chriſt will dieſes nicht verſtehn.

(4) Egregium vſum habet in dictione arguta et ſententioſa, ſi omnis affectatio et hiatus tollantur. Nam et OWENVS *a*) de eo:

Pene tuae dici poſſunt epigrammata gnomae
Praeterquam numeris quod tua dicta carent.

Et MORHOFIVS: *b*) *nihil eſt Senecae ſcriptis argutius et ſententioſius; quae ego voluenda et revoluenda ſuaſerim, vt promtitudinem habeamus variarum rerum et argumentorum in moralibus et ciuilibus; addo et in ſacris ad populum orationibus, quibus illa mirifice ſubuenire poſſunt.* Laudatur denique (5) varia eruditio, veritatis ſtudium, et philoſophi ingenioſiſſimi praemeditata ac profunda doctrina: adeo quidem vt Patinus Senecam, Plutarcho et Ariſtoteli iunctum, integram bibliothecam conſtituere poſſe

a) Epigr. 140.
b) Polyhiſt. liter. l. 1. c. 23. §. 21.

Digitized by Google

poſſe crediderit. BVCHNERVS *c*) vero liberalius forſan et nimis indulgenter Seneca dixit poſt Ciceronem diſertius ingenium in Romanis non fuiſſe. Vt verborum tandem faciamus finem, et omnia paucis comprehendamus, rurſum FABII *d*) ſententiam Romanae eloquentiae ſtudioſis commendamus: iam robuſtis et ſeueriore genere ſatis firmatis legendus eſt, qui eligere poſſunt, neque cum probandis vituperanda, vel deteriora prae optimis arripiunt. Ex. gratia epiſtolae non ſine magno fructu leguntur, lectoris modo iudicium adeſt, propter cauſſas iam memoratas. Maximam partem ſunt tam prolixae, vt vna earum prope librum abſoluere poſſit. Quare ſi quis eas ſibi imitandas proponat, inepte et imprudenter acturus, non tam epiſtolas, quam declamationes compilare inſtituet. Senecae ſtilum Lipſius quidem haud infeliciter expreſſit: quem poſtea plurimi Lipſiomimi adamarunt, tanto infelicius et nullo plane ingenio: vt parum in iſtis gratiae, infinitae exclamationes et merae ineptiae reperiantur.

§. XXV.

Vtriuſque Senecae, Rhetoris atque Philoſophi quotquot ſuperſunt opera vulgo coniunctim edi ſolent. Prodiere primum *Neapoli* 1475. deinde 1484. fol. *Taruiſii* 1478. fol. cura Bernardi de Colonia. *Venetiis* 1490. libri controuerſiarum Senecae Patris, e codice Vaticano primum editi ſunt. 1492. fol. omnia opera per Bernardum de Coris de Cremona.

§. XXVI.

Sequenti ſeculo poſt Chriſtum natum decimo ſexto, cele-

c) De commutata dicendi ratione l. 2. c. 19. p. m. 634. Pl. conferatur GRONOVIVS epiſtola nuncupatoria Senecae operibus praemiſſa. *d*) Inſtit. orat. l. 10. c. 1.

celebriores vtriuſque Senecae editiones prodiere *Baſileae* 1515. et 1529. fol. Deſ. Eraſmi Roterodami opera apud Frobenium. Accedunt Rudolphi Agricolae et Sigiſmundi Gelenii caſtigationes, et Senecae vita a Franciſco Petrarcha deſcripta. 1557. apud Heruagium, cum Coelii Secundi Curionis caſtigationibus. 1590. 8. apud Epiſcopium. *Coloniae* 1593. 8. apud Ioh. Gymnicum, cum Dionyſii Gothofredi coniecturis, variis lectionibus et locis communibus. *Heidelbergae* 1594. fol. apud Commelinum, cum notis Mureti, et Iani Gruteri caſtigationibus. *Lugduni* 1595. 8. cum notis Mureti et Iani Gruteri caſtigationibus. *Pariſiis* 1587. fol. charta maxima. 1599. fol. *Venetiis* 1503. fol. 1522. fol. 1536. ex officina Ioh. Auguſti a Burgo Franco, cum caſtigationibus Ferdinandi Pintiani, qui codicibus quindecim vſus ad quinquies mille maculas eluiſſe ſe profitetur. *Florentiae* 1513. 8. apud Iuntam. *Romae* 1585. fol. typis Barthol. Garaſſii, cum notis M. A. Mureti et indice Iulii Roſcii Hortini.

§. XXVII.

Seculo decimo ſeptimo vtriuſque Senecae ſcripta prodierunt *Pariſiis* 1602. 1607. 1613. 1619. 1627. 1687. folio, cum variorum commentariis, recenſita et aucta ſcholiis Fed. Morelli, Profeſſoris Regii. Continentur in illis primo Auberti, Nicolai Fabri et Iuſti Lipſii praefationes, Eraſmi de L. A. Seneca iudicium, Iuſti Lipſii pro notis ſuis praeſcriptio ac introductio lectoris, eiuſd. iudicium ſuper L. A. Seneca, Vita L. A. Senecae a Lipſio deſcripta, auctorum elogia et fragmenta; ipſius Senecae philoſophi opera cum commentariis Iuſti Lipſii, M. A. Mureti, Fer. Pinciani, Eraſmi Roterodami, Ioh. Obſopoei, Gruteri et Iureti; in Senecae lu-

dum

Digitized by Google

dum notae Nic. Fabri, Beati Rhenani, Hadriani Iunii, Opſopoei, Chriſtiani, Gruteri et Iureti; rerum et verborum index copioſiſſimus; Dionyſii Gothofredi ex Seneca loci communes theologici, iuridici, philoſophici ethici, politici, grammatici, rhetorici, dialectici, ſophiſtici, phyſici, medici, mathematici, hiſtoria animalium, ſimilia. Tum ſequuntur Senecae Rhetoris opera cum vberioribus notis et coniecturis Nic. Fabri, Andr Schotti, Iani Gruteri, Fr. Iureti, I. Lipſii, Ioh. Petreii, Fer. Pinciani, I. Obſopoei. Accedit libellus Andreae Schotti de claris apud Senecam Rhetoribus, Eiuſdem variae lectiones, Pinciani caſtigationes et neceſſarii indices. *Antuerpiae* 1605. 1614. 1632. 1637. et 1652. fol. cum notis Iuſti Lipſii, adiunctis Liberti Fromondi ad apocolocyntoſin et naturales quaeſtiones obſeruationibus. *Amſtelodami* 1619. 8. praemiſſa Danielis Heinſii oratione de Stoica philoſophia, additis notis Mureti, Lipſii, Scriuerii, Pontani, Piſcatoris, Rhenani, Fabri, Iunii atque Schotti. 1658. 12. apud Elzeuir. typis nitidis, Ioh. Frid. Gronouii notis ſeparato volumine editis. 1672. 8. tribus voluminibus, apud Elzeuirium, cum integris Iuſti Lipſii, Ioh. Frid. Gronouii et ſelectis variorum notis. *Lugduni Batau.* 1609. 1640. et 1649. 12. apud Elzeuirium, tribus voluminibus, notis Ioh. Frid. Gronouii ſeparato volumine excuſis. *Heidelbergae* 1604. fol. apud Commelinum, cum variorum notis; occurrunt in hac editione veterum etiam ſiglae, quae apud Romanos in vſu fuerunt. 1604. 12. apud Commelinum, additis Syrimini ſententiis, ope codicum Palatinorum et Friſingenſis auctioribus. *Geneuae* 1628. et 1638. fol. cum Dionyſii Gothofredi coniecturis, variis lectionibus, et locis communibus.

§. XXVIII.

Digitized by Google

credimus, prima iuuenta C. Caeſarem diui Auguſti nepotem ſectatus, non ſine rumore illi Apicio diuiti et prodigo ſtuprum venum dedit. Haec ATHENAEVS *i*) de eo memoriae prodidit: ἐγένετο δὲ κατὰ τοὺς Τιβερίου χρόνους ἀνήρ τις Απίκιος, πλουσιωτατος, τρυφητὴς, ἀφ᾽ οὗ πλακούντων γένη πολλὰ Απίκια ὀνομάζεται. οὗτος ἱκανὰς μυριάδας καταναλώσας εἰς τὸν γαστέρα, ἐν Μιντούρναις (πόλις δὲ καμπανίας) διέτριβε τὰ πλεῖστα, καρίδας ἐσθίων πολυτελεῖς, αἳ γίνονται αὐτόθι, ὑπέργε τὰς ἐν Σμύρνῃ μέγισται, καὶ τοὺς ἐν Αλεξανδρείᾳ ἀστακούς. ἀκούσας οὖν καὶ κατὰ λιβυὴν γίνεσθαι ὑπερμεγέθεις, ἐξέπλευσεν οὐδ᾽ ἀναμείνας μίαν ἡμέραν. Καὶ πολλὰ κακοπαθήσας κατὰ τὸν πλοῦν, ὡς πλησίον ἧκε τῶν τόπων, πρὶν ἐξορμῆσαι τῆς νεὼς (πολλὴ δ᾽ ἐγεγόνει παρὰ λίβυσι φήμη τῆς ἀφίξεως αὐτοῦ) προσπλεύσαντες ἁλιεῖς προσήνεγκαν αὐτῷ τὰς καλλίστας καρίδας. ὁ δ᾽ ἰδὼν ἐπύθετο, ει μείζους ἔχουσιν: ειπόντων δὲ, μὴ γίνεσθαι ὧν ἤνεγκαν, ὑπομνησθεὶς τῶν ἐν Μιντούρναις, ἐκέλευσε τῷ κυβερνήτῃ τὸν αὐτὴν ὁδὸν ἐπὶ Ιταλίαν ἀναπλεῖν, μηδὲ προσπελάσαντι τῇ γῇ. *Tiberii ſeculo vixit Apicius, vir ditiſſimus, luxu ſolutus, a quo complura placentarum genera Apicia nominant. Multas nummorum cum ille myriadas profudiſſet ventris et gulae cauſſa, Minturnis, quae ciuitas eſt Campaniae, vt plurimum degens, locuſtis k) veſcebatur magno emtis, quae illic naſcentes, et maximas Smyrnaeas, et aſtacos Alexandrinos amplitudine vincebant. Cum in Africa vaſtae inuſitataeque magnitudinis audiſſet reperiri, continuo, ne exſpectato quidem vnico die, illo naui profectus, multaque incommoda nauigationis perpeſſus, vt propius ad oram eius regionis acceſſit, priuſquam naui exiliret (aduenturum enim rumor in ea prouincia increbuerat) piſcatores ad eius nauem con-*

i) Deipnoſoph lib. 1. cap. 6.
k) Marinis maioribus cancris.

Qqqq

contenderunt, et quam maximas obtulerunt locuſtas: quibus conſpectis, num maiores haberent percontatus, cum negaſſent illis grandiores, quas aduexiſſent, vſquam in eo mari gigni, Minturnenſium recordatus, gubernatorem iuſſit eadem via Italiam repetere, priuſquam in terram appuliſſet. Hic adeo omnes Romanos luxuria ſuperaſſe, vel inde patet, quod gulae totus quantus deditus imperator, Antoninus Heliogabalus apud AELIVM LAMPRIDIVM *l*) ipſe dixerit, priuatum ſe Apicium; imperatorem vero Neronem, Othonem et Vitellium imitatum fuiſſe. Atque, vt idem LAMPRIDIVS *m*) memoriae prodidit, quoties Heliogabalus ad imitationem Apicii comedit, luxus longe maximus fuit: *comedit ſaepius calcanea camelorum, et criſtas viuis gallinaceis demtas, linguas pauonum et luſciniarum* etc. Si quae vero ſtupenda magis, quam deſcribenda: *coenas*, inquit hiſtoricus, *n*) *et Vitellii et Apicii vicit.* Apicium hinc PLINIVS *o*) nepotum omnium altiſſimum gurgitem vocat. Et ſemper veteres ad eum prouocant poetae. MARTIALIS *p*) ad Marcum:

Litera facundi gratum mihi pignus amici
Pertulit, Auſoniae dona ſeuera togae:
Qua non Fabricius, ſed vellet Apicius vti,
Vellet Mecaenas, Caeſarianus eques.

Togam ait ſibi cum literis miſſam elegantiorem, quam qua vellet vti Fabricius, continens ille paupertatis cultor; ſed qualem forſan luxurioſus Apicius, aut ipſe mollis ac tener Mecaenas geſtare voluiſſet. Vt maiores vix domi ſumtus eſſe ferendos doceret: *q*)

Ipſe

l) Heliogab. cap. 18. extr. *m*) L. c. cap. 20.
n) LAMPRIDIVS Heliog. cap. 24. *o*) Hiſt. natur. lib. 10. c. 48.
p) Lib. 10. epigr. 73. *q*) Lib. 2. epigr. 69.

Digitized by Google

Ipſe quoque ad coenam, inquit, *gaudebat Apicius ire.*
Cum coenaret, erat triſtior ille, domi.

Et IVVENALIS: *r*)

— — — *Multa videmus,*
Quae miſer et frugi non fecit Apicius.

Eum vnde miſerum dixit Iuuenalis atque frugi? Scilicet tantos, in dies quos facere conſueuerat, ſumtus diu ſuſtineri poſſe dubitauit: et poſtquam HS. millies (duos milliones et ſemis) in culinam congeſſiſſet, neque plus centies HS. (250000. coronat.) de patrimonio ſibi ſupereſſe intelligeret, veneno vitam finiit, metuens ne ſibi deinceps eſuriendum eſſet. BAYLE: *s*) *on y voit qu' Apicius s' empoiſonna, pour auoir troué par le calcul de ſes biens, qu' il ne lui reſteroit que la ſomme de* 250. *mille liures.* Reliqua ergo illi fuerunt CXXV. florenorum millia. Teſtis huius rei eſt SENECA philoſophus, *t*) vbi *Apicius*, inquit, *noſtra memoria vixit — cuius exitum noſſe, operae pretium eſt. Cum ſeſtertium millies in culinam congeſſiſſet, cum tot congiaria principum, et ingens Capitolii vectigal ſingulis commeſſationibus exſorbiſſet: aere alieno oppreſſus, rationes ſuas tunc primum coactus inſpexit, ſuperfuturum ſibi ſeſtertium centies computauit: et velut in vltima fame victurus, ſi ſeſtertio centies vixiſſet, veneno vitam finiuit. Quanta luxuria erat, cui ſeſtertium centies egeſtas fuit?* DIO CASSIVS: *v*) Apicius omnes homines luxus et gulae ſtudio ſuperauit. Et cum ſcire aliquando vellet, quid abſumti, et quid reliqui haberet, audito centies HS. reſtare, indo-

r) Satyr. 4. verſ. 22. *s*) Dictionaire art. Apicius. p. m 259. tom. 1.

t) Conſol. ad Heluiam cap. 10. *v*) Lib. 57.

indoluit, et vt fame moriturus, ſeſe interemit. Et MARTIALIS: x)

Dederas, Apici, bis trecenties ventri,
Sed adhuc ſupererat centies tibi laxum.
Hoc tu grauatus, ne famem et ſitim ferres,
Summa venenum potione duxiſti.
Nil eſt, Apici, tibi guloſius factum.

Luxus Apicii huius paſſim apud SENECAM veſtigia: eo teſte y) mullum ingentis formae Tiberius Caeſar miſſum ſibi, cum in macellum deferri et venire iuſſiſſet: *amici*, inquit, *omnia me fallunt, niſi iſtum mullum aut Apicius emerit, aut P. Octauius.* Nec eum ſpes fefellit. Licitati ſunt, et vicit Octauius, qui ingentem conſecutus eſt inter ſuos gloriam, cum quinque millibus HS. emiſſet piſcem, quem Caeſar vendiderat, ne Apicius quidem emerat. Apud eum z) *caenis prouocare Apicium* eſt voluptatibus cum luxorioſiſſimo certare. Alibi a) deſcribit Apicium, terrarum ac maris gulae conquirentem bona, et ſuper menſam omnium gentium animalia recognoſcentem; e lectis ſpectantem popinam ſuam, aures vocum ſono, ſpectaculis oculos, ſaporibus palatum ſuum delectantem. *Mollibus*, addit, *lenibusque fomentis totum laceſſitur — corpus: et ne nares interim ceſſent, odoribus variis inficitur locus ipſe, in quo luxuriae parentatur.* PLINIVS b) M. Apicii inuentum deſcribit arida fico ſaginandi ſues, ac ſatie necandi repente mulſi potu dato.

§. XXXI.

x) Lib. 3. epigr. 22. y) Epiſtola 95.
z) Epiſtola 120. a) De vita beata cap. 11.
b) Hiſt. natur. lib. 8. cap. 51.

Digitized by Google

§. XXXI.

Apicius tertius, vt eſt apud ATHENAEVM, *c*) Traiano imperatori, cum apud Parthos eſſet, procul a mari dierum permultorum itinere, recentia miſit oſtrea, ſua diligentia ſapientiaque ſeruata: non vt Nicomedi Bithyniae Regi, procul etiam a mari diſſito, halecem deſideranti, coquus aliquis piſciculum imitatus; quod finxerat, pro halece appoſuit. Huius apud SVIDAM *d*) fit quoque mentio, vbi: Τραιανῷ ἐν πάρθοις ὄντι καὶ τῆς θαλάσσης ἀπέχοντι ἡμερῶν πολλῶν ὅδον, Ἀπίκιος ὁ ὀψοφάγος ὄστρεα νεαρὰ διεπέμψατο ὑπὸ σοφίας τεθησαυρισμένα. OLAVS BORRICHIVS *e*) huic ſuperſtites de obſoniis et condimentis libros adſcribit. *Apicius Coelius*, inquit, *qui de arte coquinaria X. nobis libros reliquit, vel vltimis Traiani annis, vel certe, quod veriſimilius, Hadriani principatu ſcripſit. Poſt pauca: noſter hic Imperatori Traiano in Parthis procul a mari agenti recentia oſtrea miſit, artificio miro conſeruata, ſi verax eſt Athenaeus.*

§. XXXII.

G. I. VOSSIO *f*) alia mens eſt, qui libros iſtos ex argumento potius, quam ab auctore, nomen Apicii prae ſe ferre opinatur. Hinc citatur illi M. Caelius, vel Caecilius in Apicio, ſiue de re culinaria opere. Et paulo poſt: *ſi coniecturae ſit locus*, inquit, *exiſtimem, auctorem operis eſſe M. Caelium, vel Caecilium: hunc operi feciſſe nomen Apicio, quia ageret de re culinaria: nempe ab illo, vt Plinius vocat, nepotum omnium altiſſimo gurgite, Marco, non Coelio, ſed Gauio Apicio, vt Dio g) ap-*

c) Deipnoſoph. lib. 1. cap. 8. *d*) In voc. ὄστρεα.

e) Cogit. de variis Lat. linguae aetatibus p. 18.

f) De analogia lib. 1. cap. 14.

g) appellat. Pari modo STEPHANVS STEPHANIVS: *h) Caelii*, inquit, *libelli de re culinaria Apicii titulum ſunt ſortiti, cum ad Apicium illum non pauca referantur.* Alii excerptos ex maiore opere, vel ex variis ſcriptoribus contractos fuiſſe opinantur. *i)*

§. XXXIII.

ALBANVS TORINVS, *k)* cum reperiſſet Apicium hunc, olfaciebat ſtatim auctorem eſſe vetuſtiſſimum, et obſopaeum, qui de re popinali, lingua coquinaria egregie praeter ceteros ſcripſiſſet, et qui obſonia delicatius, quam pro ea aetate, qua glandibus veſcerentur homines, confeciſſet. LATINVS LATINIVS vero in bibliotheca profana, vbi quaedam in Apicium obſeruationes leguntur, ad verba editoris: *ſe ſtatim olfeciſſe auctorem eſſe vetuſtiſſimum:* haec notat: *Quam vereor, ne tuae nares obeſiores fuerint. Quid enim vetuſtatis redolere poſſunt verba ſemibarbara, et ab eo florenti ſeculo prorſus aliena? Ego vero, vt quod ſentio paucis expediam, commentum puto eſſe hominis otioſiſſimi, qui cum illudere poſteris eiuſdem naris facile ſibi eſſe perſuaſiſſet, mentito nomine Apicium credidit venditare poſſe. Sed paſſim occurrunt, quibus pene manifeſto prodit ſe ipſum auctor ineptus, barbarus, et nullius in ea arte ingenii, aut guſtus, qui ea interdum coniungat ad ſaporis gratiam, quae vſu docente omnes ſcimus ſummam palato moleſtiam nauſeamque ſtomacho creare ſolere.* Ad vltimum quidem hoc Latinii quod attinet, de guſtibus non facile videtur eſſe diſputandum. Reſpondit ergo illi MARTINVS LISTERVS:

g) Lib. 47. *h)* Ad Saxonem Grammaticum p. 13.
i) Vid. BARTHIVS aduerſar. lib. 34. cap. 18.
k) Praefixa editioni ſuae dedicatoria epiſtola.

STERVS: *l*) *At propterea tamen haec antiqua condimenta, quod forte protinus non placeant aliquibus, non abiicienda ſunt. Nam ipſos veteres a pipere olim abhorruiſſe teſtatur Plutarchus, triſtesque citrorum ſuccus aegre tuliſſe, et per multa ſecula tantum inter veſtimenta in arcis ſuis, odoris gratia, repoſuiſſe, omnium fructuum tamen vtiliſſimum ac ſaluberrimum. Nec minus a ſale abſtinebant terrae Indiae occidentalis homines. Quis crederet lupuli flores in quotidianum potum admitti potuiſſe, iisque tantam hordei dulcedinem, oeconomiae ſolum gratia nos ſumma amaritudine libenter inſici voluiſſe? Fructus plerique Americani odoratiſſimi ſunt, ideoque noſtris Europaeis primo certe aduentu valde ingrati, contra Americanis noſtri, quod iſto vehemente odore fere careant, fatui videntur. Et huiuſmodi ſexcenta ſunt, ſi omnia perſequi luberet, quae praeter guſtum, in victum tamen vulgo recepta ſunt: profecto vel alieniſſima palato condimenta ſola conſuetudo tandem domat adoptatque. Itaque Latinus Latinius inconſiderate admodum atque inepte noſtrum Apicium perſtringit propter neſcio quae condimenta, ſibi, ſi Diis placet, nauſeam motura.*

§. XXXIV.

Apicium vero illum, qui ſub Tiberio vixit, longe omnium gula celebratiſſimum de arte coquinaria ſcripſiſſe, ſufficiens mihi teſtis eſt PLINIVS *m*) vbi, *phoenicopteri linguam*, inquit, *praecipui ſaporis eſſe, Apicius docuit, nepotum omnium altiſſimus gurges.* Alibi: *n*) *M. Apicius ad omne luxus ingenium mirus, in ſociorum garo (nam ea quoque res cognomen inuenit) necari eos praecellens putauit, atque e iecore eorum*

l) Editione Apicii ſua. *m*) Hiſt. natur. lib. 10. cap. 48.
n) Lib. 9. c. 17.

rum alecem excogitare prouocauit. Diſerte etiam *Apicianae coċturae* meminit. *o*) Vndenam vero haec, quam ex libris Apicii, intelligere potuit? Accedit SENECAE philoſophi *p*) ſententia, qui, *Apicius*, inquit, *noſtra memoria vixit, qui in ea vrbe, ex qua aliquando philoſophi, velut corruptores iuuentutis, abire iuſſi ſunt, ſcientiam popinae profeſſus, diſciplina ſua ſeculum infecit.* Quae ſane eum aliquid de coquinaria ſcripſiſſe non obſcure arguunt. Vetus etiam Iuuenalis ſcholiaſtes *q*) de iuſcellis ſcripſiſſe notat: *Apicius*, inquit, *auċtor praecipiendarum coenarum, qui ſcripſit de iuſcellis, fuit enim exemplum gulae.* TERTVLLIANVS *r*) coquorum veluti ſeċtam quandam ſcribit diċtam eſſe ab Apicio, vt grammaticorum ab Ariſtarcho, medicorum ab Eraſiſtrato. Nihil clarius ISIDORI *s*) verbis: *primus Daedalus menſam et ſellam fecit. Coquinae apparatum Apicius quidam primus compoſuit, qui, in eo abſumtis bonis, morte voluntaria periit, et merito: quia is qui gulae atque edacitati ſeruit, et animam, et corpus interficit.* Idemque ex Suida VOLATERRANVS *t*) affirmat, et M. Apicium, altiſſimum nepotum gurgitem, libros, ait, de gula conſcripſiſſe, pro qua multas abſumſerit opes. M. Apicii iſtud opus, niſi me omnia fallunt, M. Coelius, vel M. Caecilius quidam, deterioris aeui ſcriptor de gulae magis, quam diċtionum et orationis elegantia ſolicitus, alia aliaque manu interpolatum, acceſſionibus multis atque, vt illi videbatur, notatu dignioribus recentiorum Lurconum, vel Api-

o) Lib. 19. c. 8.
p) Conſolatione ad Heluiam cap. 10.
q) Ad ſatyr. 4. v. 23.
r) De pallio cap. 5. et apologetici cap. 4.
s) Orig. lib. 20. cap. 1.
t) Commentariorum vrbanorum lib. 13. p. m. 474.

Apiciorum, vt olim fuerunt ac etiamnum ſunt plurimi, obſoniis auxit. Sui ergo, veluti noui operis, ab origine ſua et primi commentatoris auctoritate, inſcriptionem vel titulum voluit eſſe *Apicium*. Simodo ipſius interpolatoris nomen eſt *Coelii*, aut *M. Caecilii*. Nam et ALBANVS TORINVS *v*) ſe in lacero et ſqualore obſito codice vix nomen diuinaſſe fatetur.

§. XXXV.

IVVENALIS *x*) inter paraſitos *Galbam* quendam nominat, vel, vt in aliis exemplis, mendoſe forſan, legitur, *Gabbam*: quem vetus ſcholiaſtes *Apicium Gabbam* interpretatur, et ſub Tiberio ſcurram nobilem fuiſſe tradit. Sed noli credere, guloſum fuiſſe Apicium, quem diximus luxuria et deſperatione ſuis opibus excidiſſe. Hic enim ſi adulatione et paraſitando viuere inſtituiſſet: neque ſuas ipſe dilapidaſſet diuitias, neque cum ſatis eſſet bonorum, inopiae interiiſſet timore. Hoc vero in primis notatu dignum, ab inſigni luxuria pridem Apiciorum nomen in prouerbium abiiſſe: vt *Apicius* pro quouis guloſo, pretioſo et ſumtuoſo dicatur. Ita *vuae Apiciae*, *y*) *vinum Apicium*, *z*) *coctura Apiciana*, *a*) et *condimenta Apiciana*. *b*) Eo referimus ergo etiam illa apud IVVENALEM: *c*)

Atticus eximie ſi coenat, lautus habetur:
Si Rutilus, demens. Quid enim maiore cachinno
Excipitur vulgi, quam pauper Apicius? —

i. e. ne-

v) Editionis ſuae praefatione. *x*) Satyr. 5. init.
y) CATO de re ruſtica cap. 24. *z*) Ibid. c. 6. et VARRO de re ruſtica l. 1. c. 25. *a*) PLINIVS hiſt. nat. l. 19. c. 8.
b) TERTVLLIANVS de anima c. 33.
c) Satyra 11. init.

i. e. nemo deridendus magis, quam luxurioſus pauper. Apud ATHENAEVM *d*) complura placentarum genera *Apicia* nominantur. Et ſunt, qui perſuadere nobis conantur *e*) ex Apicii praenomine *Marco* panes ſaccharo conditos etiamnum dici vulgo *Marci panes*. Ipſius de re culinaria libri quarti capite ſecundo, *ſalacatthia Apiciana*, libri quinti capite quarto, *Apiciana concila*, libri ſeptimi capite quarto, *offulae Apicianae*, et libri octaui capite ſeptimo, *ius frigidum crudum Apicianum* memorantur.

§. XXXVI.

Stilus incultus eſt, et vix ſatis vbique Latinus; imo fere barbarus, et multa habet, alias inuſitata; quae dixeris Africanorum ingenium ſapere. Inter ſexcenta alia reperies *charaxare*, *incharaxare*, pro ſcalpello incidere; *pertangere*, pro perfundere; *nuces depilare*, pro decorticatae; *expromare*, pro expromere; *aucella* et *auicella*, pro auicula; *liquaminatus porcellus*, pro iurulento, **mit einer Brühe**; *melizomum*, ius mellitum, **Honig-Brühe**; *anethatum*, anetho conditum; *amylatum*, amylo confectum, **eine Mehl-Suppe**; *cuminatum*, condimentum ex cumino factum, **eine Kümmel-Brühe**; *iſiciatum*, repletum, **gefüllet**; *omentatum*, omento fartum, **mit fettem Netz umgeben**; *hydrogaratum*, cum hydrogaro factum, quod liquaminis genus inter veterum cupedias; *lacticinium*, cibus ex lacte, **Milch-Speiſe**; *ſalacaccabia*, inteſtina farta; *thermoſpodium*, vas cineri calido ſeruando, **eine Wärmpfanne**; *apodermum*, ex nucibus decorticatis confectum; *exfoliare*, folia demere, **abblättern**; *mediare*, medio diuidere, **mitten**

d) Deipnoſoph. lib. 1. cap. 6.

e) Vid. FABRICII biblioth. Latin. volum. 1. pag. 504.

ten entzwey ſchneiden; *ſubcultrare*, cultello concidere, zerſchneiden; *reexinanire*, iterum euacuare; *ſpongizare*, et *ſpongiare*, ſpongia emundare; *frictilis*, fructus aut frixus; *farſilis*, fartus aut faginatus; *excaldatus*, loco calido exemtus, abgekühlt; *albamen*, albitudo, color albus; *agnus ſyringatus*, excauatus; *fiblare*, *infiblare*, fibula coniungere; *ſpatula porcina*, deliciae; *combuſtura*, et *combuſtio* a comburere; *conchicla*, edulium ex fabis. Quae procul dubio ex lingua plebeia et peculiaria artis vocabula ab aeui illius coquis accepit. Nec ipſum opus alium nobis vſum promittit, quam vt priſca inde artis vocabula, alias non obuia, cognoſcere poſſimus. Eoque ſenſu BORRICHIVS *f*) Apicianum hoc opus dicit eſſe non ineruditum, conciſum atque curioſum, quo ſine verborum fucis preſſe argumentum ſuum proſequatur. Atqui etiam artis illa vocabula, vt a profeſſoribus quaequae ſuis hauriuntur, non temere immutanda ſunt: etiamſi omnium minime Latina ciuitate videantur eſſe donata. Audiamus hac de re ipſum TVLLIVM: *g*) *Stoicorum autem non ignoras, quam ſit ſubtile, vel ſpinoſum potius diſſerendi genus: idque cum Graecis, tum magis nobis, quibus etiam verba parienda ſunt, imponendaque noua nouis rebus nomina. Quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur, cogitans in omni arte, cuius vſus vulgaris communisque non ſit, multam nouitatem nominum eſſe, quum conſtruantur earum rerum vocabula, quae in quaque arte verſentur. Itaque et dialectici, et phyſici verbis vtuntur his, quae ipſi ſcientiae nota ſunt. Geometrae vero, muſici, grammatici,* Rr rr 2 *etiam*

f) Cogit. de variis Latinae linguae aetatibus pag. 18.

g) De finibus bonorum et malorum lib. 3. cap. 1. et 2.

etiam more quodam loquuntur ſuo. Item ipſae rhetorum artes, quae ſunt totae forenſes atque populares, verbis tamen in dicendo quaſi priuatis vtuntur ac ſuis. Atque vt omittam has artes elegantes et ingenuas, ne opifices quidem tueri ſua artificia poſſent, niſi vocabulis vterentur nobis incognitis, vſitatis ſibi. Quin etiam agricultura, quae abhorret ab omni politiore elegantia, tamen ea res, in quibus verſatur, nominibus notauit nouis: quo magis hoc philoſopho faciendum eſt.

§. XXXVII.

Caelii Apicii de obſoniis et condimentis, ſiue de *re culinaria Libri X.* Nicolao V. Pontifice Romano, in inſula Megalona ab Enocho Aſculano, cum Porphyrionis in Horatium ſcholiis, inuenti ſunt. *b*) Prodierunt hinc *Venetiis* ſine anni nota in 4. apud Bernardinum Venetum, cum Suetonio de grammaticis et rhetoribus. *Mediolani* 1490. 4. per Blaſium Lancilotum. Rurſum *Venetiis* 1503. 4. apud Iohannem de Cereto de Tridino. Tandem Albanus Torinus in eundem ſemilacerum et ſqualore obſitum Megalonenſem Apicii codicem incidit, ſuamque inde ac vltima Veneta editionem procurauit *Baſileae* 1541. 4. additis excerptis ex Ioh. Damaſceno de variis condituris, et Paulo Aegineta de facultatibus alimentorum, cum libris X. Baptiſtae Platinae Cremonenſis de tuenda valetudine, natura rerum et popinae ſcientia. Recuſa eſt haec editio *Lugduni* 1541. 8. apud Gryphium. *Tiguri* 1542. 4. Gabriel

b) Vid. PLATINA in vita Nicolai V. LEANDER ALB. BONONIENSIS in deſcriptione Italiae p. 267. PHIL. BERGOMAS in chronici continuatione ad annum Chriſti 1454. GLANDORPIVS in onomaſtico p. 105. IAC. CVIACIVS obſeruat. l. 16. c. 5. BAELIVS Lex. art. *Apicius*.

briel Humelbergius Torini editionem pro lubitu mutauit, multa ex MSS. et ingenio feliciter reſtituit ſuisque notis illuſtrauit. Noſtra aetate prodierunt elegantiora exempla *Londini* 1705. 8. cum variis lectionibus et notis Martini Liſteri, qui et Gabrielis Humelbergii animaduerſiones addidit. Iterata edicio *Amſtelodami* 1709. 8. curante Theodoro Ianſonio ab Almelooueen, qui excerptas quoque ex Barthii aduerſariis, et Reineſii lectionibus variis, et Antonii van der Linden obſeruationes aſperſit, lectiones codicis antiquiſſimi Vaticani varias, atque indicem locupletiorem longe ſubiunxit.

§. XXXVIII.

Reſtant diuerſarum aetatum rei ruſticae ſcriptores. De *Catone* diximus in eo libro, qui de adoleſcentia Latinae linguae agit. *i*) De *Varrone* in virili Latinae linguae aetate. *k*) Dicendum iam de *Columella* et *Palladio*. L. IVNIVS MODERATVS COLVMELLA Gaditanus fuit, vt ipſe paſſim *l*) innuit. Patruum laudat ſuum M. Columellam, illuſtribus diſciplinis eruditum, ac diligentiſſimum agricolam Baeticae prouinciae. *m*) Senecae quoque meminit, *n*) eiusque vinearum; et ſaepius Cornelii Celſi aequalis ſui. Maiores videntur ſeruilis conditionis fuiſſe. Columellas enim veteres dixerunt ſeruos maiores domus: teſte DONATO, *o*) qui ad LVCILII prouocat verſus:

Seruus neque infidus Domino, neque inutilis cuiquam,
Lucilii columella hic ſitus Metrophanes.

i) Cap. 5. §. 7. pag. 184. ſeqq.
k) Parte priori cap. 5. §. 4. ſeqq. pag. 305. ſeqq.
l) Lib. 5. c. 5. l. 7. c. 2. l. 8. c. 16. l. 10. v. 185.
m) Lib. 5. c. 5. *n*) Lib. 3. c. 3. *o*) Ad Terent. Phorm. A. 2. S. 2.

Verſus partem et MARTIALIS *p*) citat. Vt *columella* idem quod *columen familiae* ſignificare videatur. Sub Claudio imperatore floruit, ac ſaepius a maiore PLINIO in illis auctoribus nominatur: quorum ſcriptis fuerit vſus in magna hiſtoria naturali compilanda. Paſſim etiam a PALLADIO laudatur. ISIDORVS *q*) inſignem eum vocat oratorem, qui totum corpus rei ruſticae complexus ſit. CASSIODORVS *r*) *in agris*, inquit, *colendis, in apibus, in columbis, nec non et piſcibus alendis inter ceteros Columella et Emilianus auctores probabiles extiterunt. Sed Columella ſexdecim libris per diuerſas agriculturae ſpecies eloquens ac facundus illabitur, diſertis potius, quam imperitis accommodus; vt operis eius ſtudioſi non ſolum communi fructu, ſed etiam gratiſſimis epulis expleantur.* VEGETIVS mulomedicinae praefatione etiam laudat Columellae facultatem bene dicendi: *Licet*, inquit, *proxima aetate et Pelagonio non defuerit, et Columellae abundauerit dicendi facultas: verum alius eorum cum ruſticae rei praecepta conſcriberet, curas animalium leui admonitione perſtrinxit; alius omiſſis ſignis cauſſisque morborum, quaſi ad doctiſſimos ſcriberet, tam magnae rei fundamenta neglexit.* Profecto non ruſtice de re ruſtica noſter Columella ſcripſit, qui inter omnes ejuſdem diſciplinae ſcriptores excellit. Vnde MORHOFIVS: *s*) *annon et ex Hiſpanis Columella, etſi aetate poſterior, puriſſimam et Romanam Latinitatem ſectatur in ruſticis ſuis, vt prae ipſo Varro durus et ruſticus videatur? Annon multa ille vocabula adducit Latina, quibus populares ſui*

res

p) Lib. 11. epigr. 91. *q*) Orig. l. 17. c. 1.

r) Diu. lect. cap. 28.

s) De patauinitate Liuiana cap. 15. p. m. 584. diſſert. acad.

res ruſticas efferant? Quod manifeſtum eſt indicium, etiam ruſticos Hiſpanos non aliam, quam linguam Latinam locutos. De elegantia certe conſentit BORRICHIVS, *t*) vbi, *Voſſius quum primus*, inquit, *Columellam non magni faciat, vt ſcriptorem aeui Claudii, collabi iam incipiente puritate ſermonis Romani: poſtea tamen, re melius expenſa, eundem optimum et terſiſſimum appellat ſcriptorem. Enimuero non aliud de Columella iudicium formare poteſt, qui ingenio eius ſeſe familiarius applicuerit. Omnia in illo caſta, pura, elegantia: quo nomine et a magno Scioppio inter argenteae aetatis ſcriptores enumeratur.*

§. XXXIX.

Scripſit elegantiſſime, nec minus diſerte, de agricultura, tam verſu, quam proſa oratione, de arboribus, et contra aſtrologos aliquot libros, de quibus ipſe teſtatur: *v*) in alio opere conſtituerat agere de luſtrationum ceterorumque ſacrificiorum, quae pro frugibus fiunt, more priſcis vſurpato. *x*) Haec duo poſteriora opera ad nos non peruenerunt. Extant vero hodie eius *de re ruſtica libri XII.* ad Publium Siluinum: quorum decimus de *cultu hortorum* heroico carmine, eoque cultiſſimo, conditus eſt: vt Georgica Virgilii ſupplere poſſit,

Siderei vatis referens praecepta Maronis.

Reliqui libri proſa oratione ſcripti ſunt: Claudio principe id expetente, qui et cultum hortorum ſtilo ſoluto a Columella expoſitum fuiſſe maluiſſet. Licet ex ipſo Columella conſtet, opus illud XII. libris abſolutum: CASSIODORVS tamen, *y*) neſcio quo errore, ſexdecim

t) Cogit. de Lat. ling. aetat. p. 240. *v*) Lib. 11. c. 1. extr. *x*) Lib. 2. cap. vlt. extr. *y*) Diuin. lect. cap. 28.

cim illi de agricultura libros adſcribit. Eſt quoque liber ſingularis *de arboribus*: qui perperam in aliquibus editionibus tertium inter libros de re ruſtica locum occupauit; in aliis ad calcem reiectus eſt: ſeorſim etiam vulgatus a Roberto Stephano Pariſiis 1543. 8. Libros Columellae, vt multa alia, Poggii ſolertiae debemus, in lucem protractos: qui cum aliis rei ruſticae ſcriptoribus deinde ſaepius ſunt editi. Separatim Columella prodiit *Regii* 1482. fol. excudente Barthol. Bottono, ſiue Bruſchio. *z*) *Lugduni* 1548. 8. apud Sebaſt. Gryphium.

§. XL.

PALLADIVS *a*) RVTILIVS TAVRVS AEMILIANVS, *b*) vir illuſtris et Graece doctus, patria, vt videtur, Romanus; quamuis ſuorum in Sardinia et Neapolitano territorio fundorum meminerit. RAPH. VOLATERRANVS: *c*) *alter* Palladius, *qui de re ruſtica ſcripſit ad Pauſilypum*, (Paſiphilum) *homo Romanus*, *poſt Plinium: nonnulli Neapolitanum putant*, *quod ibi ſe teſtatur fundum habuiſſe*, *vbi loquitur de menſe Martio.* Videtur omnino temporibus Traiani ſcripſiſſe: quamuis nonnulli, et in his ipſe IOH. ALB. FABRICIVS, *d*) con-

z) Qui et eodem anno Catonem et Varronem de re ruſtica, et Rutilium edidit.

a) Eo quidem praenomine ſcriptor hic notior eſt, quamuis alii ſint, vtraque lingua, huius nominis auctores fere non numerandi. Sunt qui eum *Palladianum* vocant: et CASP. BARTHIVS ad l. 2. Theb. Pap. pag. 630. *Rutilium Palladianum* in vet. membranis dici memorat.

b) Eo nomine citatur a CASSIODORO diu. lect. cap. 28. et ISIDORO orig. l. 17. c. 1.

c) Commentar. vrban. lib. 18. p. m. 646.

d) Biblioth. Latin. l. 3. c. 4. vol. 1. pag. 534.

contendant, huius aeui ſcriptoribus annumerandum non eſſe: quod Apuleii et Gargilii Martialis teſtimonio vtatur. Sed nondum conſtat, quos ille intelligat, cum plures Apuleii et Gargilii fuerint. *e*) CELLARIVS *f*) hinc dubitat, ad quam aetatem Palladius noſter referendus ſit. *Stilus*, inquit, *concinnus eſt, et elegans, vt Traiani aeuo deberi credas: quanquam ſub Hadriano vixiſſe contendit Lud. Viues. g) Sunt vero in illo, quae aeuum inferius prodiderint, vt ſummitas, h) congruus, i) recenter, k) tribus vicibus, l) poſſibilitas, m) adunare, n) foſſatum, o) poſterare, p) aliquantos dies, q) et nonnulla alia, quae ſane inferiori potius, quam argenteo aeuo, imputanda ſunt.* Haec vero et ſimilia in auctoribus huius aeui ſingularia ſi attentere velimus, vt ſuos quiqui idiotiſmos habent, et Seneca, et Tacitus, et plerique alii, ſuis locis deturbandi fuiſſent.

§. XLI.

Quocunque ſe res habeat modo, ſcripſit dictione ſimplici, nec ineleganti, *de re ruſtica libros XIV.* quibus haud raro Columellam ſequi, aliquando etiam exſcribere viſus eſt. Libro primo varia rei ruſticae praecepta complectitur; ſecundo ad decimum tertium vsque, ſingulis libris ſingulorum menſium operas explicat,

e) Confer. WALCHIVS V. Cl. hiſtoria critica Lat. linguae c. I. p. 58.

f) Proleg. cur. poſt. p. 25.

g) Lib. 3. operis doctiſſimi de tradendis diſciplinis.

h) Lib. 1. c. 6. *i*) Lib. 1. c. 12.

k) Lib. 1. c. 26. *l*) Lib. 1. c. 28.

m) Lib. 3. c. 14. *n*) Lib. 4. c. 9.

o) Lib. 10. c. 13. *p*) Lib. 12. c. 4. *q*) Lib. 13. c. 5.

cat, quas a Ianuario orditur. Vltimo libro, quem Paſiphilo, viro doctiſſimo, ſicut illos ſuperiores quoque inſcripſit, verſibus elegiacis inſitionem docet: cum priores libri XIII. fuerint, vt ipſe loquitur:

Nec ſtricti numeris, nec Apollinis amne fluentes.

§. XLII.

Rei ruſticae ſcriptores, ſiue Marci Porcii Catonis liber de agricultura ad filium; M. Terentii Varronis de re ruſtica libri III; Iunii Moderati Columellae de re ruſtica libri XII. et liber de arboribus; Palladii Rutilii Tauri Aemiliani de re ruſtica libri XIV. ſimul omnes prodierunt *Venetiis* 1472. fol. *Regii* 1482. fol. per Bartholomaeum Bruſchium, alias Bottonum. 1496. fol. per Dion. Bertochi. et 1498. fol. inſcripta ſunt opera agricolationum Columellae, Catonis, Varroniſque, nec non Palladii cum commentariis et exſcriptionibus Philippi Beroaldi. *Bononiae* 1494. fol. Rurſum 1504. fol. *Venetiis* 1514. 4. apud Aldum. 1528. 8. *Florent.* 1521. 4. apud Iuntas, ex recognitione Nicol. Angeli. *Pariſiis* 1529. fol. apud Aſcenſium. 1533. fol. apud Iohannem Paruum et Galeotum a Prato. 1543. 8. apud Robertum Stephanum. *Lugduni* 1549. 8. *Heidelbergae* 1595. 8. apud Hieronymum Commelinum, cum indicibus a Friderico Sylburgio adornatis. Recentiſſime prodierunt *Lipſiae* 1735. 4. ſumtibus Caſpari Fritſchii, ſcriptores rei ruſticae veteres Latini, Cato, Varro, Columella, Palladius. Quibus nunc accedit Vegetius de mulo-medicina, et Gargilii Martialis fragmentum, cum editionibus prope omnibus et MSS. pluribus collati. Adiectae notae virorum clariſſimorum integrae tum editae, tum ineditae, et lexicon rei ruſticae, curante Ioh. Matthia Geſnero, Eloq. et Poeſ. P. P. Goetting.

CAP.

CAPVT XI.

De ſeneſcentis Latinae linguae idiotiſmis.

§. 1.

Dficit linguae ad perfectionem euectae caſtitas ſenſim ſine ſenſu, ſuosque peculiares quaelibet aetas idiotiſmos habet. 2. Ex plebe. 3. Adulatione. 4. Imperantium faſtu. 5. Luxu et effrenata libidine. 6. Graeciſmis. 7. Poeticis. 8. Archaiſmis. 9. Innouatione et abrogatione veterum dictionum. 10. Vocabulis nouam ſignificationem affingebant. 11. Adiectiua in ſubſtantiua mutata. 12. Aliam antiquis terminationem et inflexionem dabant. 13. Nec voces eadem religione componebant. 14. Sic vetera cumulabantur nouis nominibus ſubſtantiuis. 15. Adiectiuis. 16. Quorum luxuriabant comparationis gradibus. 17. Et quae praeter vſum aliquando ſubſtantiuis adiiciebant. 18. Verbis. 19. Particulis. 20. Nec ſatis priſtinum in dictionibus ſeruabant nitorem. 21. Sententiarum affectabant argutias. 22. Schemata. 23. Sublimitatem. 24. Quid de Latinitate ſeneſcente ſtatuendum.

§. I.

Quemadmodum nemo mortalium ſtatim ab infantia ad robur virile, vel ab hoc ad decrepitam ſenectutem tarducitur: verum temporis tardiori progreſſu ad perfectionem atque ſtabilem aetatem ſuam ſenſim ſine ſenſu aſcendit; ac rurſum, deficientibus corporis viribus, ad debilem triſtemque ſenectutis ſtatum, magis magisque prolabitur: Sic quoque Latina lingua neque

 ſubi-

ſubito ad ſummum perfectionis apicem peruenerat; neque prorſus corrupta eſt, niſi paullatim. Ecquis dixerit, tam ſterile, iners atque effoetum fuiſſe Latinitatis hoc aeuum decreſcens, vt ingenia nulla protulerit, quae Marcum Tullium eiusque ſimiles aemularentur? Habuit profecto Italia, habuerunt et aliae quaedam prouinciae, vltra Neruae Traiani aetatem, qui cum veteribus ingenio, doctrina et induſtria comparari aliquo modo poſſunt. Illi adeoque ſtudioſis Latinae linguae ſubuenire debent, et quicquid ex ſuperiori aetate monumentorum interitu deſideratur, ſuis ſcriptis compenſare. Quandoquidem nemo facile poterit negare, ex hoc Latinitatis aeuo, quod argenteum vocare conſueuerunt, ſcriptorum elegantiſſimorum linguam proxime ad aurum, exiſtimationem atque gloriam ſuperiorum acceſſiſſe. Sed caue aurum putes, cui pretium argenti ſtatuunt; vel ad ſenectutem properantibus annis robur virile tribuas. Cauſſas corruptae Latinitatis, eloquentiae et dignitatis adultae inopinatum defectum vidimus. Optimos, vt ſua quique diſciplina et arte claruerunt, huius aeui ſcriptores perluſtrauimus. Reſtat, vt paucis doceamus exemplis: quid ſeculum nouitatis in ſtilo, et quantum a priſtina gloria eaque veterum caſtitate receſſerit, qua inſolens omne et inauditum verbum ſuae ciuitatis eſſe, nedum peregrinitatem quamcunque olim admittere voluerunt.

§. II.

Mihi quidem hoc ſeculo multa ex idiotiſmis, et plebeia temporum ſuperiorum Latinitate, videntur in linguam tranſiiſſe eruditorum: quae vt probe diſtincta fuerunt olim, neutiquam adhuc merebantur ciuitatem atque promiſcuum vſum. Quantum enim diſtent vbique

que

que ex infima plebe homines, qui rudi et incondito ſermone vtuntur, ab illis, qui rectam ſeruare norunt dicendi rationem, excultamque ac perpolitam linguam tuentur, vulgo conſtat et in ſua quiſque patria facile obſeruare poteſt. Iam tum HORATIVS, *a*) *multum intereſſe*, monuit, *Dauusne loquatur*, *an heros*. FABIVS *b*) in ſcribendo nos iubet ſequi conſenſum non imperitorum, ſed eruditorum. Idemque *c*) ſermonem vulgarem et quotidianum, quo cum amicis, coniugibus, liberis atque ſeruis loquimur, ab oratione viri periti et eloquentis ſecernit. A. GELLIVS *d*) etiam verba eleganter ac perite ſcribentium, illis ex ſordidiore vulgi vſu hauſtis opponit. Felix et elegans fuit in oratione Latina Auguſti imperium. Ecquis vero dixerit, eundem Tullii, Salluſtii, Nepotis, Conſularium quorumque virorum ſermonem fuiſſe, atque ruſticorum et inferioris plebeculae: pari modo in curia fuiſſe oratum atque in culina; ab ſenatoribus et coquis, quorum, vtut eloquentiſſimo cuique cibos pararint, incomta fuit Latinitas, etiamnum apud nos vulgo das Küchen-Latein vocata. Accedit variarum gentium peregrinitas, et dictionum cumulus, quae barbariſmi nomine inſigniri ſolent. De orationis Latinae idiotiſmis, ſiue de Latinitate plebeia aeui Ciceroniani extat elegantiſſima D. CHRISTOPHORI AVGVSTI HEVMANNI Viri Cl. diſſertatio: *e*) quam de meliori nota literarum amantiſſimis quibusque ac ingenuis adoleſcentibus commendamus. De peregri-

Ss ss 3

a) De arte poetica v. 114. *b*) Inſtit. orator. lib. 1. c. 6.

c) Lib. 12. c. 10.

d) Noct. Attic. lib. 16. c. 7.

e) Poecil. tom. 3. lib. 2. pag. 307. ſeqq.

regrinitate vero MORHOFIVS conſulendus eſt, in diſſertatione, quam de patauinitate Liuiana inſcripſit. *f*)

§. III.

Adulatio noua finxit vocabula, vel ad ſenſum alienum vetera, non ſine dedecore traxit. Sic COELESTIA et DIVINA coeperunt appellari omnia, quae praeſtantia et laude aliqua ſingulari pollerent. *g*) Cum ergo principes hoc ſeculo diis proximi, et ſic diuini haberentur: quicquid ad eos pertinebat, *diuinum* atque *coeleſte* nominabatur. Ita Neronis vocem *coeleſtem* populus Romanus vocauit. *h*) QVINTILIANVS, *i*) *cum mihi*, inquit, *Domitianus Auguſtus ſororis ſuae nepotum delegauerit curam, non ſatis honorem coeleſtium iudiciorum intelligam, niſi ex hoc quoque oneris magnitudinem metiar.* Tandem et COELESTISSIMA effecerunt: qua voce VELLEIVS PATERCVLVS *k*) frequentiſſime vtitur, et inter alia, adulationis plena, *coeleſtia praecepta; coeleſtiſſimum os Ciceronis;* atque *coeleſtiſſima Tiberii opera* dixit. Hinc et originem traxit infauſta nominibus abſtractis ſemet extenuandi, vel alios euehendi ratio: quae miris formulis poſtea ad ineptias et faſtidium frequentata. Iam tum vero, imperante Tiberio, VALERIVS MAXIMVS: *l*) MEA PARVITAS, inquit, *eo iuſtius ad fauorem tuum decurrerit.* Et VELLEIVS PATERCVLVS: *m*) *ha-*

f) Diſſert. academ. pag. 471. ſeqq. *g*) TACITVS annal. l. 2. c. 87. auctor eſt, Tiberium ad ſe delatum *parentis patriae* vocabulum non admiſiſſe, acerbeque increpuiſſe eos, qui *diuinas* eius occupationes, ipſumque *dominum* dixerant.

h) Vid. SVETON. Neron. cap. 21.

i) Inſtit. orat. lib. 4. praefat.

k) Lib. 2. cap. 66. 94. et 104.

l) Praefat. ad Tiberium.

m) habuit in hoc quoque bello MEDIOCRITAS NOSTRA *ſpecioſi miniſtri locum.* Pari modo FRONTINVS: *n)* NOSTRA SEDVLITAS *impendet operam, vt quemadmodum res poſcet, ipſum quod exigitur, quaſi ad interrogatum exhibeatur.* Id genus formulae eruditorum aures ita offendunt, vt pro comperto habeam, multos, cum in iſtas, velut ſcopulos, impingerent, ſequius, quam merentur, de ſcriptoribus iſtis iudicaturos eſſe. Attamen Tiberius videri voluit, quas adamabat, adulationes auerſari, et quendam SACRAS eius occupationes dicentem; et alium AVCTORE eo ſenatum ſe adiiſſe, verba mutare, et pro auctore, ſuaſorem, pro ſacris, laborioſas dicere coegit. *o)* Caeſares eum ſequentes etiam ſacrum ſtabulum dici voluerunt.

§. IV.

Acceſſit faſtus principum: quibus non vna ſufficiebat dignitatis ſignificatio. Ita CAESARIS vocabulum ex proprio ſenſim factum eſt appellatiuum, et ſummam maieſtatem ſignificare coepit. A Iulio nomen iſtud primum ex adoptione et teſtamento aſſumſit eius nepos Octauius: vt in eadem permaneret familia. Quamuis autem familia deſierit in Nerone, Galba tamen, et qui eum ſequebantur (excepto Vitellio, qui cognomen Auguſti diſtulit, Caeſaris in perpetuum recuſauit) honoris gratia *Caeſaris* nomen retinuere: pari modo vt ab Auguſto omnes illum ſecuti imperatores AVGVSTI fuerunt appellati. *Caeſaris* ſummae et eminentiſſimae principum poteſtatis nomen erat proprium: quod poſtea tamen

m) Lib. 2. c. III. n. 3. Idem l. 2. c. 104. n. 3. *Pro captu mediocritatis meae adiutor fui.*

n) Praefat. ſtrategematum.

o) SVETONIVS Tib. c. 27.

tamen eſt mutatum, cum ſecundo proximoque faſtigio haerere coepiſſet. Nam *Caeſares* qui audiebant tantum, non *imperatores Caeſares Auguſti;* non ipſum imperium, ſed illius conſequendi ſpem et ius aliquod habere tantum videbantur: velut candidati quidam imperii et deſtinati heredes. Ita Aelius Verus, quem ſibi Adrianus adoptauit, teſte SPARTIANO, *p*) nihil habuit in ſua vita memorabile, niſi quod tantum Caeſar fuit appellatus: non teſtamento, vt antea ſolebat, neque eo modo, quo Traianus eſt adoptatus; ſed eo prope genere, *quo noſtris temporibus*, vt loquitur, *a veſtra clementia Maximianus atque Conſtantinus Caeſares dicti ſunt: quaſi quidam principum filii et deſignati Auguſtae Maieſtatis heredes.* Rerum poſſeſſor proprie DOMINVS vocatur: ea vero appellatio ad regnantes translata eſt, a qua boni principes abſtinuerunt: ne ciues pro ſeruis habere, et ipſi viderentur eſſe tyranni. Auguſtus ſane vt male dictum et opprobrium ſemper exhorruit. *q*) Recuſauit Tiberius, vt videretur eſſe bonus: *r*) et dominus a quodam appellatus, denuntiauit, ne ſe amplius contumeliae cauſſa nominaret. Poſtea haec appellatio a quibuſdam imperatoribus admiſſa eſt; nec tamen ſine inſolentiae nota: et temporis ſucceſſu ita venit in conſuetudinem, vt imperatores κατ᾽ ἐξοχὴν dicerentur *domini. s*) Primus ex Romanis imperatoribus id nominis Caligula vſurpauit, vt AVREL. VICTOR *t*) obſeruat. EVSEBIVS hoc Domitiano tribuit. Et STATIVS *v*) *Dominum*

p) In Aelio Vero cap. 2. *q*) SVETONIVS Aug. c. 53.
r) Idem Tib. c. 27. et TACITVS annal. l. 2. c. 87.
s) Confer. SCHWARZII diſſert. de fatis vocum quarundam §. 7. p. 10. ſeq. et IOH. SELDENVS de tit. honorum part. 1. c. 4. p. 57.
t) De Caeſar. c. 3. *v*) Sylu. 4. praef.

num Caeſarem eum vocat. Et vulgo conſtat, quod epiſtolis ille ſuis praeſcribere ſolitus fuerit: *Dominus et Deus noſter ſic fieri iubet.* x) Acclamari etiam in amphitheatro epulari die libenter audiit: *Domino et Dominae feliciter!* Vnde inſtitutum poſthac, teſte SVETONIO, y) vt ne ſcripto quidem ac ſermone cuiuſquam aliter appellaretur. *Domini* compellatio hinc apud PLINIVM epiſtolarum decimo libro ad Traianum frequentiſſime legitur. Et MAIESTATIS vocabulum, a magnitudine dictum, quod amplitudinem, decus et dignitatem ſignificat, hoc tempore a rep. Romana ad imperatores tranſiit: vnde *maieſtas imperatoria* apud TACITVM: z) a qua originem traxerunt appellationes in ſenſu abſtracto plurimae.

§. V.

Ingens, vt ſupra demonſtratum iuimus, hoc ſeculo fuit luxus et effrenata libido, imo tanta ſpurcities, cui ne verba quidem veterum exoleta ſufficere videbantur. Tiberius Caeſar, quem ex ſeceſſu Capreenſi, quo ſellariam excogitauit ſedem arcanarum libidinum, eamque laſciuiam oſtendit, vt vulgato inſulae abutentes nomine, eum, dubio procul a caprarum foetore, CAPRINEVM dictitarent; ipſe nouum SPINTRIAE vocabulum inuenit, quo monſtroſi concubitus repertores et excitatores libidinum appellauit. a) *Et ſaepe*, vt mea facerem TACITI b) verba, *in propinqua digreſſus, aditis iuxta*

x) Vid. SVETONIVS Domit. c. 13.

y) Loc. cit. z) Annal. l. 1. c. 46. n. 2.

a) Vid. SVETONIVS Tiber. cap. 43. Confer. TVRNEBVS aduerſar. lib. 5. cap. 1.

b) Annal. l. 6. c. 1.

iuxta Tiberim hortis, ſaxa rurſum et ſolitudinem maris repetiit, pudore ſcelerum et libidinum: quibus adeo indomitis exarſerat, vt more regio pubem ingenuam ſtupris pollueret. Nec formam tantum et decora corpora; ſed in his modeſtam pueritiam, in aliis imagines maiorum, incitamentum cupidinis habebat. Tuncque primum ignota ante vocabula reperta ſunt SELLARIORVM *et* SPINTRIARVM, *ex foeditate loci ac multiplici patientia.* Caeſar Caligula quidem, teſte SVETONIO, *c*) ſpintrias monſtroſarum libidinum aegre, ac ne profundo mergeret exoratus, vrbe ſubmouit. Sed ipſe Vitellius imperator, vt idem narrat SVETONIVS, *d*) pueritiam primamque adoleſcentiam Capreis egit, inter Tiberiana ſcorta, et perpetuo Spintriae cognomine notatus eſt: exiſtimatusque corporis gratia initium et cauſſa incrementorum patri fuiſſe.

§. VI.

Neque ſatis hoc aeuo ſibi a Graeciſmis cauebant. Eo referenda eſt dictio OPVS HABERE pro *opus eſt mihi.* DIOMEDES: *e*) *vt Graeci dicunt χρείαν ἔχω, nos non dicimus, opus habeo, ſed opus eſt mihi.* At COLVMELLA: *f*) *frugibus opus habent.* Graeci ſaepe omittunt praepoſitionem *κατὰ*: ita apud TACITVM *g*) *clari genus;* alibi *h*) *animum vultumque conuerſi.* Apud Graecos caſus gignendi pro auferendi caſu ponitur: ita TACITVS *laetum* vocat *animi militem*; *i*) *modicum dignationis*; *k*) *modicum pecuniae.* *l*) More Graecorum nominandi caſu vocabulis adiungitur infinitiuus: apud TACI-

c) Calig. c. 16. *d*) Vitell. c. 3. *e*) Lib. 1. p. 301.
f) Lib. 9. c. 1. *g*) Annal. l. 6. c. 9. *h*) Hiſt. l. 1. c. 85.
i) Annal. l. 2. c. 16. *k*) Annal. l. 4. c. 52.
l) Annal. l. 3. c. 72.

Digitized by Google

TACITVM *m*) *canere tibiis doctus.* Idem *bonum malitia* dixit; *n*) et *amare* pro *ſolere.* *o*) BARBARISMVS βαρβαρισμὸς vitium dictionis vocatum eſt, legem ac puritatem Latinae linguae corrumpens: de quo multa apud CORNIFICIVM, *p*) QVINTILIANVM, *q*) et veteres grammaticos. MARTIALIS *r*) in Cinnamum ſic ludit:

Cinnam, Cinname, te iubes vocari.
Non eſt hic, rogo, Cinna, barbariſmus?
Tu ſi Furius ante dictus eſſes,
Fur iſta ratione dicereris.

At GELLIVS, *s*) vocabulum iſtud an vſurparint, qui ante Diui Auguſti aetatem pure atque integre locuti ſunt, non inuenire ſe potuiſſe ſcribit; hoc vitium ſermonis autem tunc temporis teſtatur fuiſſe dictum ſermonem ruſticum, et cum eo loquerentur, ruſtice loqui fuiſſe dictos. Etiam hoc ſeculo videtur ex Graeco in Latinum ſermonem tranſiiſſe vox ANALOGIAE, quam VITRVVIVS *t*) *proportionem* vertit. CICERO: *v*) *quae Graece analogia, Latine comparatio proportioue dici poteſt.* Et recte congruentiam rei dixeris ad aliquid relatae. CICERO etiam *ſimilitudinem* vocat. *x*) Ciuitate iam eſſe donatam, QVINTILIANVS *y*) innuit, qui quid ſit analogia optime deſcribit. *Conſuetudo*, inquit, *certiſſima loquendi magiſtra; vtendumque plane ſermone vt nummo, cui publica forma eſt. Omnia tamen haec exi-*

Tt tt 2 *gunt*

m) Annal. l. 14. c. 60. *n*) Annal. l. 1. c. 3.
o) Annal. l. 3. c. 9. *p*) Rhetor. ad Herennium l. 4. c. 12.
q) Inſtit. orat. l. 1. c. 5. et 10. *r*) Lib. 6. epigr. 17.
s) Noct. Attic. l. 13. c. 6. *t*) Lib. 3. c. 1.
v) De vniuerſ. c. 4. *x*) Tuſc. quaeſt. l. 1. c. 32.
y) Inſtit. orat. l. 1. c. 6. Confer. SENECA epiſt. 120.

gunt acre iudicium, in analogia praecipue, quam proxime ex Graeco transferentes in Latinum, proportionem vocauerunt. Eius haec vis eſt, vt id, quod dubium eſt, ad aliquid ſimile, de quo non quaeritur, referat, vt incerta certis probet. Aliquanto poſt: *non cum primum fingerentur homines, analogia demiſſa coelo formam loquendi dedit, ſed inuenta eſt poſtquam loquebantur, et notatum in ſermone, quid quomodo caderet: itaque non ratione nititur, ſed exemplo, nec lex eſt loquendi, ſed obſeruatio, vt ipſam analogiam nulla res alia fecerit, quam conſuetudo.* Apud ſolum IVVENALEM z) VOX PROSEVCHA legitur: *in qua te quaero proſeucha:* Graeca προσευχὴ, *ἀπὸ τοῦ προσεύχεσθαι orare*, locus Iudaeorum vbi orabant. Id vero genus aedes ſacras Iudaei Romae, Alexandriae, in vrbibus aliis, habuere plures, precationibus deſtinatas. Vbi *proſeuchas*, i. e. ad precandum aedes ſacras non inueniebant: in litora proxima ſecedebat populus, vt ibi oraret. Hinc in ſacris: *a*) τῇ τε ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων ἐξήλθομεν ἔξω τῆς πόλεως παρὰ ποταμὸν, οὗ ἐνομίζετο προσευχὴ εἶναι: καὶ καθίσαντες ἐλαλοῦμεν ταῖς συνελθούσαις γυναιξί. *Et die ſabbathi egreſſi ſumus ex vrbe ad flumen, vbi ſolebat eſſe precatio: vbi quum conſediſſemus, allocuti ſumus mulieres, quae conuenerant.* APOLOGARE, ex Graeco ἀπολέγειν, aſſumſit ac pro reiicere, vel repudiare vſurpauit SENECA philoſophus: *b*) *ipſe*, inquiens, *illum inuicem apologauit.* MOROR, *morari*, verbum prima producta, a morus μωρὸς, qui fatuus et inſipiens eſt, primum finxit Nero: *c*) cum Claudium mortuum deſignaturus diceret: *morari deſiiſſe inter*

z) Satyr. 3. v. 296. *a*) Actorum cap. 16. v. 13.
b) Epiſt. 47. *c*) Apud SVETONIVM Neron. cap. 33.

inter homines; dementiam eius atque vecordiam irridens. HETAERIA ἑταιρία ſodalitas, ſocietas, et conuentus hominum, eſt apud PLINIVM: *d*) vt *hetaerice* vocabatur honoris cauſſa equitum ala apud Macedonas, ab amicitia, et veluti ſodalitate regia. *e*) Apud SENECAM *f*) leges MALACISANDOS *articulos* a μαλακίζειν, quod mollem reddere, ſeu emollire ſignificat. Tiberius vero Caeſar vocibus Graecis in ſermone Latino non facile vſus eſt, teſte SVETONIO, *g*) et maxime in ſenatu abſtinuit, adeo quidem, vt MONOPOLIVM nominaturus, prius veniam poſtularit, quod ſibi verbo peregrino vtendum eſſet. Atque etiam in quodam decreto patrum cum EMBLEMA recitaretur, commutandam cenſuit vocem, et pro peregrina noſtratem requirendam; aut ſi non reperiretur, vel pluribus et per ambitum verborum rem enuntiandam.

§. VII.

Poetica reperies hoc ſeculo multa, quae ſtilo Romano et caſto vix ferre poteſt hiſtoricus aut orator bonus. Apud vnum TACITVM, cum pluribus aliis, facile cuique ſunt obuia, PRAEMIA pro ſpoliis; *h*) LIMEN BELLI pro initio belli; *i*) CLAVDAE NAVES; *k*) MORIENS LIBERTAS; *l*) EXCEDERE REMPVBLICAM; *m*) LAVDARE ARMIS; *n*) cum ore et verbis proprie laudemus.

d) Lib. 10. epiſt. 43. et 97. *e*) Vid. CORN. NEPOS Eumen. cap. 1. extr.
f) Epiſt. 66. *g*) Tib. cap. 71.
h) Hiſt. l. 1. c. 51. n. 1. et l. 5. c. 11. n. 3.
i) Annal. l. 3. c. 74. n. 16. *k*) Annal. l. 2. c. 24. n. 4.
l) Annal. l. 1. c. 47. *m*) Annal. l. 2. c. 27. n. 1.
n) German. c. 12.

§. VIII.

Non defuerunt, qui neglecta ſermonis elegantia, puritate, ac ea non ita pridem tot vigiliis et laboribus maiorum exantlatis comparata caſtitate atque gloria, ex orco vocabula reuocarunt, dudum obſoleta et communi doctiſſimorum conſenſu antiquata, quorum in ſermone vſus plane tum nullus fuerat, vel eſſe poterat. Ita MARTIALIS *o*) Sextum quendam ridet:

Scribere te, quae vix intelligat ipſe Modeſtus,
Et vix Claranus, quid rogo, Sexte, iuuat?
Non lectore tuis opus eſt, ſed Apolline, libris:
Iudice te maior Cinna Marone fuit.
Sic tua laudentur; ſane mea carmina, Sexte,
Grammaticis placeant, et ſine Grammaticis.

In alium Chreſtillum idem cecinit: *p*)

Carmina nulla probas, molli quae limite currunt,
Sed quae per ſalebras altaque ſaxa cadunt.
Et tibi Maeonio quod carmine maius habetur,
Lucili columella HIC SITVS METROPHANES:
Attonitusque legis TERRAI FRVGIFERAI,
Accius et quicquid Pacuuiusque vomunt.

Sic quoque Fauorinus philoſophus *q*) adoleſcenti ex priſco ſermone verborum cupidiſſimo, cum illa dudum abſoleta et plerisque iam ignota in quotidianis familiaribusque colloquiis expromeret, inter alia obiicit: *tu proinde quaſi cum matre Euandri nunc loquare, ſermone abhinc multis annis iam deſito vteris, quod ſcire atque intelligere neminem vis, quae dicas. Nonne, homo inepte, vt quod vis abunde conſequaris, taceres? Sed antiquitatem*

o) Lib. 10. epigr. 21. *p*) Lib. 11. epigr. 91.

q) Apud. GELLIVM noct. Attic. lib. 1. cap. 10.

tem tibi placere ais, quod honeſta, et bona, et ſobria, et modeſta ſit. Viue ergo moribus praeteritis, loquere verbis praeſentibus: atque id, quod a C. Caeſare, excellentis ingenii ac prudentiae viro, in primo de analogia libro, ſcriptum eſt, habe ſemper in memoria et in pectore, vt tanquam ſcopulum, ſic fugias inauditum atque inſolens verbum. Ecquis non intelligit, abolita et abrogata in ſermonibus ſcriptisue ſuis retinere, cuiuſdam eſſe inſolentiae, ac friuolae in paruis iactantia: *r*) vt eiuſmodi antiquitatis affectatoribus iure meritoque occini poſſit:

Frugibus inuentis qui veſci glandibus audet,
Cum ſubus ad ſiluas eiiciendus erat.

Obſcuritas fit verbis ab vſu remotis: vt ſi commentarios quis pontificum, et vetuſtiſſima foedera, et exoletos ſcrutatus auctores, id ipſum petat ex his, vt quae inde contraxerit, non intelligantur. Et huius furfuris homines ſuo tempore fuiſſe multos, QVINTILIANVS *s*) teſtatur, *hinc enim*, inquit, *aliqui famam eruditionis affectant, vt quaedam ſoli ſcire videantur.* Nec ipſe TACITVS vbique archaiſmi purus: vbi APISCI pro adipiſci; *t*) quod alii tamen vt Ciceronianum defendunt: COMITATV pro comitatui; *v*) COMMEATV pro commeatui; *x*) LVXV pro luxui; *y*) DVINT pro dent; *z*) PLEBES pro plebs; *a*) FVNGOR cum quarto caſu *b*) et ſimilia. Tiberius Caeſar exoletas interdum et reconditas voces aucupatus, et hoc nomine reprehenſus eſt ab Auguſto: qui et M. Antonium, teſte SVETONIO, *c*) vt

r) FABIVS inſtit. orat. l. 1. c. 6.
s) Inſtit. orat. l. 8. c. 2.
t) Annal. l. 4. c. 3.
v) Annal. l. 12. c. 62.
x) Annal. l. 3. c. 34. n. 8.
y) Hiſtor. l. 2. c. 71. n. 2.
z) Annal. l. 4. c. 38.
a) Annal. l. 3. c. 2. n. 4.
b) Annal. l. 3. c. 2. et 38.

Digitized by Google

c) vt inſanum increpauit: quaſi ea ſcribentem, quae mirentur potius homines, quam intelligant. Deinde ludens malum et inconſtans in eligendo genere dicendi ingenium eius, haec addidit: *tuque dubitas, Cimberne, Annius, an Veranius Flaccus imitandi ſint tibi? ita vt verbis, quae C. Salluſtius excerpſit ex originibus Satonis, vtaris? an potius Aſiaticorum oratorum inanibus ſententiis, verborum volubilitas in noſtrum ſermonem transferenda?* Idem magnus imperator Agrippinae neptis ingenium collaudans: *ſed opus eſt, monuit, dare te operam ne moleſte ſcribas, aut loquaris.*

§. IX.

Hoc tempore Latina lingua, vt ab integritate ſua et puritate receſſit, magis magisque ad imbecillitatem ſenilem inclinans vocabula recepit ſuperioribus ſeculis ignota, recens facta fictaque. Alia quae in vſu fuere, ſubſtitutis aliis, periere vel in deſuetudinem venerunt. *d*) Teſtis ipſe L. ANN. SENECA *e*) qui fruſtra quidem de verborum paupertate conqueſtus, res multas ait nomina ſua, quae habuerint, faſtidio ſeculi perdidiſſe. Quem Graeci *aeſtrum* vocant, pecora peragentem et tectis ſaltibus diſſipantem, ASILVM vocabant, quod verbum interiit. Quaedam ſimplicia in vſu erant, ſicut CERNERE *ferro inter ſe*, quod *decernere* poſtea dixerunt, ſimplicis illius verbi vſu amiſſo. Sic etiam veteres ſi IVSSO dixere pro *ſi iuſſero*. Quae totidem Virgilii teſtimoniis

c) Auguſt. cap. 86. *d*) Genius Latini ſermonis poſt Auguſti ſeculum multa vocabula obliuionum tenebris condita obruebat, multa nouiter fingebat, vt inquit MATHIAS SCHIKERADVS in epiſtola critica apud Chriſt. Daumium de cauſſis amiſſarum radicum Latinae linguae. c. 16. p. 479.

e) Epiſt. 58.

moniis demonſtrat. De vocibus ſatis hodie in ſcholis philoſophorum frequentibus ENTIS et ESSENTIAE inuentis iam alibi dictum : *f*) vbi Senecae et Sidonii auctoritate, Tullio fuerunt tributae, haud equidem ſcio an ſatis recte. Et ipſe, quem laudaui, SENECA *g*) vocis *eſſentiae* auctorem recentiorem agnoſcit Fabianum. Ille Ser. Flauius Fabianus, cum multa Graecae philoſophiae redderet Latina, τὸ ὄν primus *ens*, et ὐσίαν *eſſentiam* nominauit. Sufficiens teſtis QVINTILIANVS *h*) vbi *rhetoricen*, inquit, *in Latinum transferentes, tum oratoriam, tum oratricem nominauerunt. Quos equidem non fraudauerim debita laude, quod copiam Romani ſermonis augere tentauerint. Sed non omnia nos ducentes ex Graeco ſequuntur, ſicut ne illos quidem, quoties ſuis vtique verbis ſignare noſtra voluerunt. Et haec interpretatio non minus dura eſt, quam illa Flauii* ESSENTIA *atque* ENTIA. Alibi : *i*) ὐσίαν, *quam Flauius eſſentiam vocat : neque ſane aliud eſt eius nomen Latinum.* Rurſum: *k*) *multa ex Graeco formata noua, ac plurima a Sergio Flauio, quorum dura quaedam admodum videntur, vt ens et eſſentia.* LVRCARE et LVRCARI, Lucilii et Varronis auctoritate, dicuntur, qui cum auiditate cibum ſumunt ; LVRCABVNDVS a Catone licet etiam dicatur, a QVINTILIANO *l*) tamen pro voce obſoleta habetur. Illi nimis vetuſtum eſt quoque TVBVRCINABVNDVM, quamuis eius Cato ſit auctor. Idem vero eſt

f) Tract. de virili aetate L. L. part. 1. c. 1. §. 34. et part. 2. c. 2. §. 27.

g) Epiſt. 58.

h) Inſtit. orat. l. 2. c. 14.

i) Lib. 3. c. 6.

k) Lib. 8. c. 3.

l) Inſtit. orat. l. 1. c. 6.

eſt TVBVRCINARI antiquum, quod raptim deuorare. POENITVRVS, a poenitet, Accium auctorem habet apud NONIVM: *m*) et eleganter dicitur: *quod ſi procedit, neque te, neque quemquam arbitror tuae poeniturum laudis, quam vt ſerues vide.* Salluſtium quoque vſum fuiſſe hoc participio, docet QVINTILIANVS, *n*) qui vtrumque damnat, et, *haec eſt*, inquit, *quam ἑτέρωσιν vocant, cum diſſimilis eſt, zeugma dicitur; vt apud Salluſtium: neque ea res falſum me habuit. — ex quibus fere praeter nouitatem breuitas etiam peti ſolet; vnde eo vſque proceſſum eſt, vt* NON POENITVRVM, *pro* NON ACTVRO POENITENTIAM, *idem auctor dixerit.* Sic pleniorum dictionum ſtudium, et faſtidium veterum, et mutandi linguam inſana libido his temporibus fecit, vt multae Latinae linguae radices, dictiones, et earum formae perierint. *o*) Et ipſe QVINTILIANVS, *p*) cum hanc quaeſtionem conſideraret, *an et quoad oratori verba fingere liceat*; ita tandem finit: *audendum eſt aliquid. Neque enim accedo Celſo, qui ab oratore verba fingi vetat. Nam cum ſint eorum alia (vt dicit Cicero) natiua i. e. quae ſignificata ſunt primo ſenſu, alia reperta, quae ex his facta ſunt, vt iam nobis ponere alia, quam quae illi rudes homines primo fecerant, fas non ſit. At deriuare, flectere, coniungere, quod natis poſtea conceſſum eſt, quando deſiit licere? Et ſi quid periculoſum finxiſſe videbitur, quibuſdam remediis praemuniendum eſt, vt ita dicam, ſi licet dicere* etc.

§. X.

m) Cap. 2. n. 685.

n) Inſtit. orat. l. 9. c. 3.

o) Vid. CHRIST. DAVMIVS de cauſſis amiſſarum Latinae linguae radicum cap. 1. et 16.

p) Inſtit. orat. l. 8. c. 3.

§. X.

Pleraque verborum Latinorum ex ea ſignificatione, in qua fuerunt nata, vel in longe aliam, vel in proximam, deceſſerunt. q) AEGRITVDO v. gr. Ciceroni tantum eſt animi, non corporis morbus: ita diſerte, *vt aegrotatio*, inquit, r) *in corpore, ſic aegritudo in animo.* At ſeneſcente Latinitate haec diſtinctio fere neglecta fuit. COLVMELLA s) aegritudinem de morbo caprarum; PLINIVS t) de elephantorum; TACITVS v) et Q. CVRTIVS x) de corporis humani morbo dixerunt. Cum multis aliis NICOLAVS FABER y) ADVOCATI nomen pro *patrono* vſurpatum fuiſſe ante Neronis ſeculum negat. Sed aduocatus olim dictus eſt quicunque alteri adeſt in cauſſa, officii gratia. TERENTIVS: z) *volo ego adeſſe hic aduocatos nobis in turba hac.* Idem: a) *Ridiculum; aduorſumne illum cauſſam dicerem, cui veneram aduocatus?* CICERO: b) *Conſul de pecuniis repetundis Catilinae fuit aduocatus.* Idem: *multi te aduocato cauſſa cadent.* Quidni et patronus, ſiue cauſſidicus nominandus eſſet aduocatus: quae nomina vulgo promiſcue ſumuntur. Noui ASCONII c) ſententiam: *qui defendit alterum in iudicio, aut patronus dicitur, ſi orator eſt: aut aduocatus, ſi ius ſuggerit, aut praeſentiam ſuam amico commodat; aut cognitor, ſi praeſentis cauſſam nouit, et ſic tuetur vt ſuam.* Res tamen ſalua eſt. PLINIVS: d) *contradi-*

q) Vid. A. GELLIVS noct. Attic. l. 13. c. 18. r) Tuſcul. quaeſtion. l. 3. c. 10. s) Lib. 7. c. 7.
t) Hiſt. natur. l. 8. c. 1. v) Annal. l. 2. c. 69. n. 7.
x) Lib. 3. c. 5. y) Comment. ad Senecae praefat. lib. 5. controu. pag. 198. ſeq. z) Eunuch. A 4. S. 6. v. 25.
a) Adelph A. 4. S. 5. v. 47. b) Orat. pro Sulla cap. 19.
c) In diuinat. d) Lib. 5. epiſt. 4.

tradixerunt Vicentinorum legati, adfuit Tuſcillus Nominatus: dilata cauſſa eſt. Alio ſenatu Vicentini ſine aduocato intrauerunt. SENECA rhetor: *e*) *ſcio Mentonem vſum non patrono patre, ſed aduocato.* ADVOCATIO Ciceroni eſt patrocinium et officium aduocati. Aſt SENECA ſaepius eam vocem pro mora et ſpatio poſuit: vt *dare, petere, poſtulare aduocationem.* Ad Marciam *f*) ſcribit: *nimis magnam aduocationem dedit.* Et vetus poeta: *Cur differs, mea lux, rogata ſemper? cur longam petis aduocationem?* Procul dubio a iudiciis ita loqui conſueuerunt: nam qui ad reſpondendum erant parum inſtructi, aduocationem petiuere, i. e. moram et tempus deliberandi et amicos aduocandi. FISCVS proprie eſt ſacculus, quo vtebantur, cum ad forum, aut macellum irent; qui et nummorum receptaculum. ASCONIVS: *g*) *fiſci, fiſcinae, et fiſcellae ſpartea ſunt vtenſilia, ad maioris ſummae pecunias capiendas.* Et ISIDORVS: *h*) *fiſcus ſaccus eſt publicus, vnde et fiſcellae, et fiſcinae dicuntur. Hunc habent exactores, et in eum mittunt debitum publicum, quod redditur regibus.* Eo ſenſu CICERO *i*) *fiſcos complures*, inquit, *cum pecunia Siculienſi a quodam ſenatore ad equitem Romanum eſſe translatos.* Sed aerarii ſignificationem accepit ſub Caeſaribus, poſtquam *fiſcus* principis diſtingui coepit ab *aerario*, quod reip. fuit. Inde PLINIVS: *k*) *at fortaſſe non eadem ſeueritate fiſcum, qua aerarium cohibes: imo tanto maiore, quanto plus tibi licere de tuo, quam de publico credis.* FAMOSVS, de quo celebris eſt fama, Ciceroni

e) Controu. 17. extr. *f*) Cap. 10. *g*) In Verrin. prooem.
h) Orig. l. 20. c. 9. *i*) In Verrem lib. 2. cap. 8.
k) Paneg. cap. 36. confer. SENECA de beneficiis l. 7. c. 6.

ceroni et vetuſtioribus in malam fere partem accipitur; ſequioribus huius aeui ſcriptoribus, Plinio, Tacito et aliis pari modo in bonam. Exempla vbiuis ſunt obuia. INGENIVM non modo hominis dicitur, ſed et rerum inanimatarum. PLINIO *l*) *ingenium ſoli*; TACITO *m*) *campi ſuopte ingenio humentes*. Etiam TACITO, quem ſaepius laudamus, AVVS dicitur, qui *atauus*, *n*) et GENER, qui filii viduam duxit. *o*) CARNARIVS eo quidem ſenſu veteribus innotuit, quo VARRO *p*) tabernam carnariam die Fleiſchbank nominat. Sed eum carnarium dixit MARTIALIS, *q*) qui carnis eſu delectatur, vel carnem amat: et PINGVIARIVM, qui pinguia deſiderat.

Habere, inquit, *amicam nolo*, *Flacce*, *ſubtilem*,

Sed idem amicam nolo mille librarum.

Carnarius ſum, *pinguiarius non ſum.*

i. e. gracilem nolo: corporis ſolidi puellam amo, et carnoſam, non pinguedine tumidam atque grauem. COLLATRARE pro *detrahere* et *obtrectare* SENECA philoſophus *r*) dixit. SVBAVDIRE, ſub aliqua re intelligere, ASCONIVS PEDIANVS: *s*) *ad ſingula ſubaudiendum eſt* etc. Rurſum: *t*) *ſubauditur acceſſi ἀπὸ κοινοῦ.* SVBIVGARE pro ſubigere, ſub iugum mittere, in poteſtatem redigere. ASCONIVS: *v*) *quod quiſque*, inquit, *de ſubiugata prouincia per triumphum apportauiſſet.* DECOL-

l) Hiſt. natur. l. 14. c. 1. *m*) Hiſt. l. 5. c. 14.
n) Annal. l. 14. c. 55. n. 2. *o*) Annal. l. 5. c. 6. n. 2. et l. 6. c. 8. n. 4. *p*) De Latina lingua l. 7. c. 30.
q) Lib. 11. epigr. 101. *r*) De vita beata. c. 17.
s) In Verrinam Ciceronis, quam prooemium vocant.
t) In Verrin. de praetur. vrb. *v*) Loc. cit.

LARE vſurpari coepit pro capite truncare, ſecuri ferire, collum ceruicibus abſcindere. SVETONIVS: *x*) *miles decollandi artifex quibuſcunque e cuſtodia capita amputabat.* SENECA rhetor: *y*) *facilius in honorem eius decollas, quam iudicas.* Paulo poſt: *deinde deſcripſit, qualiter in foro decolletur.* SENECA philoſophus: *z*) *vt quoſdam ad lucernam decollaret.* Idem: *a*) *quo geſtu decollare homines ſolebat.* Olim vero *decollare* pro *deeſſe*, vel *periiſſe*, vel *amiſſum eſſe* dicebatur. Crumenam ſcilicet ſibi veteres de collo ſuſpendere ſolebant: quae cum in collo amplius non erat, *decollare* dicebatur; vnde etiam pro *fallere* aut *decipere* valebat. PLAVTVS: *b*) *ſi ea ſpes decollabit; ſi fors decollaſſet;* wann die Hofnung fehl ſchlägt. VARRO: *c*) *quorum ſi alterum decollat*, vel deeſt. IMPVTARE, verbum optimo ſeculo rariſſimum, quod proprie eſt annumerare, vel in expenſi tabulas referre, ſemel obuenit apud OVIDIVM *d*) pro tribuere, vbi *acta*, inquit, *venenis imputat.* Sed hac aetate nouam ſignificationem induit, ac vſurpatum eſt, pro ducere loco beneficii, ac ſemet de eo, quod fecit, iactare, quaſi alterum fecerit obnoxium, atque adeo ad gratiam referendam obſtrictum. Ita PLINIVS: *e*) *copiam tui, non vt imputes, facis.* Alibi: *f*) *alii tranſeunt quaedam, imputantque, quod tranſeant.* SVETONIVS: *g*) *imputauit etiam, quod non laqueo ſtrangula-*

x) Calig. c. 32. *y*) Controu. 25. *z*) De ira L. 3. c. 18.
a) De morte Claudii. *b*) Capt. A. 3. S. 1. extr. Caſin. A. 2. S. 4. v. 28. *c*) De re ruſtica l. 1. c. 2.
d) Heroid. epiſt. 6. v. 102. *e*) Paneg. c. 24.
f) Lib. 8. epiſt. 21. 4. *g*) Tib. c. 53. ad quem locum CASAVBONVS: *imputare, Suetonio, Tacito, Iuuenali, Plinio, Quintiliano et aliis ſcriptoribus inferioris aeui, valet poſtulare aliquid gratiae apponi ſibi.*

Digitized by Google

gulatam in Gemonias abiecerit, proque tali clementia interponi decretum paſſus eſt, quo ſibi gratiae agerentur. PHAEDRVS: *h*)

Noli imputare vanum beneficium mihi.

TACITVS *i*) *gaudent muneribus, ſed nec data imputant, nec acceptis obligantur.* STVDERE optimae notae ſcriptoribus eſt laborare, cupere, dare operam alicui rei. Hac aetate ſimpliciter etiam fuit poſitum pro literis aut bonis artibus deditum eſſe. Ita PLINIVS: *k*) *huic ergo, Studes? inquam. Reſpondit, etiam. Vbi? Mediolani; cur non hic? quia nullos hic praeceptores habemus.* SENECA: *l*) *tunc autem, quum ſtuderet, habebatur bonus declamator.* QVINTILIANVS: *m*) *quis enim mihi bonus parens ignoſcat, ſi ſtudere amplius poſſum.* *Abnoctare* pro integram noctem abeſſe, aut foris pernoctare. SENECA philoſophus: *n*) *poeta Iouem adulterum induxit et abnoctantem.* Sic etiam MARTIANVS IC. *o*) ne quis prouinciam regit, fines eius excedat, niſi voti ſoluendi cauſſa, dum tamen abnoctare ei non liceat. A. GELLIVS: *p*) *tribunis plebis ius abnoctandi ademtum.* *Columbari*, pro columbarum more oſcula pangere, apud SENECAM *q*) Maecenas dixit.

§. XI.

Adiectiua tranſierunt in ſubſtantiua. Ita vix veterum aliquis, praeter OVIDIVM *r*) poetica licentia, FESTVM, vt ſubſtantiuum nomen vſurparit: *feſtos* omnes dixerunt *dies.* At SENECA: *s*) *genium feſto vix ſuo teſtem.*

b) Lib. 1. fab. 23. *i*) De Germ. c. 21. extr.
k) Lib. 4. epiſt. 13. n. 3. *l*) Controu. 2. 10.
m) Lib. 6. prooemio. *n*) De vita beata cap. 26.
o) L. 15. D. de officio praeſid. *p*) Noct. Attic. l. 13. c. 12.
q) Epiſt. 114. *r*) Metamorph. l. 10. v. 431. *s*) Epiſt. 114.

Digitized by Google

ſtem. PLINIVS *t*) feſta venatione abſumi. Rurſum: *v*) *id vulgus ignorans plerumque feſta ſua polluit.* Apud SENECAM vocabula ſunt notiſſima: INDIFFERENTIA, *x*) et INDOLENTIA. *y*)

§. XII.

Antiquioribus vocabulis aliam aliamque terminationem et inflexionem dederunt, veteribus incognitam. Ita CONSORTIVM vocarunt, quod Cicero, Liuius, et aequales ſemper *conſortionem. z*) CELSVS: *a*) *orto cancro ſaepe affici ſtomachum, cui cum veſica quoddam conſortium eſt.* SENECA: *b*) *inter homines conſortium;* item: *ad rapinam ex conſortio diſcurrere.* PLINIVS: *c*) *aſſumtus in laborum curarumque conſortium.* STERNVTATIO eſt apud SCRIBONIVM LARGVM, *d*) vbi *veratrum*, inquit, *nigrum, ſiccum, et aridum, ſternutationem ſtatim inuitat.* Apud CICERONEM *e*) *obſeruare ſternutamenta;* et CELSVM *f*) *euocare ſternutamenta.* VATICINIVM leges apud PLINIVM, *g*) qui, *plena eſt*, inquit, *vita his vaticiniis, ſed non conferenda, cum ſaepe falſa ſint.* At CICERO: *h*) *vaticinationem falſam eſſe cupio:* vt alibi: *i*) *vaticinationes Sibyllinas* vocat; et CAESAR *k*) *vaticinationibus declarare.* Vigor atque vis illa, quae corporibus ineſt ante ſenectutem *viriditas* a CICERONE, *l*) VIROR a PALLADIO; *m*) *Aemula-*

t) Hiſt. natur. l. 6. c. 22. *v*) Lib. 16. c. 35.
x) Epiſt. 82. *y*) Epiſt. 66. *z*) Vid. CICER. de officiis l. 3. c. 6. LIVIVS l. 40. c. 8. *a*) Lib. 7. c. 27.
b) Epiſt. 90. *c*) Paneg. c. 7. *d*) Compoſit. 10.
e) De diuinat. l. 2. c. 40. extr. *f*) Lib. 3. c. 20. confer. eiuſd. l. 2. c. 7. *g*) Hiſt. nat. l. 7. c. 52.
h) Ad Atticum l. 8. epiſt. 12. *i*) De diuinat. l. 2. c. 3.
k) De bello Gallico l. 1. c. 50. *l*) Tuſcul. quaeſt. l. 3. c. 31. De amicitia c. 3. *m*) Lib. 6. c. 12.

Aemulatio a TACITO *n*) AEMVLATVS vocatur. Idem *o*) atque PLINIVS *p*) AVDENTIA maluerunt vti, quam *audacia*. AMANVENSES finxerunt, quos veteres libertos ſeruosque *a manu* eſſe voluerunt. Ita ipſe SVETONIVS: *q*) *Philemonem a manu ſeruum* dixit. Sed alibi: *r*) *amanuenſibus exceptis*. Rurſum: *s*) *cum amanuenſibus ſuis per ludum iocumque certantem*. Quod CICERO *t*) *redundans* et *ſuperfluens* dixit, SVPERFLVVM hoc ſeculo factum eſt. Iunior PLINIVS: *v*) *flumina campis ſuperflua*. VOLVPTVOSVS nunc, qui olim *voluptarius* vocatus. PLINIVS: *x*) *non minus vtile quam voluptuoſum, poſſe vtraque* praedia, *eadem opera, eodem viatico, inuiſere*. QVINTILIANVS: *y*) *multa mehercle animalia, quae venire ad manum, et manſueſcere queunt, non humanum modo, ſed etiam voluptuoſum eſt, alere et paſcere*. At CICERO: *z*) *quae voluptaria, delicata, mollis habeatur diſciplina*. Rurſum: *a*) *ipſi voluptarii deuerticula quaerunt, et virtutes habent in ore totos dies*. Et in Piſonem: *b*) *hoc dicunt voluptarii Graeci*: ita voluptatis aſſertores vocat. FEMININVM dici hoc ſeculo coepit, quod olim *femineum*. PLINIO *c*) *femininus ſexus*; QVINTILIANO *d*) *feminina poſitio*; et PALLADIO *e*) *radi-*

n) Annal. l. 13. c. 46. et hiſt. l. 3. c. 66.
o) Annal. l. 15. c. 53. De Germ. cap. 34.
p) Lib. 8. epiſt. 4. *q*) Caeſar. cap. 74.
r) Neron. c. 44. *s*) Tit. c. 3. *t*) De claris oratoribus cap. 91. *v*) Paneg. c. 82 *x*) Lib. 3. epiſt. 19.
y) Declamat. 260. *z*) De fin. bon. et malor. l. 1. c. 11.
a) De fin. l. 5. c. 25. *b*) Cap. 18.
c) Hiſt. natur. l. 27. c. 2.
d) Inſtit. orator. l. 1. c. 4.

Digitized by Google

e) radices feminini generis commemorantur. CORPORALE et INCORPORALE apud SENECAM, *f)* quod *corporeum* et *corporatum* eſt apud CICERONEM. *g)* Quod *occidens* veteribus, nunc OCCIDENTALE; *h)* quod *oriens* factum legimus eſſe ORIENTALE. *i) Rufus*, *Rubens*, et *Ruber* eſt apud veteres; RVBEVS non item. At HYGINVS: *k) natum eſſe vitulum, qui ter in die colorem mutaret, per quaternas horas, primum album, ſecundo rubeum, deinde nigrum.* Sunt apud PALLADIVM *l) boues rubei coloris;* et COLVMELLAM *m) colore rubeo vel fuſco.* Quod LIVIO *n)* et aequalibus *perniciale*, nunc PERNICIABILE effecerunt. TACITVS: *o) id perniciabile reo.* CVRTIVS: *p) nix plurimorum oculis perniciabilis fuit.* Quibus et Ciceroniana vox pernicioſus *q)* ſufficere potuiſſet. A *crepo*, *crepare* antiquum eſt *crepans:* ſed CREPAX apud SENECAM. *r)* Idem *s)* NVTRICIVM habet pro veterum *nutricatu.*

§. XIII.

Neque ſatis caſte verborum compoſitiones cuſtodiuere: cum Cicero et optimi ſcriptores quique adhuc *commutationem*, *immutationem*, aut *permulationem* habuerint: hac aetate, quaſi aliud ſignificaret, illis addita eſt TRANSMVTATIO. Ita QVINTILIANVS: *t) duos in vno nomine faciebat barbariſmos, et immutatione, et trans-*

e) Lib. 9. c. 5. *f)* Epiſt. 58. 78. et 90.
g) De vniuerſ. cap. 4. et 2. *h)* Apud. PLINIVM hiſt. natur. l. 18. c. 34. *i)* Apud PALLADIVM l. 3 c. 17.
k) Fab. 136. *l)* Lib. 4. c. 11. *m)* Lib. 6. c. 1.
n) Lib. 27. c. 23. aliis cap. 25. *o)* Annal. l. 4. c. 34.
p) Lib. 7. c. 3. n. 13. *q)* Vid. CICERO pro domo c. 43. de legibus l. 2. c. 5. et l. 3. c. 14. *r)* Epiſt. 114. *crepax molo.*
s) Conſolat. ad. Heluiam c. 17. *t)* Inſtit. orat. l. 1. c. 5.

tranſmutatione: vbi, niſi me omnia fallunt, tranſmutationem literarum tranſpoſitionem vocat. Praeter neceſſitatem et vſum coeperunt iam tum componere voces: vt ſunt COAEQVALES apud COLVMELLAM *v*) qui, *vbi ſe paullum*, inquit, anſer *confirmauit*, *in gregem coaequalium compellitur.* Apud PETRONIVM *x*) *coaequale natalium ſinciput.* Licet verbum *coaequare* veteribus iam vſitatum fuerit. *y*) *Verſari cum aliquo*, *z*) vel *apud aliquos*, *a*) vel *inter aliquos b*) dicebant veteres. Huius aeui ſcriptores CONVERSARI *cum aliquo*, vel *alicui*, vel *inter aliquos.* Ita COLVMELLA: *c*) *vt multitudo* apum *ſine diſcordia cum parentibus ſuis conuerſetur.* SENECA: *d*) *conuerſatur nobiscum.* Idem: *e*) *nemo libenter triſti conuerſatur*, *nedum triſtitiae.* COLVMELLA: *f*) *aſinus a tenero conuerſatus equis.* SENECA rhetor: *g*) *conuerſata es diutius inter humano ſanguine delibatos.* IMPRECARI maluerunt, cum veteribus ſufficeret *precari.* PLINIVS: *h*) *diras Pompeio*, *quas ille mox luit*, *imprecatur populus.* QVINTILIANVS: *i*) *imprecari debilitates*, *naufragia*, *morbos.* CONCIVIS vix apud alium reperitur huius aeui ſcriptorem, quam apud FRONTINVM, *k*) vbi *exactum conciuium locum primum appellatum*, *deinde dictum fundum.* Quamuis etiam ſint, qui de ſana ſcriptura dubitent. *l*) Vocabulum CONTERRA-

v) Lib. 8. cap. 14. *x*) Satyr. c. 136. *y*) Vid. CICERO Verr. orat. 3. cap. 41. et SALLVSTIVS Catil. c. 10.
z) CICERO Catil. orat. 1. c. 5. *a*) NEPOS Conone c. 2.
b) CICERO ad Attic. l. 18. epiſt. 8. *c*) Lib. 9. cap. 11.
d) Epiſt. 41. *e*) Epiſt. 99. Epiſt. 32. *conuerſari diſſimilibus.*
f) Lib. 6. c. 36. *g*) Controu. 1. *h*) Hiſt. natur. l. 8. c. 7. *i*) Declam. 15. extr. *k*) De limitibus.
l) Vid. CELLARII curae poſteriores p. 176.

NEVS PLINIVS *m*) videtur primus finxiſſe: quo is deſignetur, qui ex eadem eſt terra, eidemque matrici attribuitur vrbi.

§. XIV.

Antiquis noua nomina ſubſtituebant, atque adeo ſermonis caſtitatem dignitatemque non verebantur commaculare. Teſte SENECA philoſopho, *n*) quod tunc BREVIARIVM erat, olim cum Latine loquerentur, *ſummarium* vocabatur. CONVERSATIONEM dixerunt, quam veteres *conſuetudinem*. VELLEIVS: *o*) *nec defuit conuerſatio hominum.* QVINTILIANVS: *p*) *nec tutior inter ſeruos malos, quam ingenuos parum modeſtos conuerſatio eſt.* TACITVS: *q*) *donec idem ſacerdos ſatiatam conuerſatione mortalium Deam templo reddat.* SENECA: *r*) *aegris inimica eſt multorum conuerſatio.* Idem: *s*) *tam bonorum, quam malorum, longa conuerſatio amorem induit.* SENECA rhetor: *t*) *in illis non conuerſatio cum viris licentioſior.* DORMITORIVM ſubſtituerunt veterum *cubiculo.* PLINIVS: *v*) *in pariete dormitorii.* IMPRECATIO vox noua deteriori plerumque ſenſu *exsecrationi* ſubſtituta. Ita PLINIVS *x*) de populis Atlantibus: *ſolem orientem occidentemque dira imprecatione contuentur.* SENECA: *y*) *caput ſanctum tibi, dira imprecatione defigis.* GRATITVDO et INGRATITVDO vocabula barbara leguntur apud VALERIVM MAXIMVM

Libri

m) Hiſt. natur. praefat. *n*) Epiſt. 39. Confer. PLINIVS hiſt. natur. l. 7. c. 26. et SVETONIVS Aug. extr. et Galba c. 12. et Veſp. c. 21. *o*) Lib. 2. c. 102.
p) Inſtit. orat. l. 1. c. 2. *q*) De Germania cap. 40.
r) Epiſt. 7. *s*) De tranquill. cap. 1. *t*) Excerpt. 6. controu. 8. *v*) Hiſt. natur. l. 30. c. 6. *x*) Hiſt. nat. l. 5. c. 8. *y*) De benefic. l. 6. c. 35.

Libri quinti ſecundo et tertio capiti inſcripta: perperam, et in melioribus libris, fide codicum MStorum antiquiſſimorum, legitur *de gratis* et *de ingratis*. Pro *gratitudine* dixerunt veteres *animus gratus*, *voluntas grata*, *animus beneficii memor*. CICERO: z) *memorem in bene meritos animum*. Idem a) Graeca vtitur voce ἀχαριστίας, quod non feciſſet, ſi *ingratitudo* ciuitate fuiſſet donata. Nec vſquam Tullius, cum de re ipſa tamen dixerit; nec Seneca in libris de beneficiis, aut ipſe Valerius Maximus, vbi de gratis et ingratis loquitur, barbara iſta vocabula vſurpauit. ACQVISITIO veteribus *comparatio* fuit, nec forſan hac aetate, niſi apud FRONTINVM, b) legitur, vbi de collectione aquarum: *adiuuatus* fons aquae virginis, quae Romam deriuatur, *ex compluribus aliis acquiſitionibus*. Deinde: *acquiſitionum ductus riui ſubterranei efficiunt* etc. LIGATVRA vix apud alium huius vel antiquioris aeui ſcriptorem, quam apud PALLADIVM RVTILIVM c) reperitur. *Ligatura*, inquit, *in vitibus locum debet mutare, ne vnum ſemper aſſiduitas conterat vinculorum*. SVPERFLVITAS pro *copia* eſt apud PLINIVM: d) *ſuperfluitate pampinorum*, i. e. palmitum, *atria replere*. Vt veteribus *edacitas*, ita recentioribus huius aeui ſcriptoribus VORACITAS placuit. PLINIVS: e) *quae eſt illa natura, quae voracitatem in toto mundo auidiſſimam ſine damno ſui paſcit*. PVRITAS vix apud alium huius aeui ſcriptorem, quam apud PALLADIVM, f) reperitur, qui de vino, *mox ſumere puri-*

z) Ad famil. l. 1. epiſt. 9.
a) Ad Attic. l. 9. epiſt. 4.
b) De aquae ductibus lib. 1.
c) Lib. 1. c. 6.
d) Hiſt. natur. l. 14. c. 1.
e) Hiſt. natur. l. 2. c. 107.
f) De re ruſtica l. 11. c. 14.

tatem colarique debere, et in vſum referri. Tutius ergo pro ea veterum vtimur *elegantia, munditie, caſtitate:* quamuis apud TVLLIVM *g*) legamus: *cum omnes impuritates pudica in domo quotidie ſuſciperes.* SVMMITAS apud PALLADIVM quoque eſt pro *faſtigio. Perfectis*, inquit, *h*) *parietibus, in ſummitate ſtructura teſtacea cum coronis prominentibus fiat.* ADVERSITAS, pro rebus dubiis, aduerſis etc. valere coepit. Hinc PLINIVS: *i*) quod inter ſe aduerſari ſcorpiones oleo merſos et ſtelliones, dicere poterat: *magnam*, inquit, *aduerſitatem oleo merſis et ſtellionibus putant eſſe.* NIMIETAS, pro nimia rerum copia, legitur apud COLVMELLAM atque PALLADIVM. Hic *k*) *ſanguinis*, inquit, *nimietatem prohibet.* Ille: *l*) *nimietate verni pabuli pecudes exhilaratae laſciuiunt.* SVSTENTACVLVM et *columen* coniunxit TACITVS, *m*) qui ſolus fere hac aetate vocabulum iſtud *fulcro* ſubſtituit. Eidem *n*) *commilito*, qui in eodem manipulo eſt, COMMANIPVLARIS; et qui ex couino, ſiue curru, armatus pugnat COVINARIVS *o*) dictus eſt. CVCVMA vas ſuperne anguſtum, cum porrecto collo, ad aquam calefaciundam. PETRONIVS: *p*) *cucumam ingentem foco appoſuit.* Et diminuta ſignificatione, *ceruix*, inquit, *cucumulae. q*) At MARTIALIS, *r*) per ſynecdochen, integrum balneum, ſed priua-

g) Philipp. orat. 2. cap. 3. *h*) Lib. 1. c. 11. vid. eiuſdem libri c. 6. et 19. l. 2. c. 15. et l. 4. c. 10. *i*) Hiſt. natur. l. 11 c. 25. *k*) Lib. 7. c. 7. Et lib. 2. c. 13. *nimietates* habet. *l*) Lib. 6. c. 24.

m) Hiſt. l. 2. c 28. *n*) Hiſtor. l. 4. c. 46.

o) Agric. cap. 35. et 36. *p*) Satyr. c. 135.

q) Cap. 136.

r) Lib. 10. epigr. 79.

priuatum et paruum, cui ſufficiat ahenum, cucumam vocat. In oppoſitione

Torquatus nitidas, inquit, *vario de marmore thermas*

Exſtruxit: *cucumam fecit Otacilius.*

Atque etiam temporis ſucceſſu, quod optimo fuit proximum, vt fieri ſolet ex analogia, neceſſitate vrgente non vna, ficta factaque ſunt verba, communi doctorum conſenſu ac ſuffragio populi, Latinitate donata. Eo referimus Latinis inauditum ſeruatoris nomen, vt poſthac ad ſalutis originem aliquo modo deſignandam diceretur SALVATOR, iam tum Traiani Caeſaris aetate. Quod diſcimus ex inſcriptione veteri: *s*) IOVI. CVSTODI. QVIRINO. SALVATORI. PRO. SALVTE. CAESARIS. NERVAE. TRAIANI. AVG. COL. SARMIZ. Ciceronis tempore hoc verbum non fuiſſe, vel inde patet, quod ipſe non vnum potuerit in toto Latio reperire, quod Graecorum ſotera exprimeret. In Verrem de iurisdictione Sicilienſi: *t*) *Sotera*, inquit, *inſcriptum vidi Syracuſis. Hoc quantum eſt? ita magnum, vt Latino vno verbo exprimi non poſſit.* Vt *confugium* veteres, ita ſeneſcentis Latinitatis ſcriptores etiam dixerunt DIFFVGIVM. Ita TACITVS: *v*) *turbauere conſilium proximorum diffugia.* Analogiae vt haberent rationem, PIRATICAM quoque die See-Rauberey, vt *muſicam* et *fabricam*, adhuc praeceptores QVINTILIANI *x*) dubitarunt. Vnde REIMANNVS V. Cl. *y*) vocem *piratices*, ſibi

s) Apud GRVTERVM p. 19. n. 5. *t*) Verrina actione IV. cap. 63. *v*) Hiſt. l. 1. c. 39. *x*) Inſtit. orat. l. 8. c. 3. *y*) Introductione in hiſtoriam vocabulorum linguae Latinae pag. 53.

Digitized by Google

ſibi perſuadet, hac tempeſtate in Latinam linguam fuiſſe introductam. At CICERO z) iam tum *egeſtate*, inquit, *et improbitate coactus piraticam fecit.*

§. XV.

Vt in ſubſtantiuis nominibus veterum ſeruandis non ſatis religioſi fuerunt, ſeneſcente Latina lingua, ſcriptores: ita vulgo ad noua, quae vocant, adiectiua quoque fingenda proni. Quod *fictum* et *commentitium* adhuc fuit, maluerunt nunc eſſe FICTITIVM. Ita PLINIVS: a) *fictitium non poteſt videri.* IMMACVLATVM, quod ante eum omnes *incorruptum*, dixit LVCANVS: b)

Abſcondat fortuna nefas, Romanaque tellus
Immaculata ſui ſeruetur ſanguine Magni.

INTELLIGIBILE dixerunt, quod intelligi poteſt. Ita certe SENECA: c) *bene agitur cum ſenectute, ſi illuc longo ſtudio intentoque peruenit, vbi hoc et bonum, et intelligibile eſt.* Paulo poſt: *ſenſibile iudicant bonum: nos contra intelligibile.* VISIBILE et INVISIBILE, quod veteribus *aſpectabile*, vel *non aſpectabile* fuit, hoc ſeculo dixerunt. PLINIVS: d) *oculi viſibilem eius partem accipiunt.* CORN. CELSVS: e) *ſi manantia corpuſcula per inuiſibilia foramina ſubſiſtendo iter claudunt.* Hoc vero TVLLIVS f) eleganter ita circumſcribit: *animus oculorum effugit obtutum.* Alibi: g) *res caecae et ab aſpectus iudicio remotae.* RATIONALIS, imo RATIONABILIS; itemque IRRATIONALIS et IRRATIONABILIS, dicebatur qui ratione praeditus, vel cum ratione conue-

z) Orat. poſt reditum in ſenatu. a) Hiſtor. natur. l. 23. c. 1.
b) Lib. 2. extr. c) Epiſt. 124.
d) Hiſt. natur. l. 11. c. 37. e) Praefat.
f) De vniuerſ. c. 8. g) De orat. l. 2. c. 87.

Digitized by Google

conueniens, rationis item expers, aut mente et ratione vacuus. Apud SENECAM *h*) et QVINTILIANVM *i*) *animal rationale.* SENECA etiam: *k*) *quaedam*, inquit, *vt ſcis, moralibus rationalia immixta ſunt.* Ita *philoſophia* quoque *rationalis. l*) Alibi: *m*) *rationabilem*, inquit, *ſortiris naturam.* Rurſum: *n*) *adiicimus rationali irrationale.* QVINTILIANVS: *o*) *falſa eſt* deſcriptio, *ſi dicas, equus eſt animal rationale: nam eſt equus animal, ſed irrationale.* Idem: *p*) *eſt igitur vſus quidam irrationalis* etc. QVINTILIANVS ab illo tamen ſuperiori diuerſus: *q*) *ſunt quidam irrationabiles impetus animorum.* Alibi et alius *r*) *irrationabilem caſum* habet. CORN. CELSVS *s*) *irrationabile animal.* NEVTRALE quod neutrius eſt partis, otioſum, vel medium dixerunt. QVINTILIANVS: *t*) *quae feminina poſitione mares, aut neutrali feminas ſignificant.* Mox: *v*) *nomina neutralia* vocat. PRAESENTANEVM, quod penetrans aut efficax, fuit: PLINIO *x*) *praeſentaneum venenum*, et *praeſentaneum medicamentum.* SVETONIO *y*) item *praeſentaneum venenum:* SENECAE *z*) *boletus praeſentaneus.* Et QVINTILIANVS *a*) *virus*, inquit, *praeſentaneum paro, quod ſtatim, quod ſubito corripiat.*

h) Epiſt. 41. *i*) Inſtit. orat. l. 7. c. 3.
k) Epiſt. 102. *l*) Apud eundem epiſt. 89. Confer. CELSVS paſſim, vbi Graecorum λογικὸν *rationale* interpretatus eſt.
m) De vita beata c. 14. *n*) Epiſt. 92. confer. eiuſd. epiſt. 71.
o) Inſtit. orat. l. 7. c. 3. *p*) Lib. 10. c. 7.
q) Declam. 325. *r*) Declam. 9.
s) Praefat. l. 1. *t*) Inſtit. orat. l. 1. c. 4.
v) L. c. cap. 5. *x*) Hiſt. nat. l. 24. c. 1. l. 28. c. 13.
y) Neron. c. 33. *z*) Epiſt. 95. *a*) Declam. 17.

ripiat. Quae roſcida, rorantia, vel etiam rorata fuere, praeter neceſſitatem RORVLENTA fecerunt. COLVMELLA: *b*) cauendum, ne vites rorulentae, ſed ſiccae, ferantur. PLINIVS: *c*) *cum eſt rorulenta Cypros.* Idem: *d*) *ne doles materiam, niſi ſiccam: neue gelidam, neue rorulentam.* Rurſum: *e*) *vuam ne legito rorulentam.* Et, *noxium ſi in rorulentum* pecudem *duceres. f*) Quod boni ſaporis et conditum dixerunt SAPIDVM. Ita APICIVS: *g*) *auem ſapidiorem et altiorem facies, et ei pinguedinem ſeruabis: ſi eam farina, oleo ſubacta, contectam in furnum miſeris.* Sic et alibi *ius ſapidum h*) *ſapidiores piſces; i*) et ſimilia habet. Quaſi non ſufficeret illis, veterum quod *voluntarium* ſatis elegans vocabulum fuit: illi SPONTANEVM ſubſtituere. Ita apud PLINIVM *k*) *virginea aetas ſpontanea:* apud SENECAM *l*) *agilitas ſpontaneus motus eſt.* SVPERCILIOSVS, qui eſt grandis ſupercilii, faſta plenus dicitur. Apud SENECAM *m*) *triſtes et ſupercilioſi alienae vitae cenſores.* FRIGIDARIVS ſubſtend. *Frigidaria cella balnei*, vbi frigida lauamur, PLINIO *n*) vocatur. Apud PALLADIVM *o*) ſunt *balneae frigidariae;* apud PETRONIVM *p*) *frigidaria ciſterna.* Inclutus et celebris FAMIGERATVS quoque dicitur: vt Creta inſula apud MELAM *q*) *multis famigerata fabulis.* Qui certus, haud dubius, ſemper ab antiquis, INDVBIVS nunc

b) Lib. 5. c. 5. *c*) Hiſt. nat. l. 12. c. 17.
d) Lib. 16. c. 39. *e*) Lib. 18. c. 31. *f*) L. c. cap. 33.
g) De arte culin. l. 6. c. 4. *h*) Lib. 9. c. 10.
i) Lib. 9. c. 11. *k*) Hiſt. natur. lib. 28. c. 7.
l) Epiſt. 121. *m*) Epiſt. 123.
n) Lib. 2. epiſt. 17. n. 11. et l. 5. epiſt. 6. n. 26.
o) De re ruſtica l. 41. *p*) Cap. 72. *q*) Geograph. l. 2. c. 7

nunc a TACITO *r*) et QVINTILIANO *s*) vocatur. FOENEBRE dicebant quodcunque ad foenus pertinet; vt *foenebre malum: t*) *pecunia foenebris. v*) Apud SENECAM paſſim notabis ſingularia: *clamoribus* EXSVRDATVS; *x*) GAVSAPATVS, qui gauſapina indutus *y*) *arbores* GRANDISCAPIAE, quae grandem ſcapum habent; *z*) INENARRABILIS; *a*) INFRVNITVS, qui imprudens, fatuus, inſipiens; *b*) *fundamenta* LAPSABVNDA; *c*) LYCHNOBIVS, qui ad lucernam vitam degit, praepoſtere ſic viuens; *d*) OBIRASCENS *fortunae animus*, pro obiratus; *e*) *fauces* OCCALLATAE *cibis ardentibus*; *f*) VALETVDINARIVS; *g*) denique, vt multa alia taceam, *ſegregem* ſcripſit *vitam*, pro ſolitaria. *h*) STIGMOSVS dictus qui et *ſtigmaticus* ſtigmate notatus, et infamis, Petronio *ſtigmate punctus*, Martiali *inſcriptus*, et Plauto *literatus* vocatur. Iſta voce primum M. Regulum apud PLINIVM *i*) fuiſſe vſum, IAC. FRID. REIMANNVS V. Cl. *k*) notat. Sed fallitur: diu ante illum PETRONIVS: *l*) *dicta in caluos ſtigmoſosque iaculari.* Regulus vero ille a Plinio luditur, quod Ruſticum appellauerit *ſtoicorum ſimiam*; et *vitelliana cicatrice ſtigmoſum.* Hinc PLINIVS *m*) *agnoſcis*, addit, *eloquentiam Reguli*: et verbum notat,

r) Annal. l. 14. c. 45. *s*) Inſtit. orat. l. 5. c. 13. Alius declamat. 7. princ. *t*) TACITVS annal. l. 6. c. 16.
v) SVETONIVS Calig. c. 41. *x*) Epiſt. 94.
y) Epiſt. 53. *z*) Epiſt. 86. *a*) Quaeſt. nat. l. 3. c. 22.
b) De benefic. l. 3. c. 16. de vita beata cap. 23.
c) Epiſt. 52. *d*) Epiſt. 122. extr.
e) De tranquill. anim. c. 2. *f*) Quaeſt. natur. l. 4. extr.
g) De benefic. l. 1. c. 11. extr. *h*) De benef. l. 4. c. 18.
i) Lib. 1. epiſt. 5. *k*) Introductione in hiſtoriam vocabulorum linguae Latinae pag. 52. *l*) Satyr. c. 109.
m) Lib. 1. epiſt. 5.

tat, VT CELLARIVS *n*) opinatur, *ſtigmoſum*, quod inuſitatum et contra analogiam Latinitatis eſſet.

§. XVI.

Gradus comparationis veteribus ſuſpectos, vel etiam inauditos, quam lubentiſſime recipiebant. Ex. gr. PIISSIMVS ſuperlatiuo, vt loquuntur, gradu formatum a *pio* adiectiuum CICERO *o*) vocat nouum, quale omnino nullum in lingua Latina ſit. Verum parui hanc cenſuram ſequentis aeui ſcriptores aeſtimarunt. CVRTIVS: *p*) *fidiſſimi piiſſimique ciuium atque amicorum* etc. SENECA rhetor: *q*) *piiſſimo patri tormentum quaeſiiſſe ex filiorum impietate.* SENECA philoſophus: *r*) *quod longe a ſenſibus tuis prudentiſſimis piiſſimisque abeſt.* Ita QVINTILIANVS, *s*) FRONTINVS, *t*) et plures alii. Huius generis quoque eſt COELESTISSIMVS, qua voce VELLEIVS PATERCVLVS *v*) vtitur, et *coeleſtiſſimum os Ciceronis; coeleſtiſſima Tiberii opera* dixit: cum nihil ſit diuino diuinius, aut coeleſti coeleſtius. *x*)

§. XVII.

Epitheta praeter vſum addiderunt nominibus inepta vel tautologa. Ita verbi gratia veteribus *cubiculum* fuit quod recentioribus *dormitorium*, **eine Schlaf-Kammer.** Iunior vero PLINIVS *y*) DORMITORIVM CVBICVLVM dixit: cum et iſtud *dormitorium* veteribus inſolens et inauditum fuerit. Coniunxerunt vulgo BONAM aut

n) Ad h. l. pag. 8. *o*) Philippica orat. 13. c. 19.
p) Lib. 9. c. 6. *q*) Controu. 27.
r) Conſolat. ad Polyb. cap. 26. *s*) Declamat. 10. extr.
t) De aquae ductibus. l. 1. *v*) Lib. 2. cap. 94. et 104.
x) Vt SENECA philoſophus habet epiſt. 66.
y) Lib. 5. epiſt. 6.

Digitized by Google

aut MALAM CONSCIENTIAM: veteres non item, aut raro. *Conſcientia* proprie eſt multorum ſcientia; vel animi teſtimonium de rebus bene vel male geſtis. CICERO caſum plerumque addidit genitiuum eius rei, ad cuius ſcientiam prouocatur, ex. gr. officii, conſiliorum, optimae mentis, aut ſimilium. Rarius nomini abſoluto adiectum fuit aliud, vt *praeclara conſcientia ſuſtentor*; aut *a recta conſcientia tranſuerſum vnguem non oportet diſcedere.* Vbi SALLVSTIVS quoque z) *ex mala conſcientia digna timere.* Inclinante vero Latinitate, crebrior eius coepit eſſe vſus. SENECA: a) *hoc, quod ille ex mala conſcientia faciebat, nos ex bona faciamus.* Idem: b) *ſatis fiduciae habere in bona conſcientia.* PLINIVS c) *optimam* habet *conſcientiam.* TACITVS: d) *bonae conſcientiae pretio duci.* Et QVINTILIANVS: e) *male dicta non intelligere bonae conſcientiae eſt.*

§. XVIII.

Et verba ſuperioribus adiiciemus paucula. ADVNARE ante Traiani tempora nemo dixit pro *coniungere, colligere, in vnum cogere.* Sed PALLADIVS: f) *membra diuiſa adunare*; alibi: g) *germen adunatum.* EXPLANTARE pro *eradicare* inuenies paſſim. Apud COLVMELLAM h) *explantari ventis*; alibi i) *antequam explantes arbuſculam.* SAGITTARE pro ſagittas emittere forſan nemo Latinorum ſcripſit ante Q. CVRTIVM,

 k) qui

z) Iugurt. cap. 62.
a) Epiſt. 12.
b) De clement. l. 1. c. 15.
c) Lib. 1. epiſt. 12.
d) Agric. cap. 1.
e) Inſtit orator. l. 9. c. 2.
f) Lib. 3. c. 29.
g) Lib. 4. c. 10.
h) Lib. 4. c. 14.
i) Lib. 5. c. 9.

Digitized by Google

k) qui de Catene, *adeo*, inquit, *certo ictu deſtinata feriebat, vt aues quoque exciperet. Nam etſi forſitan ſagittandi tam celebri vſu minus admirabilis* etc. CONFISCARE ſub Caeſaribus recens natum verbum, poſtquam *fiſcus* principis ab *aerario* diſtingui coepit, pro eo, quod eſt in fiſco vel ſacco principis reponere, aut redigere in fiſcum, dicitur. l) Hinc CONFISCATIO apud FLORVM m) et CONFISCATI apud SVETONIVM. n) RESTAVRARE, pro *inſtaurare*, legimus apud TACITVM, o) *reſtaurare theatrum igne hauſtum.* At SERVIVS: p) *inſtar*, inquit, *eſt ad ſimilitudinem, vnde non reſtaurata, ſed inſtaurata dicuntur aedificia, ad antiquam ſimilitudinem facta.* REMEDIARE, pro remediis alicui ſubuenire, remedia adhibere, inuenies apud SCRIBONIVM LARGVM; q) vnde *remediatio* apud eundem, r) et *remediabilis* apud SENECAM s) paſſim alibi legitur. *Extimeſcere* Ciceronianum eſt: t) EXTIMERE apud TACITVM v) inſolens: *quaſi principem non quidem odiſſent, ſed tamen extimerentur.* Ad auctionem indicandam frequentiorem, *auctare* vetus verbum eſt, multorum auctoritate probatum; ſed nouum AVCTITARE apud TACITVM. x) *Rotundare* Ciceronianum;

k) Lib. 7. c. 5. l) Vid. SVETONIVS Aug. c. 101. Calig. c. 16. et 41. Domit. c. 12. Tib. c. 49.
m) Lib. 3. c. 9. n) Locis citatis.
o) Annal. l. 3. c. 72. et. l. 4. c. 43. p) Ad Virg. Aen. l. 2. v. 15. q) In praefat. compoſ. 1. 11. 18. 104. Confer. HYGINVS fab. 101. r) Compoſ. 11.
s) Epiſt. 95. et epiſt. 114. *tyranni irremediabilis factio.*
t) Vid. CICERO Philipp. orat. 7. c. 1. pro Deiotaro c. 1.
v) Annal. l. 15. c. 71. n. 4. x) Annal. l. 6. c. 16.

Digitized by Google

num; CORROTVNDARE huius ſeculi. *y*) Apud SENECAM NEPOTARI eſt pro luxorioſe viuere, *z*) OBSTRIGILLARE pro obſtare, vel ſe opponere. *a*) PETRONIVS ARBITER *b*) meminerat dictum eſſe Latinis *honeſtare*, ideo ſibi verbum MOLESTARE indulſit, pro moleſtia afficere. *Aut tace* inquit, *aut meliorem noli moleſtare.* Alibi: *comtum vernales alucitae moleſtabant.* Verba olim ſeparata iam, nulla vrgente neceſſitate, componere non verebantur. Ex. gr. vt *cruci affigere, cruci ſuffigere*, vel in crucem agere, dicebant; CRVCIFIGERE compoſitum verbum ſubſtituere. Sic leges apud SVETONIVM *c*) *librarios crucifixos*; apud PLINIVM *d*) *leones in Africa crucifixos*; apud QVINTILIANVM *e*) *ducem crucifixum*; alium: *f*) *quoties noxios crucifigimus*; et apud HYGINVM *g*) *quos rex iuſſit crucifigi.* Neque ex veterum vſu caſte ſatis ſemper inflexionem et variationem verborum obſeruarunt. Ex: gr. ab notiſſimo verbo *reuertor* Cicero, Caeſar, Liuius, optimi quique Latinae linguae auctores, praeterita ſemper actiue *reuertit, reuerterunt* etc. formare leguntur. Sed poſt Auguſti obitum, inclinante Latina lingua, euanuerunt prope iſta praeterita, et nemo praeter conſuetudinem veterum REVERSVS EST dicere erubuit. PHAEDRVS: *h*) *ſero domum eſt reuerſus titubante pede.* VALERIVS MAX. *i*) *alacer in vrbem*

y) Vid. SENECA quaeſt. natur. l. 4. c. 3.

z) De beneficiis l. 1. c. vlt.

a) Epiſt. 115.

b) Satyr. fragm. Trag. c. 58.

c) Domit. c. 10.

d) Hiſt natur. l. 8 cap. 16.

e) Inſtit. orat. l. 7. c. 1.

f) Declam. 274. extr.

g) Fab. 194.

h) Lib. 4. fab. 14.

i) Lib. 5. c. 3. exempl. 4.

bem reuerſus eſt. ASCONIVS PEDIANVS: *k*) *Piſo reuerſus eſt ex prouincia.* Ita quoque HYGINVS, *l*) FRONTINVS *m*) et plures alii.

§. XIX.

Veteres vt in tota oratione cuſtodiebant linguae ſuae nitorem, proprietatem, et elegantiam: ita videntur etiam valde ſoliciti fuiſſe de ratione colligandi connectendique inter ſe corporis totius quaſi membra et artus orationis. Particulas intelligo, de quarum inſigni vſu et elegantioris Latii ſolicita cura non contemnendi GODESCALCI STEWECHII et HORATII TVRSELLINI proſtant, nec immerito Latinae linguae ſtudioſis commendantur, libelli: qui, cum aliis de elegantiori Latinitate comparanda ſcriptoribus ſelectis, opera RICHARDI KETELII, ex nitidiſſima WETSTENIORVM officina, decimo tertio noſtri ſeculi anno, Amſtelaedami prodierunt. Non exilis res eſt, vtut videretur, minimarum quoque in linguis particularum rationem habere. Quandoquidem, vt in corpore humano ad motum vſumque membrorum nerui, oſſium molles commiſſurae, et alia, quibus inter ſe omnes apti connexique continentur artus, momenti plurimum habent; ita ſine particularum coniunctionibus, et quaſi vinculis, oratio diſſoluta, hiulca, et apte inter ſe haudquaquam cohaerens languet, propemodum et neglecta iacet. Id genus vero particulae hoc ſeculo ab aliis, vbi requirebantur, omiſſae; ab aliis, neglecta vſus ratione, perperam adhibitae; ab aliis denique, vt nouationis vbique pruritus deprehendebatur eſſe

k) In prooem. contra Piſonem. *l*) Fab. 131.
m) Lib. 4. c. 2.

eſſe maximus, aliae veteribus ſubſtitutae fuerunt. Seneca et alios a cognitione veterum oratorum auertit; *n*) et ipſe peculiarem ſibi, nullis particulis cohaerentem, elegit ſermonem: quo multos in ſui admiratione detineret. Hoc vero nomine haud immerito Senecam tunc maxime placentem Caeſar Caligula, teſte SVETONIO, *o*) irridebat, *commiſſiones*, dicens, *meras componere, et arenam eſſe ſine calce.* Particula HACTENVS, de qua CELLARIVS, *p*) et BORRICHIVS *q*) multa, Ciceronis tempore, fuit loci dubio procul; temporis vero ADHVC particula. TVLLIVS certe illa vtitur, vbi partem libri aut ſermonis finit. *Sed haec hactenus; nunc ad oſtenſa veniamus. r*) *De literis hactenus. s*) *Sed hactenus;* et paucis interiectis rurſum: *ſed haec quoque hactenus. t*) Promiſcue ſcriptores Latinitate ſeneſcente aduerbio *hactenus* vtebantur ad locum atque tempus deſignandum. TACITVS: *v*) *Tiberius hactenus indulgere matri ciuile ratus.* Alibi: *x*) *diſpecta eſt et Thule, quam hactenus nix et hiems abdebat.* PLINIVS: *y*) *patrem familiae hactenus ago, quod aliquam partem praediorum percurro.* Sic a veterum dicendi recta conſuetudine deſcitum eſt magis atque magis: et in omni ſermone *hactenus* ingeri coepit: iſtud vero veterum *adhuc* fere obliterari; aut non praeterito tempori, pro **bisher**/ ſed futuro, pro **annoch**/ tantum applicatur. Erro-

n) Vid. SVETONIVS Neron. c. 52.
o) Calig. cap. 53.
p) Cur. poſt. pag. 405. ſeqq.
q) Vindic. p. 80. ſeqq.
r) De diuinat. l. 2. c. 24.
s) Ad famil. l. 2. epiſt. 1.
t) Ad Atticum l. 5. epiſt. 13.
v) Annal. l. 2. c. 34. n. 4.
x) Agricolae vita cap. 10.
y) Lib. 9. epiſt. 15.

Digitized by Google

Errori fortaſsis anſam dedit aduerbii *hactenus* elegans ſignificatio alia, quod eſt, ſequente *vt*, pro *in tantum*, vel *eatenus.* z) Sed et alia videamus. INTERIM pro interea temporis, **inzwiſchen / mittler Zeit / unterdeſſen**: ita quidem vt aliquando *dum* vel ſimilis alia particula ſequatur; optimi ſeculi, et Ciceronianum eſt. *a*) *Interim* vero pro *interdum*, **bisweilen** aetatis ſeneſcentis aduerbium. Traianus apud PLINIVM: *b*) *prudenter conſtitui interim nauibus, interim vehiculis vti.* QVINTILIANVS: *c*) *nam interim triplices etiam ſuaſoriae incidunt.* Alibi: *d*) *interim concitatus, interim lenis eſt.* SENECA: *e*) *quid aliorum tibi funera Caeſarum referam? quos in hoc mihi interim videtur violare fortuna, vt ſic quoque generi humano proſint.* Aduerbium SVBINDE veteribus idem quod *mox, deinde*, vel *poſtea* ſignificabat. Ita HORATIVS *f*)

> *Si dicat, recte: primum gaudere, ſubinde*
> *Praeceptum auriculis hoc inſtillare memento.*

Idem nunc vſurpare coeperunt pro *crebro* et *frequenter.* PLINIVS: *g*) *effigiem ſubinde intueri, ſubinde reſpicere.* SVETONIVS: *h*) *ſubinde*, i. e. crebro, *in obiurgando appellans eum πηλὸν αἵματι πεφυραμένον.* ALIQVATENVS aduerbium fecerunt hoc aeuo, pro eo quod veteres dixerunt *aliqua ex parte*, vel *quodammodo.*

z) Vid. CICERO orat. pro Flacco c. 15. extr. De oratore l. 2. c. 27.

a) Vid. CICERO pro Ligario orat. c. 1. De oratore l. 2. c. 86. TERENTIVS Andriae A. 1. S. 1. v. 100. A. 5. S. 2. v. 2. LIVIVS l. 28. c. 44. et l. 35. c. 24.

b) Lib. 10. epiſt. 27. *c*) Inſtit. orat. l. 3. c. 10.

d) L. 11. c. 3. *e*) Conſol. ad Marciam c. 15.

f) Lib. 1. epiſt. 8. extr. *g*) Lib. 2. epiſt. 7. *h*) Tib. c. 57.

modo. QVINTILIANVS: *i) Philiſtius, vt multo inferior Thucydide, ita aliquatenus lucidior.* PETRONIVS: *k) apertis aliquatenus labris.* SENECA: *l) aliquatenus dolere.* MELA: *m) cum aliquatenus ſolida Aſia proceſſit.* Rurſum: *n) Padus aliquatenus exilis ac macer, mox aliis amnibus augeſcit atque alitur.* COLVMELLA: *o) cum aliquatenus ſe confirmauit.* PLINIVS: *p) aliquatenus et folia emolliunt.* Pro eo quod ante fuit *magna voce* maluerunt dicere CLAMOSE. Ita QVINTILIANVS: *q) ne dicamus omnia clamoſe, quod inſanum eſt.* EXACTE recentiores, *accurate* veteres dixerunt. MELA: *r) dicam alias plura, et exactius.* Idem: *s) nunc exactius oras ſitusque dicturo inde eſt commodiſſimum incipere.* FAVORABILITER pro *beneuole*, aut *benigne* quod cum fauore eſt pronunciarunt; vt QVINTILIANVS: *t) in aliquem laetum ac plauſibilem locum fauorabiliter excurrere.* SVETONIVS: *v) Troiam fauorabiliter luſit.* PALLADIVS: *x) licet de his nugis fauorabiliter ſentias.* IMPATIENTER aduerbium non Ciceronis aut ſcriptoris aequalis eſt, quibus *aegre*, *valde*, *maxime* in vſu fuit. Sed PLINIVS, *y) impatienter requiro*, dixit. Alibi: *z) amat, vt qui veriſſime; dolet, vt qui impatientiſſime.* QVINTILIANVS: *a) nulli liberi impatientius deſideran-*

i) Inſtit orator. l. 10. c. 1.
k) Satyr. c. 102.
l) Epiſt. 116.
m) Lib. 1. cap. 2.
n) Lib. 2. c. 4.
o) Lib. 4. c. 3.
p) Hiſt. natur. l. 23. c. 7. et l. 27. c. 12. *aliquatenus rubentibus.*
q) Inſtit orat. l. 11. c. 3.
r) De orbis ſitu prooemio.
s) Lib. 1. c. 4.
t) Inſtit. orator. l. 4. c. 3.
v) Neron. c. 7.
x) Praefat. de inſitione.
y) Lib. 2. epiſt. 7.
z) Lib. 9. epiſt. 22.
a) Declam. 11. extr.

deriantur, quam qui propter patrem videntur occiſi. Ex antiquiori aduerbio *recens* effecerunt praeter neceſſitatem RECENTER. APICIVS, *b*) *oliuas de arbore recenter ſublatas*, dixit. PALLADIVS: *c*) *claudantur turdi recenter capti miſtis aliquibus ante nutritis.* Idem *d*) de pomis priuisque *recenter lecta* fuiſſe dicit. PLINIVS: *e*) *quam recentiſſime ſtercorato ſolo.* Attamen ex vſu veterum BEDA :*f*) *recens feci, dicimus, non recenter, vtentes nomine pro aduerbio.* Quod CICERO *g*) *ſpeciatim*, cui contrarium eſt *generatim*, SPECIALITER fecerunt. COLVMELLA: *h*) *hactenus de cura eligendi malleoli generatim praecepimus: nunc illud proprie ſpecialiter* etc. CORN. CELSVS: *i*) *ſpecialiter ſic vocatur.* Ita QVINTILIANVS, *k*) PALLADIVS, *l*) et plures alii. *Tantummodo* omnium ſuperioris aetatis ſcriptorum eſt: SOLVMMODO nunc tandem reperitur apud PLINIVM: *m*) qui, *non aere*, inquit, *captus nec arte, vnam ſolummodo Zenonis ſtatuam Cypria in expeditione non vendidit Cato.* ADDVCTIVS *regnare*, pro ſeuerius aut ſtrictius, apud TACITVM *n*) reperies. ASCONIVS PEDIANVS primus fortaſſis hoc ſeculo ex antiquis aduerbium NEOTERICE vſurpauit. OBITER, praeter propoſitum, ac velut agendo aliud, hoc ſeculo natum videtur eſſe aduerbium, veteribus inſolens. PETRONIVS *obiter cantare*;

b) De re culinari l. 1. c. 1. *c*) Lib. 1. c. 16.
d) Lib. 5. c. 4. et lib. 12. c. 6. *e*) Hiſt. nat. l. 18. c. 23.
f) De orthographia apud Putſchium pag. 2344.
g) Orat. poſt reditum in ſenatu c. 20. *h*) Lib. 3. c. 9. extr.
i) Lib. 5. c. 24. extr. *k*) Inſt. orat. l. 16. c. 1. paſſim.
l) Lib. 2. c. 19. *m*) Hiſt. natur. l. 34. c. 8. ſub fin.
n) Hiſtor. l. 3. c. 7. n. 2. German. c. 43.

Digitized by Google

tare; o) et *obiter per rimam foris ſpeculari* dixit. *p*) PLINIVS: *q*) *vt obiter caueam iſtos Homeromaſtigas.* Alibi forſan et alio ſenſu: *r*) *maior pars Italiae vtitur rotis, quas aqua verſet obiter, et molat. s*) Perperam aduerbiis ſufficientibus, vt ſtilo tanto magis luxuriare viderentur, alias addebant particulas. *Simul* v. gr. vbique ſufficiens et elegans reperies apud veteres: nunc INSIMVL obtinuit. FLORVS *t*) *ſi pariter atque inſimul vniuerſam magnitudinem eius oſtendero.* Alibi: *v*) *tota inſimul regna veniebant.* STATIVS: *x*) *Et gentes alis inſimul togatas.* De vſu particularum nouimus, veteres valde ſollicitos fuiſſe, et elegantiae quam maxime ſtudioſos. In dubia quaeſtione duplicata, nunquam, vt hac deteriori aetate peruulgatum, *an -- an* poſuere, verum prius per *num*, vel *vtrum*, vel encliticum *ne* exprimebant. *y*) TERENTIVS: *z*) *vide, vtrum vis argentum accipere, an cauſſam meditari tuam.* CICERO: *a*) *id vtrum more Romano locutus ſit, an quomodo Stoici dicunt, poſtea videro.* Sed hac aetate CVRTIVS: *b*) *an ad conſolandum — an ad incitandum.* PLINIVS CAECILIVS: *c*) *conſultant, an*

Zz zz 3 *intra*

o) Satyr. c. 31. *p*) Satyr. c. 52.

q) Hiſt. natur. praefat. *r*) Lib. 18. c. 10. Vid. etiam SENECA de ira l. 3. c. 1. et IVVENALIS ſatyr. 3. v. 241.

s) Confer. CELLARIVS cur. poſter. pag. 71.

t) Praefat. *v*) Lib. 2. cap. vlt.

x) Lib. 1. ſilu 6. v. 36.

y) Tripartita dubitatione primo loco *num*, *vtrum*, vel *ne* encliticum, poſteriori vtroque loco *an -- an* ponebant.

z) Adelph. A. 2. S. 1. v. 41.

a) Ad famil. l. 7. ep. 16.

b) Lib. 8. c. 6. n. 25.

c) Lib. 6. epiſt. 16. n. 15.

intra tecta ſubſiſtant, an in aperto vagentur. Rurſum: *d) diſcere velim, an ſententias diuidi, an iri in ſingulas, oportuerit.* Alibi: *e) te conſulerem, an reddendum eum poenae ſuae, an grauius aliquid* etc. Aliquando particulis otioſis genio Latinae linguae derogabant, ſuamque maculabant orationem. Sic verbi gratia aduerbium ſimilitudinis CEV, quod poetis, quam oratoribus magis familiare, et nihil aliud, quam *velut*, *quaſi* etc. ſignificat, locum non poteſt habere in hac dictione, quae germaniſmum et puerilem elegantiae affectationem ſapit: *rogo te ceu praeſtantiſſimum virum.* Ceteri parcius, haud raro PLINIVS *f)* pro *quaſi* hac particula vtitur.

§. XX.

Dictiones, teſte QVINTILIANO *g)* variant ab vſu temporum ſuperiorum, quibus virilis obtinuit linguae robur; atque in peius ita quotidie ruebant iam tum illius aetate: vt quicquid ſunt locuti, ſi cum antiquo ſermone componatur, figuram, praetereaque nihil, habeant priſtinae conſuetudinis. Sic, eodem teſte, *h)* dicebant tunc HVIC REI INVIDERE, non vt omnes et Cicero praecipue *hanc rem.* Dicebant INCVMBERE ILLI, non *in illum.* Dicebant PLENVM VINO, non *vini.* Dicebant HVIC, non *hunc adulari.* In vſu iam tum eſſe coepit VERSARI CIRCA REM ALIQVAM. Ita SENECA: *i) circa aliquam verſantur materiam.* SVETONIVS: *k) circa*

d) Lib. 8. epiſt. 14. n. 24.
e) Lib. 10. ep. 64. n. 5.
f) Praefat. l. 7. c. 55. l. 8. c. 16. et l. 9. c. 7.
g) Inſtit. orat. l. 9. c. 3.
h) Loco citato. *i)* Ad Marciam c. 19.
k) De Grammat. c. 8.

Digitized by Google

circa ſcenam verſatus eſt. Et ipſe QVINTILIANVS: *l*) *quidam circa res omnes, quidam circa ciuiles modo verſari rhetoricen putauerunt.* At CICERO nunquam aliter, quam *in re aliqua verſari*, dixit. *Opifices*, inquit, *m*) *omnes in ſordida arte verſantur.* Alibi: *n*) *Seruius tuus in omnibus ingenuis artibus ita verſatur, vt excellat.* Pari modo, *in ſtudiis optimis verſari*; *o*) et *verſor in medio iure publico. p*) Veterum conſuetudo dicendi, *quod ad popularem rationem attinet*; *q*) *quod ad abſtinentiam attinet*; *r*) et ſimilia, non patiuntur praepoſitionem *ad* abeſſe: vt dicere liceat, QVOD ME ATTINET, pro *quod ad me attinet.* VALERIVS MAX. *s*) tamen, *in his*, ſcribit, *quae cuſtodiam religionis attinent* etc. Si vera eſt lectio, de qua multi dubitarunt. *t*) Et alios caſus, quam optimo Latinitatis ſeculo, verbis apposuere. Sic omnes dixere: EGREDI *vrbe*, *domo*, *caſtris*, vel *ex vrbe* etc. TERENTIVS *v*) *nos noſtro officio nihil egreſſos eſſe.* Hac vero aetate, quartum caſum promiſcue cum hoc verbo componere non verebantur. PLINIVS: *x*) *egreſſi tecta conſiſtimus.* Alibi: *y*) *nec hiſtoria debet egredi*

l) Inſtit. orat. l. 2. c. 15.

m) De officiis l. 1. c. 42.

n) Ad famil. l. 4. epiſt. 3.

o) Lib. 6. epiſt. 11. *p*) Orat. pro domo cap. 13.

q) Apud CICER. l. 1. ad famil. epiſt. 2.

r) Apud eundem l. 5. ad Attic. epiſt. 17.

s) Lib. 1. cap. 1. exempl. 14.

t) Confer. CELLARII curae poſteriores pag. 195.

v) Pharm. A. 4. S. 5. v. 10. Heaut. 1. 2. 8. *e naui egredientem adduxi.*

x) Lib. 6. epiſt. 20. n. 8.

y) Lib. 7. epiſt. 33. n. 10.

di veritatem. TACITVS: *z*) *tecta altitudinem moenium egreſſa.* ADIPISCOR vbi cum genitiuo conſtructum vides, ellipſin ſtatuas: vt apud TACITVM *a*) *dum dominationis adipiſceretur.* ADVERSOR idem *b*) poſuit cum accuſandi caſu: *ambitionem facile aduerſeris.* Pauciſſimorum et PETRONII idiotiſmus eſt BENEDICERE *aliquem.* IVBEO cum tertio caſu Q. CVRTIVS *c*) et C. TACITVS *d*) conſtruxerunt: quod quidem PERIZONIVS et SANCTIVS *e*) tanquam maxime Latinum defendunt. Dictionibus peccarunt varie. Et breui mutatione, dici non poteſt, quantum dignitati et elegantiae prioris ſeculi detractum fuerit. Ex. gr. Ciceronianum eſt, *acceptum referre*; deterioris ſeculi, ACCEPTVM FERRE. Ita VALER. MAXIMVS: *f*) *futurum, vt ſpiritum poenae impenderent, quem pugnae acceptum ferre dubitaſſent.* SENECA: *g*) *philoſophiae acceptum fero, quod ſurrexi, quod conualui.* PLINIVS: *h*) *huic* fortunae *omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta.* Nec proprietatem verborum ſatis religioſe cuſtodiebant: vnde non potuere non varie in dictionibus impingere. Ex. gr. *obniti* nouimus idem ſignificare, quod obluctari, contra niti: hinc *obnixus*, qui reſiſtit, vel aduerſatur. VIRGILIVS *i*) inde, *ſtant*, inquit, *obnixa omnia contra.* Et

z) Hiſt. l. 3. c. 30. n. 4. vid. etiam CVRTIVS l. 9. c. 6. n. 20.
a) Annal. l. 6. *b*) Annal. l. 1.
c) Lib. 5. c. 6. n. 8.
d) Annal. l. 13. c. 15. et 40.
e) Mineraa l. 2. c. 4. p. 125.
f) Lib. 2. cap. 7. extern. 2.
g) Epiſt. 78. *h*) Hiſt. natur. l. 2. c. 7. Vid. etiam Iunior PLINIVS l. 2. epiſt. 4. *i*) Aeneid. l. 10. v. 359.

Digitized by Google

Et TERENTIVS: *k) manibus pedibusque obnixe omnia facere.* Alles mit der gröſſen Widerſpenſtigkeit thun. Huius tamen aeui ſcriptores, contra vſum et vocis ſignificationem, OBNIXE dixerunt ROGARE, heftig / oder inſtändig bitten. SENECA *l*) certe, *cum te*, ſcribit, *tam obnixe rogo, vt ſtudeas, meum negotium ago.* Sed elegantius CICERO, vehementer, etiam atque etiam rogo, maiorem in modum a te peto, magnopere contendo, et ſimilia dixit. POENITENTIAM AGERE ſine addito rei, cuius poeniteat, genitiuo, etiam hoc ſeculo inſolens videretur et inaudita locutio. Veteribus *poenitere* ſufficiebat. VALERIVS MAXIMVS *m*) tamen: *virtutibus effecit, ne haec ciuitas poenitentiam ageret, quod regem a finitimis potius mutuata eſſet, quam de ſuis legiſſet.* Alibi: *n*) *vtrum eorum feciſſet, acturum poenitentiam.* Notionem eccleſiaſtici poſt ea tempora addiderunt aliam, vt ſignificaret reſipiſcere, ad frugem redire, vitia virtutibus emendare, quae prorſus a Latina conſuetudine abhorret.

§. XXI.

Eloquentia huius aeui non vno modo corrupta erat. Sed plurimi peccabant eo, quod praecipuam orationis virtutem ponerent in ſententiarum argutiis, quibus virile orationis robur prorſus eneruari videbatur, et

k) Andr. A. 1. S. 1. v. 134.

l) Epiſt. 35. init. *m*) Lib. 3. cap. 4. exempl. 2. de Tarquinio Priſco.

n) Lib. 7. cap. 2, exterm 1.

et naturalis pulchritudo in fucum atque nugas degenerare. Inde FABIVS: *o*) *plerique nouorum omnium operum ſolam virtutem ſententias putauerunt.* Alibi: *p*) *conſuetudo iam tenuit vt mente concepta ſenſus vocaremus: lumina autem, praecipueque in clauſulis poſita ſententias: quae minus crebrae apud antiquos, noſtris temporibus modo carent.* Poſtea: *nunc illud volunt, vt omnis locus, omnis ſenſus, in fine ſermonis feriat aurem.* Huiuſmodi ſententias plurimum adamauit ac ſectatus eſt Seneca, Valerius Maximus, Florus atque alii. Abripiebantur plurimi a deprauata declamatorum dicendi conſuetudine: qui multum deſciuerunt a natiua et infucata illa ſermonis Latini caſtitate; quae in Tulliani et Auguſtei ſeculi ſcriptoribus effulget. Concinnis et calamiſtris dictionibus gaudere incipiebant, ac oratione declamatoria vti. Conciſis et abruptis ſententiis, atque adeo perpetuis acuminum argutiis obſcuriora ſua reddebat dicta; vel etiam crebrius audaciusne, quae non capiebant, interpolare videbantur. Subſiſtit vero omnis ſententia, ideoque poſt eam vtique aliud eſt initium. Vnde ſoluta fere oratio, et e ſingulis non membris, ſed fruſtis collata, ſtructura caret, cum illa rotunda, et vndique circumciſa inſiſtere inuicem nequeant. *q*) Ex quibus patet, haud ab re C. Caligulam ſcripta Senecae arenam ſine calce

o) Inſtit. orat. lib. 1. *p*) Lib. 8. Dictiones argutas hoc ſeculo ab oratoribus et poetis Latinis in deliciis haberi coepiſſe; et has Sirenes in Latinam linguam Hiſpanos potiſſimum intuliſſe; DAN. GEORG. MORHOFIVS docet de Patauinitate Liuiana cap. 9. Diſſertationum academic. pag. 548. ſeqq.

q) FABIVS inſt. orat. l. 8. c. 5.

calce dixiſſe. *r*) Hac enim ratione, vt plerique hac aetate ſcriptores, Seneca vſus eſt, vt vniuerſa propemodum oratio ex ſententiis conſtaret: certe vix vlla periodus ſine dicto aliquo acuto finiretur. Declamatores et κακόζηλοι in argutiis et ventoſis acuminibus ſuis ſibi admodum placebant, atque toti fere in illis captandis erant. Quo audacius ineptiusue commenti ſunt aliquid, quod non populariter dictum, tanto magis ſibi gratulari non verebantur: neque paucos ſuorum portentorum admiratores inueniebant: vt ſeculum erat, quod magis magisque priſtinam orationis caſtitatem negligere, ſuisque viribus deſtitui, vel a iuuenta et maximo ſuo flore ad ſenectutis vitia prolabi, fata iniquiora voluere.

§. XXII.

Quotus vero quiſque eorum euphoniae ſtudioſus, vt in oratione et ſingulis vocibus hiatum miſeramque vocalium colliſionem euitaret? CICERO *s*) *In diuiſione* FORMAE *ſunt, quas Graeci ἰδίας vocant: noſtri, ſi qui haec forte tractant,* SPECIES *appellant: non peſſime id quidem, ſed inutiliter ad mutandos caſus in dicendo. Nolim enim, ne ſi Latine quidem dici poſſit,* SPECIERVM *et* SPECIEBVS *dicere: et ſaepe his caſibus vtendum eſt: at* FORMIS *et* FORMARVM *velim.* Inde quidam *ſpecies* non Latine dici arbitrantur. Immerito: et Ciceronis mentem non recte capiunt. Ille ipſe: *t*) *hanc*, inquit,

Aaa aa 2

r) SVETONIVS in vita Caligulae cap. 54.
s) Topic. cap. 7.
t) Acad. quaeſt. l. 1. c. 8.

quit, *illi* IDEAM *appellabant iam a Platone ita appellatam, nos recte* SPECIEM *poſſumus dicere.* Hoc, ſi quid video, docere voluit: vocem quidem Latinam eſſe *ſpeciem*, quae aliis caſibus etiam recte poſſit adhiberi, nominandi videlicet *ſpecies*, et auferendi *ſpecie*; aliis vero terminationibus *ſpeciei*, *ſpecierum*, *ſpeciebus*, ingrato vocalium concurſu, flumen orationis impediri, et ſermonis Romani elegantiam miſere affici: vt eius vocabuli loco *formis* et *formarum* ſimilia vſurpare mallet. Non laudamus tamen, nec is laudat, inanem in vocabulis iactantiam, et affectatam in ſchematibus elegantiam: quam huius ſeculi ſcriptores aliquot magis videntur eſſe nec ſine ſuperſtitione ſecuti. Pigmentorum flores atque colorem Catonis aetate nondum inuentos, ex Cicerone docuimus in eo libro, qui de adoleſcentia Latinae linguae ſcriptus eſt: *v*) vnde etiam patet in hoc genere Galbam aliquid praeſtitiſſe. *x*) De vſu figurarum ipſe TVLLIVS conſulendus eſt. *y*) Huic ſtudio excolendo ſophiſtae ac declamatores Graeci maxime dediti fuerunt, atque in his praecipue Gorgias, vt ex Diadoro Siculo et Cicerone conſtat. Is cum applauſu totius Graeciae primus dictionis figuras orationi ſtudio immiſcuit: quem facto agmine ceteri ſophiſtae omnes ſecuti ſunt, et eo impetu hanc orationis concinnitatem affectarunt: vt inepte nonnunquam ſonos verborum tantum, ſenſibus caſſos, captarent; vt grande tamen aliquid dixiſſe

v) Pag. 188. fin.
x) L. c. pag. 191. princ.
y) Bruto cap. 79. fin.

xiſſe viderentur. Exempla nobis SENECA rhetor *z*) et AVLVS GELLIVS *a*) exhibent, ac digno exagitant cachinno.

§. XXIII.

Quod ad linguae Latinae characteres attinet, de quibus in virili eius aetate locuti ſumus: *b*) dictionem affectabant ſublimem: quam cum aſſequi non poſſent, orationis efformarunt ideam, non vere grandem, ſed vaegrandem, i. e. tumidam, ac ſpecie ſublimitatis falſa blandientem. Quoniam enim facultatis dicendi apex eſt magniloquentia, in ligata et in proſa oratione: multi hac decreſcente L. L. aetate, qui magnarum virium ſibi non erant conſcii, inepta quadam auiditate gloriolae, characterem iſtum fruſtra tentarunt. Hinc PERSIVS: *c*)

> *Scribimus incluſi, numeros ille, hic pede liber,*
> *Grande aliquid, quod pulmo animae praelargus anhelet.*

z) Controu. 19, et 25.

a) Noct. Attic. l. 11. c. 13. E recentioribus de ſophiſtis illis frigidarum elegantiarum captatoribus CRESOLLIVS, in theatro rhet. lib. 3. c. 24. 25. 26. prolixe et docte [illegible]: omniaque diſtincte explanat, in quibus illa ſophiſtarum ſolertia conſtiterit.

b) Part. 2. cap. 7.

c) Satyr. 1. v. 13.

Rurſum: *d*)

Siue opus in mores, in luxum, in prandia regum
Dicere, res grandes noſtro dat muſa poetae.

Et PETRONIVS quoque *e*) in eloquentiae ſtudioſis *rerum tumores et ſententiarum vaniſſimum ſtrepitum* reprehendit. Profecto cum multa ſint orationis vitia, quae cum dedecore admittuntur ſaepe, nullum tamen hoc familiarius eſt illis, qui a ſana et ſecundum naturam enunciata ſemel diſceſſerunt. In ea eruditionis iactantia, quaelibet linguae ſuae vitia admittebant: inuſitata putide in vſum reuocabant: ac duriores poetarum translationes, quae vix ipſis poetis ſunt permiſſa, impune imitari et vbiuis vſurpare putabant ſibi licere. Vtrumque errorem QVINTILIANVS *f*) paſſim reprehendit et inter alia, *quid*, inquit, *quod nihil tam proprium placet, dum parum creditur diſertum, quod et alius dixiſſet? a corruptiſſimo quoque poetarum figuras ſeu translationes mutuamur: tum demum ingenioſi ſcilicet, ſi ad intelligendos nos opus ſit ingenio.* Ex eo PERSIVS *g*) intelligitur, vbi

Eſt nunc, inquit, *Briſei quem venoſus liber Acci,*
Sunt quos Pacuuiusque, et verrucoſa moretur
Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta.

Vlti-

d) L. c. verſ. 67.
e) Satyr. fragm.
f) Inſtit. orat. lib. 8. prooemio.
g) Satyr. 1. v. 76. ſeqq.

Vltima verba ſunt Pacuuii, poetae antiquiſſimi, cuius primum ridet metaphoram duram et ineptam in verbo *fulcire aerumnis*, quod poſuit pro vndique cingi et opprimi. Deinde non quadrat ſententiae vox *luctificabile*, quae manifeſtam prae ſe fert ſoni grandioris affectationem: cuiuſmodi ſunt eius formae omnia: quibus, non quidem vitioſe, olim Virgilius carmini ſuo maieſtatem conciliare viſus eſt. Vnde *lacrumabile bellum*, *ineluctabile fatum*, *illac tabile murmur*. Sed in iſtis vocibus veteres Latinos religioſiores fuiſſe, ipſe TVLLIVS *h*) exemplo ſuo docet, qui cum *καταληπτὸν comprehenſibile* vertiſſet, quaſi aliquid magni fuiſſet auſus, continuo ſubiungit, ſi verbum iſtud, quaſi nouum fictumque, ferre velint.

§. XXIV.

Extra omnem quidem dubitationis aleam, tutius, quoad licet, ſuperioris ſeculi, quo virilis linguae vigor erat, longe elegantiſſimi ſcriptores adimus, atque iucundius ex ipſis defoccatiſſimae Latinitatis fontibus voces dictionesque haurimus. Veruntamen cum adhuc ſatis elegans et vrbanus ex fontium iſtorum riuulis puris limpidisque manaret ſermo: in bonas literas iniurii ſunt, qui ex ſola virili ac ſtabili aetate, vel etiam ex ſolis Tullii ſcriptis, Latinae linguae terminos metiuntur; contra quae in illis non ſunt obuia, velut barbara et inepta reiiciunt. Ex illa aetate perpauca literatiſſimorum et ſacrorum ſuae linguae tutorum monumenta ad nos peruenerunt: ex quibus ſi vellemus de vniuerſa Latinitate iudicare, eam valde ieiunam et elin-

h) Academ. quaeſt. lib. I. cap. II.

linguem, nedum ad quaelibet exprimenda ſufficientem haberemus. Nunc vero ex vtriuſque aetatis ſcriptoribus longe maior nobis ſuppeditatur copia: vt quae in Ciceronis et aequalium operibus non exſtant, ex Seneca, Fabio, Velleio, Plinio, Celſo aut alio eius generis quopiam ſupplere liceat: ac ea lingua, quae poſt triſtia fata orbis tandem literati vernacula facta eſt, nobis commodior atque ſufficiens ad pleraque animi ſenſa cum aliis communicanda poſſit arridere. Cum vero etiam ſatis conſtet, ſingulis ſcriptoribus ſuos idiotiſmos eſſe, et peculiares quaſdam dicendi rationes: ab illis nobis cauere debemus, et optimam ſequi antiquiorum conſuetudinem. Quae Cicero, Caeſar et aequales habent; praeferenda ſunt omnino ſeneſcentis huius aeui ſcriptoribus; qui ſubuenire nobis debent, et compenſare, quae in ſcriptis illorum interiere; vel etiam, vt fieri ſolet ſucceſſu temporum, noua verba, non minus eleganter tamen et communi ſuffragio populi Latini facta, ſuppeditare. Sed quae ab vſu linguae abhorrent, licet ab optimis auctoribus ſemel iterumque dicta, nobis ad vſum crebriorem proferre non licet; nedum in deliciis aut ſtili Romani elegantiis habere: quod inſignem ignorantiam et affectationis turpe vitium prodit.

F I N I S.

INDEX

Digitized by Google

)o(

INDEX

RERVM ATQVE VERBORVM.

Abnoctare 711.
Abſtractorum vſus 694.
Acceptum ferre 736.
Acquiſitio 717.
Acronis ſcholia 111.
Adductius 732.
Adhuc 729.
Adipiſcor 736.
Adoptatio 436.
Adrianus imperator literarum fautor. 281.
-- -- -- medicorum accuſat copiam. 624.
Aduerſitas 718.
Aduerſor 736.
Aduerſus pro erga 666.
Adulari alicui et aliquem 17.734.
Adulatio Latinam linguam corrupit. 694.
Adulatores paraſitantes 27. ſeq.
Adunare 725.
Aduocatio 708.
Aduocatus 707.
Aediles curules 446.
Aegritudo 707.
Aelius Saturninus 253.
-- -- Verus imperator 220.
Aemilius Scaurus orator. 253.404.
Aemulatus 713.
Aeolicum digamma 50.
Aeque quam pro aeque atque 666.
Aeſerninus Orator. 402.
Aetas Latinae linguae aurea. 35.
-- -- adulta 3.
-- -- inclinans atque decreſcens ibid.
Aetates L. L. an determinandae 5.
-- -- eaedem atque hominum 6.
Affectatio ſublimitatis 741.
Afrania 416. ſeqq.
-- -- Licinii vxor. 418.
Agamemnon tragoedia 143.
Agricola (Iulius) 61.
Albamen 683.
Alea ludendi artem Caeſar Claudius deſcripſit. 49.
Aliquatenus 730.
Alphius Auitus 253.
-- -- Flauus 253. 391.
Amaeſia Sentia 418.
Amanuenſes 713.
Amare pro ſolere 699.
Amiſſa vocabula 704.
Amoenitates ſtudiorum 551.
Amplitudo Latinae linguae 2.
-- -- ipſimet ſibi grauis 35.
Amylatum 682.
An particula 733.
Analogia 699.
Analogiae abuſus 17.
Anethatum 682.
Annaeus Cornutus 100.189. 310. 257.

Noua-

-- -- Nouatus 407.
-- -- Statius medicus 655.
Antiochia terrae motu concuſſa 68.
Antiquata cum reuocarentur, ſermonem Romanum corruperunt 702. ſeq.
Antiſigma 52.
Antiſtius Labeo 447.
-- -- Soſianus 261.
Antoninus Pius imperator literarum fautor 37.
Antonius (Marcus) 7.
-- -- Muſa medicus 319.
-- -- Natalis 30.
Apelles tragoedus 29.
Apicia pacentarum genera 682.
Apiciana coctura 681.
-- -- *condimenda* ibid.
Apiciae uuae ibid.
Apicium vinum ibid.
Apicii tres 672. ſeqq.
Apicii liber de re culinari ibid.
-- -- ſtilus 682. ſeqq.
-- -- editiones 684. ſeq.
Apiſci pro adipiſci 703.
Apodermum 682.
Apollinaris tragoedus 58.
-- -- poeta 271.
Apollo Temen 39.
Apollodorei rhetores 330. ſeqq.
Apollodorus Pergamenus 330. ſeq.
Apologare 700.
Apophragiſma 437.
Appellationes Latinae 34.
Apſis 438.
Apuleius Celſus 627.
Archetypus 438.
Argentaria (Polla) Lucani poetae coniux 119. ſeq. 247.
Argentarius 391.
Argentea Latinae linguae aetas 3.35.
Argonautica 178. ſeq.
Arria Paeti coniux 105.
Artem venalem habere 27.
Artes Marti ſuccumbunt. 31.
Artifices Veſpaſianus coemit. 37.
Artium honos vehiculum 13.
Arulenus ruſticus 62.
Aruntius Stella 266.
Aſconius Pedianus 315. ſeqq.
Aſellius Sabinus 53.
Aſilum 704.
Aſinius Gallus 284. 392.
Aſſentationis vitium 27.
Athenienſes linguae ſuae curioſi 279. ſeq.
Attalus Stoicus 641.
Atteius Capito 43. 302. 447.
Attinet me 735.
Attius Labeo 260.
Aucella 682.
Auctitare 726.
Auctor 695.
Auctores Latinae linguae, eius aetate ſeneſcente 35. ſeqq.
Audentia 437. 713.
Augurum collegia bibliothecis ornata 40.
Auguſti 695.
Auguſti in artibus fouendis aſtutia 25.
Auguſti ſtudium propagandae Latinae linguae 2.
-- -- eloquentia 390.

-- -- obi-

-- -- obitus 3.
-- -- ſuceſſor 42.
Auguſtus Tiberium adoptauit 12.
-- -- imagines illuſtrium virorum ſeruauit 387.
-- -- eloquentiae ſtudioſus 5.
Auicella 682.
Auitus 253.
Auocamentum 437.
Aurea L. L. aetas 35.
Auus 709.

B

Bacchus poeta 268.
Baleuta 438.
Barbaries a peregrinis 32. 35.
Barbarici ſoni verba 33.
Barbariſmus 699.
Baſſus poeta 24. 37. 58.
-- -- Caeſius 259.
-- -- Saleius 261.
-- -- orator 396.
Bella Muſis aduerſa 31.
Bellatorius 437.
Belli virtus 2.
Benedicere 736.
Res 437.
Beza (Theod.) 121.
Biberius Tiberius 10.
Bibliotheca noui templi a Tiberio Romae inſtituta 39.
-- -- pacis a Veſpaſiano exſtructa 39.
-- -- Vlpia templi Traiani 39.
-- -- Capitolina ibid.
-- -- ſacra 40.
-- -- Epaphroditi 40.
-- -- Martialis 41.
-- -- Palatina 285.
-- -- Herennii Seueri 41.
-- -- Herodis Attici ibid.
Bibliothecae 38. ſeqq.
-- -- Romanae 40.
-- -- priuatae 40.
-- -- Domitiani 61.
Breſus Pedius 22.
Breuiarium 17. 716.
Britanni 26.
Brutianus (Luſtricus) poeta 268
Bule 438.
Burrhus Neroni praefectus 644.

C

Caeſar (Iul.) multos ciuitate donauit 32.
Caeſares 695.
Caeſennia Gaetulici coniux 254.
Caeſius Baſſus 259.
Caeſonius Priſcus 10.
Caius Caligula vid. *Caligula*.
Caius Piſo 30.
Caldius Claudius 10.
Calenus Sulpitiae coniux 247.
Caligula Caeſar 29. 642.
-- -- hominis monſtrum 29.
Caligulae vitia 10. 13
-- -- in literas merita 45. ſeq.
-- -- ſtudia ibid.
-- -- eloquentia 188.
Calpurnia 247.
-- -- Plinii iunioris coniux 415.
Canius Rufus poeta 269.
Canum mare 437.
Capitaliter ibid.
Capito (Atteius) grammaticus 43. 302. 447.

Capitolina bibliotheca 39.
Caprineus 697.
Carſania 4·6. ſeq.
Carnarius 709.
Caſeum molle 257.
Caſſius Longinus 30. 461.
-- -- Seuerus 302.
Caſtitas Latinae linguae 32.
Cauſſae corruptae Latinitatis 9. ſeqq.
Cauſſidici 24.
Celſus Aelianus 627.
-- -- Albinouanus ibid.
-- -- Apuleius ibid.
-- -- (Cornel.) 337.
Celſi (Cornelii) vita 624. ſeqq.
-- -- ſcripta 628. ſeqq.
-- -- merita 631. 633.
-- -- cenſores 632. ſeqq.
-- -- ſtilus 634. ſeq.
-- -- editiones 635. ſeq.
Celſus (Iulius) 627.
-- -- Iuuentius 466.
-- -- Epicureus 627.
-- -- Iureconſultus 627
Cenſura librorum 22.
Cerdones Chriſtiani vocati 60.
Cernere pro decernere 704.
Ceſtius 253.
-- -- Pius 333.
Ceu particula 734.
Chalcenterus criticus 284.
Charaxare 682.
Chartarum genera 305.
Chriſtianorum hoſtis Domitianus 60.
-- -- perſecutiones 30.
-- -- ſacris an Seneca initiatus 650.
Ciceronis diuinatio 6.
-- -- imitator Silius Italicus 186.
Cincius Martialis 218.
Ciuitas Romana peregrinis quampluribus donata 32.
Clamoſe 731.
Claudae naues 701.
Claudia Statii vxor 247.
Claudii Caeſaris in literas merita 47. ſeq.
-- -- Studia ibid.
-- -- ſcripta 48. ſeq.
-- -- eloquentia 388.
Claudius Caeſar aliquot nouas inuenit literas 50. 280.
-- -- Ciceronem defendit 284.
-- -- imperator crudelis 10.
-- -- nouum ſidus 514.
Clodius Turrinus 398.
Coaequales 715.
Cocceius Nerua ICtus 451. ſeq.
Codrus poeta 267.
Coeleſtia 694.
Coeleſtiſſima 694. 724.
Coelius Sabinus 463.
Collatrare 709.
Collegia Romanorum bibliothecis ornata 40.
Coloniae Romanorum 34.
Columbari 711.
Columbulus 437.
Columella 251. 337.
Columellae vita 685. ſeq.
-- -- merita ibid.
-- -- ſcripta 687.
Comae pro frondibus ac foliis 437.

Com-

Combuſtio 683.
Combuſtura ibid.
Cominius 254.
Comitatu pro comitatui 703.
Commanipularis 718.
Commeatu pro commeatui 703.
Comparationis gradus 724.
Compresbyter 551.
Conchicla 683.
Conciuis 551. 715.
Confiſcare 726.
Confluxu populi inquinatur lingua 31.
Conlepreſus 551.
Conſcientia 725.
Conſortium 712.
Conterraneus 551. 715. ſeq.
Conuerſari 715.
Conuerſatio 716.
Cordus (Cremutius) 29. 475.
Cornelia Gracchorum mater 247.
Cornelius Celſus imperator 627.
Cornelius Celſus vid. *Celſus.*
Cornelius Celſus rhetor 337.
Cornelius Gallus 396.
Cornelius Tacitus vid. *Tacitus.*
Cornificia poetria 247.
Cornificiis rhetor. 336.
Cornutus (Annaeus) 111. 257.
-- -- grammaticus 310.
-- -- hiſtoricus 314.
-- -- philoſophus 100. ſeq.
Cornuto Perſius bibliothecam legauit 40.
Corporalis 714.
Corrotundare 727.
Corruptio L. L. 3.
-- -- ex declamationibus 20.
Corruptae Latinitatis cauſſae 9. ſeqq.
Coruinus (Meſſala) 45.
Couinarius 718.
Craſſus (Lucius) 7.
Cremutius Cordus 29. 475.
Crepax 714.
Crucifigere 727.
Crudelitas Caeſarum doctos afflixit 28.
Cucuma 718.
Cucumulae ibid.
Culinaris lingua 693.
Cum pro *quam* ſuperlatis adiectum 666.
Cuminatum 682.
Curiatius Maternus 261.
Curtius Montanus 263.
Curtius (Quintus) qui fuerit 507. ſeqq.
-- -- antiquus ſcriptor. 511. ſeq.
Curtii vita 512. ſeqq.
-- -- ſcripta 515. ſeq.
-- -- ſtilus 516. ſeqq.
-- -- fides hiſtorica 519.
-- -- editiones 522. ſeqq.
Cuſtodes Latinae linguae 4.
Cuſto ditius 437.

D

Decebalus Daciae rex victus 64.
Declamationes 19. 326. ſeq.
Declamatorum vitia 19. ſeqq. 738.
Decollare 709. ſeq.
Decreta in orbe Romano dabantur omnia Latine 34.
Defectus remunerationis 11. ſeq.

Demetrius Athenas oppugnat 280.
-- -- Cynicus 623. 641.
Deorum templa bibliothecis ornata 40.
Depilare nuces 682.
Deus 697.
Deus vocatus Domitianus 60.
Dicendi libertas 21.
Dicentium ignorantia 18.
Didymus grammaticus 283. 284.
Dies faſti et nefaſti 443.
Diffugium 719.
Digamma Aeolicum 50.
Dignitas L. L. labefactata 35.
Dignitatum vocabula Latinam linguam corruperunt. 695.
Dimenſus paſſiue 437.
Diocletianae thermae 40.
Diodorus citharoedus 58.
Diſciplina 16.
Diu 367.
Diuina 694.
Diuinatio Ciceronis 6.
Dius pro die 367.
Dominationis ſtabiliendae artes 26.
Dominus 696. ſeq.
Dominus vocatur Domitianus 60.
Domitianus imperator ſaeuus 14. 29. 59.
-- -- poeta 264.
-- -- bibliothecas inſtaurauit 39. 61.
-- -- philoſophos urbe et Italia eiecit 621.
-- -- ſcripta Tiberii legit. 45.
Dormitorium 716. 724.
Duint pro dent. 703.

E

Egredi 735.
Elephantici libri 39.
Elephantidos libelli 228.
Eloquentia libertatem amat 27.
-- -- fracta 316. 382.
-- -- corrupta 737. ſeqq.
Eloquentiae defectus 7.
-- -- cuſtos Auguſtus 5.
-- -- Caligula fautor. 46.
-- -- maturitas 7.
-- -- ſtudium non ſuperficiarium 9. ſeqq.
-- -- magiſtri rari 17.
-- -- honor 387.
-- -- inimica bella 31.
Emblema 43. 701.
Emendatio librorum 22.
-- -- ſtili optimes commendata 4.
Ens 705.
Epaphraditi bibliotheca 40.
Epicurei 36.
-- -- philoſophi Roma exacti 621.
Epigrammata 221.
Epiſtolae Senecae 656. ſeqq.
Epitheta 724.
Eſſentia 278. 617. 705.
Eumenius rhetor 37.
Euodus poeta 261.
Euphonia 739. ſeq.
Euphorio poeta Graecus 38. 45.
Eutychus in Tiberiana aula 85. 86. 89.
Exacte 731.
Excaldatus 683.
Excedere remp. 701.
Exercitia oratoria 19. ſeq.

Ex-

Digitized by Google

Exfoliare 682.
Explantare 725.
Expromare 682.
Exſurdatus 723.
Exteri linguis inimici 32.
Extimere 726.

F

F. Claudii Caeſaris litera 50.
Fabianus (Flauius) philoſophus 617. 705.
Fabius Quintilianus vid. *Quintilianus.*
Fabii Quintiliani de corrupto Rom. ſermone querela 8. 17.
Fabulae ſtilum requirunt facilem et Placidum 93.
Facta fictaque ſermonis Latini vocabula 17. 704.
Famigeratus 722.
Famoſus 708.
Fanniana charta 305.
Farſilis 683.
Faſti dies 443.
-- -- libri ibid.
Faſtus principum Latinam linguam corrupit 695.
Fatum 15.
Fauinus (Remus) 305.
Fauorabiliter 731.
Fauſtus poeta 268.
Femininum 713.
Feſtum 711.
Fiblare 683.
Fictitium 720.
Fiſcus 708. 726.
Flaccus Perſii pater 100.
-- -- Pomponius 12.
-- -- Verrius 349.
-- -- Virginius rhetor 100.
Flauia gens 56.
Flauius Fabianus philoſophus 617, 705.
Flauus Alfius 253. 391.
Flori vita 595. ſeqq.
-- -- ſcripta 597. ſeq.
-- -- merita et ſtilus 599. ſeqq.
-- -- editiones 603. ſeqq.
Florus (Menſtrius) 58.
Foenebre 723.
Formulae iuris 444.
- - applaudentium 23
- - recitantium 24.
Fortuna incerta 15.
Frictilis 683.
Frigidarius 722.
Frontinus (Iulius) rhetor 608.
Frontini vita 605. ſeqq.
- - ſcripta 609. ſeq.
- - merita 611.
- - ſtilus 612.
- - editiones 610. 611. 613.
Fungor cum accuſatiuo 703.

G

Gabba ſcurra nobilis 681.
Gabinianus rhetor 335.
Gaddius notatur 608.
Gaditani ciuitate donati 33.
Gaetulicus 254.
Galba imperator 56.
- - eloquens 388.
Galenus medicus 615.
Galli ciuitate donati 33.
Gallio (Iunius) 407.
Gallus (Aſinius) 284. 392.

(Cor-

- - (Cornelius) 396.
- - Seſtius 12.
- - Vibius rhetor 330.
Gargilius Martialis 217.
Gauſapatus 723.
Gellius bibliothecam Tiberianam frequentauit 39.
Gener 709.
Genitiuus pro ablatiuo caſu, more Graecorum 698.
Genius L. L. deprauatus 3.
Geographia 532.
Germanicus 388.
Germanicus Domitianus cognominatus 61.
Gloria ad ſummum prouecta in deterius ruit. 35.
- - Latinae linguae labefactata ibid.
Graecis nonniſi Latine reſpondebatur in orbe Romano 34.
Graecis Tiberius abſtinuit, 43.
Graeciſmi 698.
Craeculi dicebantur paraſitantes adulatores 28.
Grammaticae dignitas et abuſus 282. ſeq.
- - quaeſtiones Tiberii futiles 44.
Grammatici 274. ſeqq.
Grammaticis conceſſa imunitas 38.
- - emolumenta alia 281.
Grandiſcapiae arbores 723.
Gratitudo 716.
Gutta 305.
Gyraldus notatur 235.

H

Hactenus 729.
Hadrianus literarum fautor 38. 281.
- - medicorum accuſat copiam 624.
Haterius orator 399.
Heluia Senecae coniux 339.
Hemitheonis Sybaritae libelli 228.
Hercules furens tragoedia 143.
- - Oetaeus tragoedia 145.
Herennius Senecio 62.
Herennii Seueri bibliotheca 41.
Hermagoras rhetor 332.
Hermogenes Tarſenſis 29. 476.
Herodis Attici bibliotheca 41.
Hetaeria 701.
Hetaerice ibid.
Hieratica charta 305.
Hippocrates 625.
Hippolytus tragoedia 141.
Hiſpani Romana ciuitate donati 33.
Hiſtorici 474. ſeqq.
Hiſtoricorum aſſentatio 27.
Homeri carmina a Caligula abolenda 45.
Hominum aetates variae 6.
Honos alit artes 12.
Hoofdius 582.
Horatii trigemini 212.
Horatius 243.
Hortenſia 418.
Hortenſius 388.
Hoſtilius 623.
Humanarum rerum viciſſitudo 15.
Hydrogaratum 682.
Hygini vita 285.
- - ſcripta 288. ſeqq.

Digitized by Google

-- -- ſtilus 297.
-- -- editiones 298. ſeqq.
Hyperbaton 418.

I

Iauolenus ICtus 272. 433. 467.
Idiotiſmi Latinae linguae ſeneſcentis 692. ſeqq.
Idolorum tabularia 40.
Ignatius Antiochenus epiſcopus martyr. 67.
Illaudatus 311.
Imagines 383.
Immaculatum 720.
Immunitas literatorum 38.
Impatienter 731.
Imprecari 715.
Imprecatio 716.
Improbus quis dicatur 87.
Imputare 710.
Incharaxare 682.
Incorporalis 714.
Incumbere alicui et in aliquid. 17. 734.
Indifferentia 712.
Indolentia ibid.
Indubius 722.
Indulgentia parentum 16.
Inenarrabilis 723.
Infiblare 683.
Infrunitus 723.
Ingenium 709.
Ingenii nutrix libertas 27.
Ingeniorum ſeges 35. ſeq.
Ingratitudo 716.
Inſcitia dicentium 18.
Inſimul 733.
Intelligibile 720.
Interim 730.
Inuidere rei et *rem* 17. 734.
Inuiſibile 720.
Irrationabilis 720.
Irrationalis ibid.
Iſiciatum 682.
Italica et Latina municipia 82.
Italici qui nominentur 186.
Iubere 736.
Iudaei rebelles 68.
Iuliae leges 285.
Iulius Baſſus 396.
Iulius Caeſar ex peregrinis multos ciuitate donauit 32.
Iulii Caeſaris ſtudium Latinae linguae propagandae 2.
Iulius Celſus 627.
Iulii Martialis bibliotheca 41.
Iunius Gallio 47.
Iunius Otho rhetor 329.
Iureconſulti 441. ſeqq.
Iureconſultorum inimicus Caligula 46.
Ius trium liberorum 212. 556. ſeq.
Iuſſo pro iuſſero 704.
Iuuenalis vita 238.
-- -- ſcripta 240. ſeq.
-- -- dictio ibid.
-- -- editiones 244. ſeq.
Iuuencus Martialis 218.
Iuuentius Celſus 466.
Iuuentutis Romanae ſtudia 8.
-- -- negligentia 16.

K

Küchen Latein 693.

Digitized by Google

L

Labeo poeta 260.
-- -- Antiſtius 447.
Lacticinium 682.
Lamiae vocantur nobiles 60.
Lapſalundum 723.
Largus Licinius grammaticus 284.
-- -- Scribonius medicus 637. ſeqq.
Latina et Italica municipia 32.
-- -- lingua Romae peragebantur omnia 34.
-- -- lingua longe lateque propagata 34.
-- -- honorata ibid
Latinae linguae amplitudo 2.
-- -- aetas perfecta ibid.
-- -- decreſcentis terminus 3.
-- -- eaedem, quae hominum aetates 6.
-- -- ſeneſcentis cauſſae 9. ſeqq.
-- -- caſtitas 32.
-- -- neceſſarium ſtudium 49.
Latinitas plebeia 693.
Latine reſpondendum in iudiciis 43.
Laudare armis 701.
Legationes Romanorum erant frequentes 34.
Leges in orbe Romano Latinae omnes 34.
-- -- XII. tabul. 443.
Lentulus Gaetulicus 254.
Libera bonarum artium ſtudia 43.
Liberalitas principum alit artes 22.
Libertas ingeniorum nutrix 27.
Liberti nomina ſua a dominis accipiebant 285.
Libri faſti 443.
Libri antequam ederentur aliis emendandi tradebantur 36.
-- -- lintei 39.
Librorum emendatio 22.
-- -- praelectio 36.
Licinianus poeta 269.
Licinius (Caius) conſul et hiſtoricus 287.
-- -- Proculus 453. ſeqq.
Ligata proſae orationi poſt ponenda 186.
Ligatura 717.
Limen belli pro initio belli 701.
Lingua Latina Romae peragebantur omnia 34.
-- -- longe lateque propagata ibid.
-- -- honorata ibid.
Linguae peſtis peregrinitas 31.
Linguarum inconſtantia 15.
Lintei libri 39.
Lipſius (Iuſtus) 582.
Liquaminatus porcellus 682.
Literas aliquot inuenit Claudius Caeſar 50.
Literarium otium 26.
Literarum exiguum pretium 16.
Liuius hiſtoricus 314.
-- -- a Caligula abolendus 46.
Locus 405.
Longinus (Caſſius) 30. 461.
Lucani poetae vita 116. ſeqq. 29. 30. 101.
-- -- coniux 119. ſeq.
-- -- ſcripta 122. ſeq.
-- -- merita 124. ſeq.
-- -- auctoritas 127. ſeq.

— ſti-

-- -- ſtilus 129. ſeqq.
-- -- editiones 131. ſeqq.
Lucilius 243.
Lurcabundus 705.
Lurcare 705.
Luſtricus Brutianus poeta 268.
Lutorius Priſcus 252.
Luxu pro luxui 703.
Luxus temporum 9. ſeq.
Luxus Latinam linguam corrupit 697.
Lychnobius 723.
Lyctio Epicurei philoſophi eiiciuntur 621.

M

Maecenates 12.
Magiſtri bonarum artium beneficiis ornati 281.
-- -- eloquentiae rari 17.
Maieſtas 697.
Malaciſare 701.
Mamercus Aemilius Scaurus 404.
Marcellus Aeſerninus orator 402.
-- -- Pomponius grammaticus 302. 43.
Marcipanes 682.
Maroneum templum 188.
Martem fugiunt muſae 31.
Martialis poeta 62. 87.
Martialis vita 210. ſeqq.
-- -- libri 218. ſeq.
-- -- merita 220. ſeq.
-- -- cenſores 222. ſeq.
-- -- laſciuia 226.
-- -- dictio 228. ſeq.
-- -- editiones 229. ſeqq.
Martialis illuſtratur 190.
-- -- Statio non fauet 199.
-- -- Domitiano Caeſari adulatur 199.
-- -- Lemouicenſium apoſtolus 218.
-- -- medicus ibid.
Martialis bibliotheca 41.
Martiales diuerſi 217. ſeqq.
Marullus rhetor 328.
Maſſurius Sabinus 448.
Mater familias 302.
Maternus (Curiatius) poeta 261.
Mathematici inuiſi 621. ſeq.
-- -- Roma pulſi 44.
Matrona 302.
Maurus (Terentianus) 234. ſeqq. 315.
Medea tragoedia 140.
Mediare 682.
Medici beneficiis ornati 281.
Medicina 623.
Medicis conceſſa immunitas 38.
Mediocritas noſtra 695
Mela 30.
Melae (Pomponii) vita 526. ſeqq
-- -- ſcripta 529. ſeqq.
-- -- merita 532. ſeqq.
-- -- ſtilus 534. ſeqq.
-- -- editiones 536. ſeqq.
Meliſſus grammaticus 283. 300. ſeq.
Meliſſi alii 301. ſeq.
Melizomum 682.
Memmius 164.
Memor. (Scaeua) poeta 265.
Menſtrius Florus 58.
Mero Nero 10.

Digitized by Google

Meſſala Coruinus 45.
Meſſalina 642.
Meſſenii philoſophos eiecerunt. 621.
Michael Verinus 223.
Milites non niſi Latine teſtari de aliqua re potuerunt 43.
Mneſterem pantomimum Caligula Caeſar inter ſpectacula oſculabatur 13.
Modeſtus grammaticus 287.
Moleſtare 727.
Mollities recitantium 23.
Monopolium 43. 701.
Montanus (Curtius) poeta 263.
-- -- Votienus orator 403.
Moriens libertas 701.
Moror 700.
Mortifere 437.
Municipia Romana ciuitate donata 32.
Muretus notatur 565.
Muſa rhetor 329.
Muſaeus 228.
Muſae pierides vocantur 82.
-- -- Martem fugiunt 31.
Muſis tempora Traiani Caeſaris iucunda 14.
Muſonius philoſophus 313. 623.

N

Narciſſus Claudio Caeſari ab epiſtolis 47.
Natalis (Antonius) 30.
Neſaſti dies 443.
Neoterice 732.
Nepotari 727.
Neronis in literas merita 53.
-- -- ſtudia 54.
-- -- ſcripta 55.
-- -- Iuuentus 644.
-- -- ſcelera 10. 13. 29. 30. 647.
-- -- ſtudium poeticum 10. 257.
-- -- eloquentia 388. 389.
Nerua (Cocceius) 451.
-- -- Imperator 63.
Neutrale 721.
Nicopolis in Bulgaria exſtructa 65.
Nimietas 718.
Noctu 368.
Noctus pro nox. 368.
Nominatiuus cum infinitiuo, more Graecorum 698.
Nouatus (Annaeus) 407.
Nutricium 714.

O

Obiraſcens 723.
Obiter 732.
Obnixe 737.
Obſoleta ſermonem Romanum corruperunt 702.
Obſtrigillare 727.
Occalatum 723.
Occidentalis 714.
Octauia tragoedia 145.
Oedipus tragoedia 141.
Omentatum 682.
Optimus Traianus imperator dictus eſt 67.
Opus habere 698
Oratio ad utilitatem, non ad oſtentationem, componenda 21.
Orationes principum 389. ſeq.
Orationis et vitae ſimilitudo 11.
Oratores 382. ſeqq.

-- ine-

-- -- inepti 21.
-- -- beneficiis ornati 281.
Oratores inter Caligula clarus 46.
Oratoriae artis ſtudium 389.
Oratoribus immunitas conceſſa 38.
Oratorum certamina 46.
-- -- aſſentatio 27.
-- -- perfectio 6.
-- -- defectus 20.
Orientalis 714.
Oſcus rhetor 329.
Oſtentatio recitantium 23. ſeq.
Otho imperator 56.
Othonis imperatoris eloquentia 388.
Otho (Iunius) rhetor 329.
Otium literarium 26.
Ouidium imitatur Phaedrus 91.
Ouidius notatur 284.

P

Pacatus rhetor 329.
Pacis ſapientia 2.
Paetus ab Arria coniuge ad necem excitatur 105.
Pagenſtecherus notatur 87. 92.
Palaemon grammaticus 100. 254. 303.
Palatina bibliotheca 285.
Palfurius Sura 29.
Palladius Rutilius 251.
Palladii vita 688. ſeq.
-- -- merita ibid.
-- -- ſcripta 689. ſeq.
Pallantes Claudio Caeſari ab rationibus 47.
Papinius Statius vid. *Statius*
Papirius Fabianus 641.
Papyri genera varia 305.
Paraſitantes adulatores 28.
Parentum negligentia 15.
-- -- indulgentia 16.
-- -- auaritia ibid.
Paridis pantomimi auctoritas 238.
Parthenius poeta Graecus 38. 45.
Particulae L. L. 728.
Particulo 89.
Particulonis patrocinio Phaedrus fruitur 85.
Paruitas mea 694.
Paſſienus Paulus 272.
Paterculus vid. *Velleius.*
Patroni cauſſa, quam oratione; excidere malunt 21.
Pauli S. Seruatoris apoſtoli ad Senecam epiſtolae 650. 657.
Paullina Senecae coniux 645.
Paulus (Paſſienus) poeta 272.
Pedianus (Aſconius) 315. ſeqq.
Pediani ſcripta 319. ſeq.
-- -- ſtilus 322.
-- -- editiones 323.
Pedius Blaeſus 22.
Pegaſus ICtus 464. ſeqq.
Peregrini ciuitate donati 32.
Peregrinitas 694.
-- -- inimica linguis 31. 35.
Perſius 312.
-- -- Cornuto bibliothecam ſuam legauit 40.
Perſii vita 100. ſeqq.
-- -- mores 103.
-- -- diuitiae ibid.
-- -- ingenium 104. 243.
-- -- ſcripta 104.

Digitized by Google

-- -- ſatyre 78. 106. ſeq.
-- -- merita 107. ſeq.
-- -- ſtilus 108. ſeq.
-- -- commentatores 110.
-- -- editiones 112. ſeqq.
Perdita vocabula 704.
Perniciabile 714.
Perſecutiones Chriſtianorum 30.
Pertangere 682.
Petronii vita 149. ſeqq.
-- -- ſatyricon 154. ſeqq.
-- -- laudes 163. ſeq.
-- -- nequitia 164. ſeqq.
-- -- ſtilus 168. ſeq.
-- -- editiones 171. ſeq.
Phaedri vita 80. ſeqq.
-- -- fabulae 88. ſeq.
-- -- calumniatores 89. ſeq. 94.
-- -- fiducia 90. ſeq.
-- -- fabularum vſus 92.
-- -- ſtilus 92. ſeq.
-- -- aetas 95.
-- -- editiones 96. ſeqq.
Phaedrus alius mimographus iocularius 87.
Philelphus notatur 370.
Philetus 89.
-- -- in Tiberiana aula 85.
Philoſophi 614. ſeqq.
-- -- beneficiis ornati 281.
-- -- male habiti 621.
-- -- eiecti a Domitiano 14. 30.
-- -- ſub Antonino 37.
-- -- immunitati gaudebant 38.
Philoſophiae commendatio 614. ſeq.
Philoſophus quis 615.
Phoeniſſae tragoedia 144.
Pieria 82.
Pierides Muſae 82.
Piiſſimus 724.
Pinguiarius 709.
Piratica 719.
Piſinni pro liberis 260.
Piſo Caius 30.
-- -- Lucius 12.
Pituanius mathematicus 622.
Plauſus formulae 23.
Plautius Lateranus 30.
Plautum imitatur Phaedrus 91.
Plautus (Rubellius) 30.
Plebeius ſermo 693.
Plebes pro plebs 703.
Plebiſcita 445.
Plenum vino et vini 17. 734.
Plinii ſenioris vita 538. ſeqq.
-- -- ſcripta 545. ſeqq.
-- -- hiſtoria naturalis 547. ſeqq.
-- -- ſtilus 549. ſeqq.
-- -- editiones 551. ſeqq.
-- -- diligentia 533.
Plinius Iunior 36. 38. 67.
-- -- ipſe recitauit multa aliosque recitantes audiuit ſaepius 22.
Plinii iunioris vita 410. ſeqq.
-- -- monumentum 420.
-- -- epiſtolae 424. ſeqq.
-- -- panegyricus 426.
-- -- ſcripta alia 427.
-- -- cenſores 428. ſeqq.
-- -- merita 434.
-- -- ſtilus 435.
-- -- editiones 438. ſeqq.
Plinius Traiano auctor fuit inſtaurandae bibliothecae 391

— bi-

Digitized by Google

- - bibliothecam dedicauit 40.
Plutarchus Traiani praeceptor 70.
Poenitentiam agere 737.
Poeniturus 706.
Poeſeos ſtudioſus Nero 10. 55. 78.
- - Veſpaſianus 58.
Poeſis commendatur 74.
- - neglecta ibid.
Poetae 37.
- - recenſentur 71. ſeqq.
Poetarum miſera ſub Domitiano imperatore conditio 14.
- - infelicitas ibid.
- - aſſentatio 27.
Poetica ſermonem Latinum corrumperunt 701.
Poggius Silium Italicum reperit 195.
Polla Argentaria Lucani poetae coniux 119. ſeq.
Polybius Claudio a ſtudiis 47.
Pompeius Silo rhetor 330.
Pomponius Flaccus 12.
- - Marcellus grammaticus 302.
- - Mela vid. *Mela.*
- - Secundus 255.
Pontificum collegia bibliothecis ornata 40.
Populi confluxu Romanorum inquinatus eſt ſermo 31.
Porcetra 302.
Praemia pro ſpoliis 701.
Praemiorum defectus 11. ſeq.
Praeſentaneum 721.
Praetores Latine in prouinciis quoque pronunciabant 34.
Praetoris edicta 445. ſeq.
Pretium literarum exiguum 16.
Priapeia 220.
Principum liberalitas alit artes 12.
- - in rem literariam merita 41.
- - orationes 389. ſeq.
Priſcus Iauolenus 272. 467.
Probus grammaticus 111. 306.
Proculus 36.
- - Licinius 451.
Proculi plures 460.
Profeſſores artium bonarum muneribus ornati 281.
Proſa quam ligata oratio prius commendanda 186.
Proſeucha 700.
Pſephiſma 438.
Puritas 717.

Q

Quam pro atque 666.
Quintilianus 16. 18. 37. 57.
Quintiliani de corrupto ſermone querela 8.
- - vita 346. ſeqq.
- - ſcripta 355. ſeqq.
- - merita 361. ſeqq.
- - cum Cicerone comparatio 364. ſeqq.
- - cenſores 367. ſeq.
- - Hiſpanitas 370.
- - ſtilus 371.
- - editiones 372.
Quintilianus orator 397.
Quintus Curtius vid. *Curtius*

R

Rationabilis 720.
Rationalis ibid.

Recen-

Recenter 732.
Recitationum vſus 22. 36.
- - abuſus et vitia 23. ſeq.
- - ſatietas 25.
Reexinanire 685.
Rei ruſticae ſcriptorum editiones 690.
Remediare 726.
Remunerationis defectus 11. ſeq.
Remus Fauinus 305.
Rerum omnium viciſſitudo 15.
Reſtaurare 726.
Reuerſus eſt 727.
Rhemnius Palaemon grammaticus 2. 100. 254. 303.
Rhetores 324. ſeqq.
- - ſtipendiis ornantur 27. 37.
- - inſani 20.
Rhetoricae vſus 325.
Rhetoricam Quintilianus docuit 37.
Rhetorum nugae 327.
Rhianus poeta Graecus 38. 45.
Roma quibus creuerit artibus 2.
- - philoſophi eiecti 621.
Romana ciuitas multis donata 32.
Romanae bibliothecae 40.
- - omnes prouinciae ciuitatem obtinuere 34.
- - Iuuentutis ſtudia 8.
- - coloniae 34.
Rorulenta 722.
Rubellius Plautus 30.
Rubeus 714.
Rubrenus poeta 268.
Rufus (Canius) poeta 269.
- - (Virginius) rhetor, 345.
Ruris bibliothecas habuere Romani 41.
Ruſtica lingua 693. 699.
Ruſticae rei ſcriptorum editiones 690.
Rutilius hiſtoricus exilio punitur 672.
- - (Palladius) 251.

S

Sabinus Aſellius 13.
- - (Coelius) 463.
- - (Maſſurius) 448.
Scurae bibliothecae 40.
Sacrum 695.
Sagittare 725.
Salacaccabia 682.
Saleius Baſſus poeta 58. 261.
Saluator 719.
Sapidum 722.
Sapientia pacis 2.
Sappho 247.
Saturninus (Aelius) 253.
Satyra 221. ſeq. 242. ſeq.
Scaeua Memor. poeta 265.
Scatere 535
Scaurus (Aemilius) orator 253. 404.
Scholae 37.
- - inſtitutae ſunt publicae ibid.
- - Romanorum Latinae 35.
Schookius notatur 71.
Schottus notatur 329.
Scioppius notatur 94. 367.
Scribonius Largus medicus 637. ſeqq.
Scribonii ſcripta 637.
- - ſtilus 638.

Digitized by Google

- -- editiones 639.
Scriptores Latinae linguae cuſtodes 4.
-- -- rei ruſticae 690.
Scriptorum recitatio 22.
Scriuerius notatur 94.
Sedulitas noſtra 695.
Seges ingeniorum felix 35. ſeq.
Seianus Apicio addictus 672. ſeq.
- - Phaedro inimicus 84. 86. 89.
-- -- interiit 28.
Seleucus grammaticus 28. 282.
Sellarii 698.
Seneca rhetor 327. 407.
Senecae rhetoris de corrupta Latina lingua querelae 7. 8. 9.
- - vita 338. ſeqq.
- - ſcripta 342. 344.
- - ſtilus 343.
- - editiones 344. ſeq.
Seneca philoſophus notatur 276. 284. 329. 371. 385.
Senecae philoſophi vita 640. ſeqq.
- - mors 29. 30.
- - epiſtolae ad Paulum S. Seruatoris apoſtolum 650. 657.
- - ſcripta 656. ſeqq.
- - libri perditi 661. ſeq.
- - auctoritas 662.
- - eruditio et eloquentia 663. ſeqq.
- - cenſores ibid.
- - ſtilus 665. ſeqq.
- - merita 668. ſeq.
- - editiones 669. ſeqq.
- - vitia 619. 620.
- - placendi ſtudium et docta impoſtura 18.
Senecae tragoediae 135. ſeqq.
- - editiones 146. ſeqq.
Senecio (Claudius) 30.
- - Herennius 62.
Senectus 6.
Seneſcentis Latinae linguae cauſſae 9. ſeqq.
- - vitia 8. 9.
- - terminus 3.
Sentia (Amaeſia) 418.
Sermo eſt factorum imago 11.
Seruatio 437.
Seruius notatur 396.
Seruitus ingeniorum crux 27.
Seſtius Gallus 12.
Seueri (Herennii) bibliotheca 41.
Seuerus (Caſſius) 302.
Significationes verborum variatae 18.
Silii Italici vita 185. ſeqq.
- - bibliothecae 41.
- - mors voluntaria 189.
- - ſcripta 191.
- - merita 191. ſeq.
- - ſtilus 194.
- - editiones 195. ſeqq.
Silo rhetor 330.
Simon filius Cleophae 67.
Siniſteritas 437.
Solummodo 732.
Sophiſtae 327.
Sophiſtarum faſtus 618.
Soſianus poeta 261.
Sotio Stoicus 641.
Spatula porcina 683.
Specialiter 732.
Specierum 739.
Spintriae 697. ſeq.

Digitized by Google

Spongiare 683.
Spongizare ibid.
Spontaneum 722.
Spurcities Latinam linguam corrupit 697.
Squalens auro 311.
Statii nomen ſeruile 197.
Statius poeta 62. 74.
Statii (Papinii) poetae vita 197. ſeqq.
- - libri 203. ſeq.
- - merita 205. ſeq.
- - ſtilus 207. ſeq.
- - editiones 208. ſeqq.
Statius Annaeus medicus 655.
Statii plures 202.
Statuarum inimicus Caligula 45.
Stella (Aruntius) poeta 266.
Sternutatio 712.
Stertinius 220.
Stigmoſus 723.
Stilla 305.
Stoici 36.
Strabonis eruditio 533.
Sternarum commercium 43.
Studere 711.
Studia bonarum artium 43.
- - Romanae iuuentutis 8.
Subaudire 709.
Subcultrare 683.
Subinde 730.
Subiugare 709.
Sublimitatis affectatio 741. ſeq.
Suetonii vita 555. ſeqq.
- - ſcripta 559. ſeqq.
- - merita 563. ſeqq.
- - ſtilus 566. ſeq.
- - editiones 568. ſeq.
Suetonius notatur 10.
Suffragia emendicata 24.
Suidas notatur 315.
Sulla (Cornelius) 30.
Sulpitia poetria 246. ſeqq.
Summarium 18.
Summitas 718.
Superciliofus 722.
Superfluitas 717.
Superfluum 713.
Suppetias ferre 265.
Supplicationes Latinae 34.
Sura Palfurius 29.
Surculus Statius 202.
Sus 302.
Suſtentaculum 718.
Sybaritici libelli 128.
Syringatus agnus 683.

T

Tabularia idolorum 40.
Tacitus 36.
Taciti vita 571. ſeqq.
- - imitatio 576.
- - ſcripta 577. ſeqq.
- - merita 581. ſeqq.
- - praeſtantia 584. ſeq.
- - obtrectatores 586.
- - commendatio 588.
- - ſtilus 590. ſeqq.
- - editiones 593. ſeqq.
Tanquam pro velut 666.
Templa Deorum bibliothecis ornata 40.
Tempora literis nocent triſtia 11.
Temporum luxus 9. ſeq.
Terentianus Maurus 234. ſeq. 315.
Terentii imitator Phaedrus 91.
Terpnus citharoedus 58.

Teſti-

Digitized by Google

Teſtimonia Latina eſſe debebant 43.
Thebais tragoedia 144.
Theodorei rhetores 330. ſeq.
Theodorus Gadareus 331.
Theodorus poeta 268.
Theophila poetria 269.
Thermo ſpodium. 682.
Thraſyllus mathematicus 44. 622.
Thyeſtes tragoedia 144.
Tiberius Caeſar linguae patriae curioſus 279.
- - ab Auguſto adoptatur 12.
- - gulae deditus ibid. 44.
- - a Valerio laudatur 27.
- - in ſuos crudelis 28.
- - Graecos poetas dilexit 38.
- - eloquentiae ſtudioſus 387. 388.
- - grammaticos ſecum plurimos habuit 281. ſeq. 302.
- - iudiciariae aſtrologiae deditus 622.
Tiberii in rem literariam merita 42. ſeq.
- - ſtudia ibid. 44.
- - commentarii 45.
- - luxus 10. 12. 44.
Titus Flauius Veſpaſianus literas fouit 37.
Titus imperator literarum amantiſſimus 13. 58.
- - poeta 263.
Tragoediae 139. ſeq.
Traianus imperator 63.
- - de literis bene meritus 69.
Traiani obitus 3.
- - eloquentia 390.
- - tempora Muſis iucunda 14.
Traiano Plinius bibliothecam dedicauit 40.
Traianopolis 69.
Tranquillus (Suetonius) notatur 10.
Transmutatio 714.
Tribuni plebis 445.
Troas tragoedia 142.
Tuburcinabundum 705.
Tuburcinari 706.
Turnus poeta 265.
Turpilius Martialis 218.
Turrinus (Clodius) orator 398.
Tyrannis literarum peſtis 25.

V

Valerii Flacci vita 174. ſeqq.
- - ſcripta 178. ſeq.
- - merita 180. ſeq.
- - editiones 183. ſeqq.
Valerii Maximi vita 493. ſeqq.
- - ſcripta 495.
- - ſtilus 495. 501. ſeq.
- - vindicatus dictorum et factorum memorabilium liber 497. ſeq.
- - adulatio 27. 502.
- - merita 504.
- - editiones 505. ſeqq.
Valetudinarius 723.
Vaticinium 712.
Vatum collegia bibliothecis ornata 40.
Velleii Paterculi vita 477. ſeqq.
- - ſcripta 480. ſeq.
- - merita 483. ſeqq.
- - fides 484. ſeq.
- - ſtilus 486. ſeqq.
- - editiones 489. ſeqq.
Venalem habere artem 27.
Verborum ſignificatio variatur 18.
Verdierius notatur 632.

Digitized by Google

Verginius Romanus 273.
Verinus (Michael) 223.
Verrius Flaccus 349.
Verſari circa rem aliquam 734.
Verus (Aelius) imperator 220.
Veſpaſianus imperator 57.
- - mitis 623.
- - literas fouit 13. 37. 281.
- - templum et bibliothecam pacis exſtruxit 39.
- - liberalis 262.
Vexare 311.
Vibius Gallus 330.
Viciſſitudo rerum 15.
Victor Voconicis 270.
Villae bibliothecis ornatae 41.
Vinicius orator 406.
Vipſania 395.
Virgilii natales Silius celebrare conſueuit 188.
- - monumentum ibid.
- - imitator et cultor Statius 201.
- - cenſores 283.
- - carmina a Caligula abolenda 45.
- - imitator Phaedrus 91.
Virginius Flaccus rhetor 100.
- - Rufus 345.
Virile robur non diuturnum 6.
Viror 712.
Virtus belli 2.
Viſibile 720.
Vitae et orationis ſimilitudo 11.
Vitellius imperator 56.
- - mathematicis inimicus 622.
Vitia ſeneſcentis aevi 8. 9.
- - declamatorum 19. ſeqq.
Vlpia bibliotheca templi Traiani 39.
Vnita corpora 617.
Vocabula perdita 704. ſeqq.
- - recens facta ibid.
Vocem ſeruare ſtudebant 23.
- - fingebant ibid.
Voconius (Victor) poeta 270.
Voluptuoſus 713.
Vopiſcus (Flauius) ex libris bibliothecae Tiberianae hiſtoriam ſcripſit 39.
Voracitas 717.
Voſſius notatur 286. 296.
Votienus 272.
- - Montanus orator 403.
Vrſulus Statius 202.

X

X. litera 52.

Z

Zenonis exilium 28. 282.

Digitized by Google

1231

by Google

Digitized by Google